BIBLIOTHÈQUE DE LA REVUE D'HISTOIRE ECCLÉSIASTIQUE

FASC. 13

Statuta Capitulorum Generalium Ordinis Cisterciensis

AB ANNO 1116 AD ANNUM 1786

Quae ex libris praesertim manu scriptis collegit, recognovit, annotatione critica enodationibusque instruxit et

EDIDIT

D. Josephus-M[ia] CANIVEZ

ORD. CIST. REF.

TOMUS V

AB ANNO 1457 AD ANNUM 1490

1457 – 1490

LOUVAIN

BUREAUX DE LA REVUE :

40, RUE DE NAMUR, 40

1937

INTRODUCTIO

Amplis et certe authenticis documentis ineditis refercitur hocce *Statutorum* volumen quintum, quod dimidiam saeculi XV partem (1457-1490) vixdum amplectitur. Ista vero periodus omnibus religiosis ordinibus perniciosa fuit, maxime vero, ut videtur, Cisterciensi familiae, quae ad extremum desolata fuit. « Aliqui ex monachis et religiosis... in reprobum sensum dantes, Dei timore postposito, vitam ducunt minus honestam... in animarum suarum perniciem, divinae Maiestatis offensam, religionis opprobrium, ac ipsorum monasteriorum detrimentum ». Haec sunt verba Innocentii VIII in litteris ad Capitulum generale anno 1487 directis. Attamen noluit supremus Pontifex voluntati aliquorum regum, principum et dominorum, extinctionem Cisterciensis ordinis requirentium, cedere.

Aliunde vero, in his temporibus Ioannes de Cireyo, abbas Cistercii (1476-1503), quem alloquens supradictus Innocentius dicebat « *Te, quem speciali dilectione prosequimur* », quasi servator sui ordinis nobis occurrit. Viriliter enim manum operi admovit, ut domini Papae mandata super monasteriorum reformatione ad suum perducerentur effectum. Hinc plurimae bullae, largissimae exemptiones atque immensae concessiones a Summo Pontifice datae ad Ioannis de Cireyo auctoritatem amplificandam, eiusque agendi rationem sanciendam.

At huic strenuo ordinis reformatori, unus ex filiis eius, abbas nempe Claraevallensis, Petrus de Vireyo (1471-1506), adversatus est atque repugnavit. Nescimus quo spiritu concitatus, Petrus iste scripserit et in medium protulerit libellum infamiae, quosdam continentem « articulos tam de quibusdam redditibus, qui dicuntur communes ordinis, quam de multis particularibus negotiis et factis monasterii Cistercii » (*Stat.* 1482, n° 53). Gravis utique ordinis plaga, ingens scandalum, et certe malum peius quam iactatus iste defectus cui mederi oportebat, imo

quam vitia saepe condemnata, quae privatam personarum regularium vitam foedebant. Iniquitatem tandem Petrus de Vireyo perfecit, cum ad supremam curiam Parlamenti Parisiensis totam causam iudicialiter agitandam et decidendam detulit (*Stat.* 1483, nº 16, 17, 20 ; 1484, nº 37 ; 1485, nº 70, 71).

Quae scandalosae simultates ut in posterum vitarentur, data est anno 1489, bulla *Ad sacrum apostolatus*, quae sub uno et eodem utriusque monasterii, Cisterciensis scilicet et Claraevallensis, praelato unionem sanciebat. Istud autem remedium, quod ex se utique efficax fuisset, sed morbo ipso acrius apparebat, adhiberi non potuit. Nullam mentionem in statutis capitularibus praedicta bulla obtinuit ; eam tamen infra, sub anno 1489, edimus ex unico codice manuscripto (s. XVIII) abbatiae Sancti Urbani, hodie apud Lucernas in Helvetia asservato. Conicere licet ad abbate Ioanne de Cireyo tam enorme documentum a Pontifice romano concessum, in secreto relictum esse, donec pro adiunctorum opportunitate illud publici iuris faceret.

Ceterum huiusce voluminis Statutorum frequentius argumentum respicit annualis Capituli generalis apud Cistercium celebrationem et omnium abbatum praesentiam [1], reformationem monasteriorum [2], studia promovenda et collegia conservanda vel de novo condenda [3], privilegia defendenda vel de novo obtinenda [4],

---

1) ann. 1457, nº 35 ; 1458, nº 53 ; 1459, nº 100 ; 1460, nº 108 ; 1461, nº 37 ; 1462, nº 52 ; 1465, nº 5 ; 1467, nº 31 ; 1469, nº 90 ; 1473, nº 20 ; 1478, nº 55 ; 1480, nº 29 ; 1481, nº 75 ; 1482, nº 67 ; 1483, nº 65 ; 1484, nº 47 ; 1485, nº 91-96 ; 1486, nº 7, 8 ; 1487, nº 7 ; 1490, nº 8, 9.

2) ann. 1457, nº 29, 41, 67 ; 1458, nº 14, 30 ; 1459, nº 42, 51 ; 1460, nº 37, 40, 41, 46, 47 ; 1461, nº 42, 82, 92, 98, 114, 133, 136 ; 1462, nº 32, 54, 67 ; 1463, nº 50, 95, 129 ; 1464, nº 10 ; 1465, nº 4, 6 ; 1466, nº 112, 113 ; 1468, nº 27 ; 1469, nº 29, 50 ; 1470, nº 20, 23, 34 ; 1471, nº 51 ; 1472, nº 29 ; 1478, nº 12 ; 1480, nº 30 ; 1481, nº 29 ; 1482, nº 30, 31 ; 1484, nº 27 ; 1486, nº 37, 38 ; 1487, nº 7 sq., 24 sq. ; 51 sq. ; 1488, nº 15 ; 1489, nº 15, 17, 18, 41-43, 45, 54, 63-65, 77, 78, 103 ; 1490, nº 32.

3) ann. 1457, nº 19, 20, 27 ; 1458, nº 52 ; 1459, nº 54 ; 1460, nº 18, 19, 70 ; 1461, nº 35, 36, 100, 137 ; 1462, nº 7, 46, 62 ; 1463, nº 44, 48 ; 1464, nº 4, 5, 6, 8, 33 ; 1465, nº 9 ; 1466, nº 10 ; 1467, nº 50 ; 1468, nº 11, 12 ; 1469, nº 4, 5, 8, 17 ; 1470, nº 47 ; 1471, nº 36, 46 ; 1472, nº 46 ; 1476, nº 28-31, 34 ; 1480, nº 22-26 ; 1481, nº 22, 67, 68 ; 1482, nº 41 ; 1483, nº 63 ; 1484, nº 48 ; 1485, nº 36, 87 ; 1486, nº 39 ; 1487, nº 63, 114 ; 1488, nº 43, 49 ; 1489, nº 51, 66 ; 1490, nº 33.

4) ann. 1457, nº 45, 54 ; 1458, nº 14 ; 1460, nº 22, 81 ; 1469, nº 25 ; 1477, nº 2 ; 1478, nº 34 ; 1482, nº 58 ; 1485, nº 34 ; 1486, nº 66 ; 1488, nº 34 ; 1489, nº 13, 40, 60, 71.

abbates commendatarios compescendos [5], bonorum temporalium administrationem [6] et contributiones imponendas et colligendas [7], electiones abbatum confirmandas [8] et competitiones ad abbatiatum decidendas [9], de medio tollendos abusus sive regiminis abbatum [10] sive morum monachorum aut monialium, praesertim quoad vota obedientiae [11], paupertatis [12] aut continentiae [13], quoad leges clausurae [14] et abstinentiae [14], quoad vestes regulares [15].

---

5) ann. 1458, nº 23 ; 1459, nº 84 ; 1461, nº 139 ; 1466, nº 82 ; 1471, nº 38 ; 1472, nº 30 ; 1473, nº 7 ; 1482, nº 65 ; 1486, nº 12, 46, 103 ; 1488, nº 28.

6) ann. 1459, nº 103, 104 ; 1460, nº 31 ; 1463, nº 121 ; 1464, nº 12 ; 1465, nº 1 ; 1466, nº 9, 21 ; 1467, nº 2 ; 1488, nº 17 ; 1489, nº 10, 28, 69, 79, 81.

7) ann. 1458, nº 55 ; 1460, nº 25 ; 1467, nº 43 ; 1469, nº 41 ; 1472, nº 49, 54 ; 1477, nº 3 sq. ; 1478, nº 41, 42 ; 1479, nº 8 ; 1480, nº 55 ; 1482, nº 41 ; 1483, nº 48 ; 1485, nº 61 ; 1487, nº 23, 84, 85, 101 ; 1489, nº 91 ; 1490, nº 6, 7, 34.

8) ann. 1457, nº 7-13 ; 1458, nº 7-13 ; 1459, nº 61-75 ; 1460, nº 1-14 ; 1461, nº 7-23 ; 1462, nº 11-27 ; 1463, nº 5-22 ; 1464, nº 67-81 ; 1465, nº 33-37 ; 1466, nº 84-96 ; 1467, nº 65-75 ; 1468, nº 32-41 ; 1469, nº 120-128 ; 1470, nº 7-19 ; 1471, nº 7-10 ; 1472, nº 7-12 ; 1473, nº 10-18 ; 1476, nº 7-20 ; 1478, nº 7 ; 1479, 1480, nº 7-13 ; 1481, nº 7-11 ; 1482, nº 7-14 ; 1483, nº 7-12 ; 1484, nº 9-14 ; nº 7-15 ; 1485, nº 7-10 ; 1486, nº 14-18 ; 1487, nº 16-19 ; 1488, nº 8-11 ; 1489, nº 19-34 ; 1490, nº 36-40.

9) ann. 1458, nº 24, 29 ; 1459, nº 1 ; 1460, nº 21 ; 1461, nº 135 ; 1466, nº 23, 33, 108 ; 1471, nº 22 ; 1479, nº 40 ; 1481, nº 70 ; 1485, nº 74 ; 1488, nº 37, 39, 54 ; 1489, nº 50, 89, 101.

10) ann. 1460, nº 26 ; 1466, nº 50 ; 1468, nº 5, 30 ; 1472, nº 86 ; 1473, nº 50, 51 ; 1481, nº 23 ; 1483, nº 53 ; 1485, nº 31 ; 1487, nº 79 ; 1488, nº 24 ; 1489, nº 136.

11) ann. 1457, nº 22, 55 ; 1458, nº 22 ; 1459, nº 10, 43 ; 1460, nº 20, 135 ; 1462, nº 10, 98, 104, 115 ; 1464, nº 14 ; 1466, nº 81 ; 1467, nº 15, 21, 22, 47 ; 1469, nº 24, 27, 33 ; 1471, nº 20, 33, 39, 40, 43, 54, 55 ; 1472, nº 18, 23 ; 1473, nº 43 ; 1480, nº 36 ; 1481, nº 64 ; 1482, nº 57 ; 1484, nº 28, 32 ; 1487, nº 98, 104.

12) ann. 1457, nº 51 ; 1461, nº 33 ; 1464, nº 13 ; 1469, nº 21 ; 1482, nº 54 ; 1483, nº 50 ; 1484, nº 54.

13) ann. 1458, nº 32 ; 1459, nº 15, 16, 18, 24-27, 30, 34, 37 ; 1460, nº 102-104 ; 1461, nº 52-55 ; 1462, nº 72, 74, 75, 78, 82 ; 1463, nº 65-67, 69, 74 ; 1464, nº 43, 44, 47, 48, 51, 52-55, 59, 62 ; 1466, nº 34, 35, 38, 48, 49 ; 1467, nº 59-62 ; 1468, nº 42-44, 50-53 ; 1469, nº 105-108, 110, 115-119 ; 1471, nº 11-14 ; 1476, nº 75, 77, 80, 81 ; 1478, nº 57, 58, 60, 61 ; 1481, nº 77 ; 1483, nº 67-68 ; 1484, nº 71-80 ; 1485, nº 97-99, 100 ; 1486, nº 109, 111, 114, 117, 118, 120 ; 1487, nº 130. 138, 139, 142, 145 ; 1488, nº 80-93 ; 1489, nº 86, 94, 121, 122, 125, 127, 130, 131, 136 ; 1490, nº 15, 57-60, 63.

14) ann. 1457, nº 49, 52, 1458, nº 28, 58 ; 1459, nº 78 ; 1460, nº 27, 28, 34 ; 1462, nº 101 ; 1466, nº 14 ; 1469, nº 36 ; 1471, nº 41, 42 ; 1472, nº 20 ; 1478, nº 31, 35 ; 1480, nº 37, 39.

15) ann. 1457, nº 53 ; 1460, nº 127 ; 1465, nº 11 ; 1481, nº 61 ; 1486, nº 74.

16) ann. 1457, nº 50 ; 1458, nº 58 ; 1460, nº 31, 126 ; 1461, nº 26, 27 ; 1463, nº 53 ; 1466, nº 8, 53 ; 1467, nº 1 ; 1469, nº 64 ; 1472, nº 48 ; 1478, nº 36 ; 1481, nº 60.

SERIES FONTIUM MSS CUM SUIS SIGLIS.

Hic illos tantum recensemus codices qui ad praesentem tomum quintum contexendum aliquid contulerunt ; cf. t. I, p. XVII-XXIII ubi uberior habetur enumeratio et annotatio.

Codex Abbatisvillae

A⁴ Ms. 31 (XVIII° s.) passim quaedam continet statuta annorum 1476, 1478, 1483, 1487.

Codex Dunensis

Du¹ Ms. 176 XVI° s. bibliothecae Seminarii Brugensis, id est antiquae cisterciensis abbatiae Dunensis, quoddam statutum anni 1463 nobis praebet.

Codex Morimundensis

Fi Ms. 79 (XV°-XVI° s.) bibliothecae Calvimontis, exaratum olim in abbatia Morimundensi, et cui titulus *Dialogus prioris et supprioris de prospero et adverso statu ordinis Cisterc.* continet quaedam statuta annorum 1482, 1483, 1484, 1485. Eiusdem operis extant etiam aliae transcriptiones nempe ms. 602 Divionensis bibliothecae et ms. 88 bibl. urbis Spinae (Epinal).

Codices Lucernenses

Ex octo codicibus (XVIII° s.) qui hodie in Archivo Status Lucernae asservantur sub n° 544

L⁴	tomus III nobis praebet statuta ann.			1457-1473.
L⁵	tomus IV	»	»	1476-1489.
L⁶	tomus V	»	»	1490.

(Collectiones plenissimae)

CODEX PARISINUS

Ms. 782 bibliothecae dictae de l'Arsenal, cuius transcriptor (XVII° s.) saepe in forma abbreviata, refert selecta statuta ex duodecim registris authenticis ann. 1387-1557. **P[2]**

CODEX TRECENSIS **T[6]**

In archivo Trecensi, sub n° 3 H 145 (iuxta novam ordinationem) servantur quaedam folia membranacea, Capituli generalis sigillo munita, quae eiusdem Capituli originalia sunt documenta.

CODEX DUSSELDORFIENSIS

Ms. C. 32 et 34 bibliotheca publicae dictae civitatis quoddam statutum anni 1463 continet. **U**

CODEX LEODIENSIS

In archivo civitatis Leodiensis, in Belgio, inter multa documenta ibidem asservata ex antiqua abbatia Vallis Sancti Lamberti, leguntur confirmationes sive electionum sive contractuum. Cf. *Inventaire... des archives de l'abbaye du Val Saint-Lambert*, par Schoonbroodt, Liége, 1875, 1880. **Va**

COLLECTIONES EDITAE

Thesaurus Anecdotorum a domno Edm. Martène, t. IV, Parisiis, 1715, col. 1621 sq. **M**

F. Winter, *Die Cistercienser des nordöstlichen Deutschlands*, Gotha 1868-1871 t. III p. 343 sq. **W**

Ex ARCHIVO TRECENSI *(T[6])*

Ex CODICE DUNENSI (*Du*[1])

1457

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo septimo, statuta sunt haec apud Cistercium septima die mensis septembris, in eiusdem Cisterciensis Ordinis Capitulo generali.

ORATIONES

1. Pro [b] beatissimo... *etc. ut in anno* 1455.
2. Praeterea pro christianissimo... *etc. ut in anno* 1449.
3. Insuper pro burgensibus... *etc. ut in anno* 1449.
4. Ceterum pro pace... *etc. ut in anno* 1449.
5. Postremo pro felicis... *etc. ut in anno* 1449.

[DIFFINITIO] GENERALIS

6. Cum Ordo noster... *etc. ut in anno* 1456.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

7. Electionem, installationem et confirmationem fratris Philippi de la Fay, per abbatem Bonae vallis Pictaviensis, commissarium R^mi^. in Christo patris domini Cisterciensis, in monasterio de Columna, de persona ipsius fratris Philippi de la Fay, praesens generale Capitulum confirmat, ratificat et approbat, cassatque resignationem quamdam per fratrem Petrum Troillon in manu cuiusdam protonotarii factam, et mandat religiosis omnibus dicti monasterii, quatinus ipsi fratri Philippo tamquam eorum abbati humiliter et devote obediant, rebelles vero ex nunc inhabiles declarat ad omnes Ordinis dignitates.

8. Electionem, installationem et confirmationem factas per reverendos in Christo patres dominum abbatem de Begar, s. th.

1457. *Fontes* : L^4 : 1-70 ; *M* : 40, 50-53 ; P^2 : 1, 32, 34, 39, 40, 49-54, 58, 66.
[a] *Titulus apud* L^4. [b] Sub Calixto III, Card. Morinen. ord. protect., Frederico rege Rom., Carolo rege Franc., et Philippo duce Burgundiae : P^2.

pr., et dominum abbatem de Precibus, commissarios R. in Christo patris domini de Buzayo, in monasterio de Insula, de persona fratris Ludovici de Ello, ad dignitatem abbatialem dicti monasterii de Insula, prout in decreto... *etc.*

9. Ad idem, pro fratre Ioanne Bilandi, per abbates de Valentia et de Gratia Dei, commissarios R. in Christo patris domini Claraevallis, s. th. pr., ad monasterium de Castellariis, per electionem ordinato et promoto.

10. Ad idem, pro fratre Guillelmo Papim, per R. patrem dominum Claraevallensem, s. th. pr., et fratrem Petrum Ioannis monasterii de Savigniaco professum, tam abbatis Savigniaci quam Ordinis commissarium, ad monasterium de Bellobecco, per resignationem promoto et ordinato.

11. Ad idem, pro fratre Adam Oger, per electionem ad monasterium Frigidi montis, per dominum Ursicampi, s. th. pr., promoto et instituto.

12. Ad idem, pro fratre Antonio Piscatore, per electionem ad monasterium Vallis lucentis, per dominum Prulliaci instituto et ordinato.

13. Ad idem, pro fratre Petro de Sancto Marcello, per electionem ad monasterium de Bello loco, per abbatem Cariloci instituto et promoto.

COMMISSIONES

14. Generale Capitulum monet abbatem de Bullencuria sub poena excommunicationis, quatinus infra 30 dies ab intimatione praesentis diffinitionis numerandos, satisfaciat domino Cistercii suoque conventui de 30 libris parvorum turon. bonorum et legalium annui et perpetui redditus, in quibus quidem 30 libris parv. turon. praefatus abbas suumque monasterium tenetur et obligatur monasterio Cistercii, necnon de omnibus arreragiis ratione dicti redditus elapsis, aut totaliter cum domino Cistercii faciat et conveniat super praedictis, quod debeat contentari; alioquin praedictis 30 diebus elapsis, ex nunc pro tunc in ipsum abbatem de Bullencuria profert sententiam excommunicationis, et eam incurrisse ipsum denuntiat per praesentes, mandans idem Capitulum abbati de Moris, ut praesentem diffinitionem debitae executioni demandet, et ipsi abbati de Bullencuria demandare non omittat.

15. Similiter idem Capitulum monet sub eadem excommunicationis poena abbatem de Gardo, quatinus satisfaciat domino Cistercii suoque conventui de 32 libr. turon. annui et perpetui redditus, ut prius ; committitur abbati de Regalimonte.

16. Item, similiter monet abbatem de Chassania de summa 20 libr. turon. annui et perpetui redditus ; committitur abbati de Miratorio.

17. Committitur abbati de Locoregio, quatinus monasterium de Septem fontibus, ut proh dolor ! fertur, in spiritualibus et temporalibus penitus desolatum, visitet et reformet, tam in capite quam in membris, in plenaria Ordinis potestate.

18. Domino de Laude praecipit et mandat generale Capitulum, quatinus per iuratos examinare faciat et probare fratrem Ioannem Walke, religiosum monasterii de Claromarisco, utrum, ut fertur, sit aliquo modo vel aliqualiter infectus aliqua macula leprae, et si repererit eum aliqualiter infectum, districte compellat abbatem dicti monasterii de Claromarisco, ut provideat ipsi religioso iuxta Ordinis diffinitiones et statuta ; si vero repertus fuerit praefatus religiosus purus et minime huiusmodi lepra infectus, praefatum abbatem districte compellat ad recipiendum dictum religiosum, ac ipsum cum suis tenendum et eidem de necessariis providendum.

19. Cum in antiquis Ordinis diffinitionibus, inhibeatur abbatibus Ordinis universi, ne in studiis solemnibus quacumque de causa moram continuam facere audeant, vel praesumant, generale Capitulum huiusmodi diffinitionem tam honestam et pernecessariam innovando, omnes licentias in contrarium huiusmodi diffinitionis concessas abbatibus quibuscumque cassat, revocat, annullat, et tales de cetero conferri licentias prohibet, mandatque et praecipit in virtute salutaris obedientiae omnibus abbatibus in quibuscumque studiis generalibus etiam Parisius nunc existentibus, quatinus infra 30 dies ab intimatione praesentis diffinitionis, a praedictis studiis penitus recedant et ad propria monasteria revertantur, mandans provisoribus et cellerariis collegiorum horum studiorum, quatinus praesentem diffinitionem eisdem abbatibus diligenter intiment et denuntient ; excipiuntur tamen abbates illi qui lectis sententiis suos actus explere intendunt.

20. Generale Capitulum attendens et amplius tolerare non intendens duritiam cordis quorumdam abbatum, qui in dedecus

et detrimentum Ordinis, minime debitum suum fecerunt et faciunt de mittendo scolares suos ad studia generalia, quod tamen voluntarie et bono corde facere deberent, cum possent et id in decus et honorem ipsorum suorumque monasteriorum cedat quamplurimum ; abbates subsequentes monet in virtute salutaris obedientiae, ac sub excommunicationis poena et aliis poenis in *Benedictina* contentis, quatinus infra 30 dies ab intimatione praesentis diffinitionis, cum debitis et sufficientibus provisionibus mittant scolares ad studium Parisius modo subsequenti, videlicet, de Dunis duos, de Capella Thosan unum, ac etiam de subsequentibus monasteriis de quibus unum, videlicet de Cambrone, de Gardo, de Claromarisco, de Loco Sancti Bernardi, de Villari, de Valle Sancti Lamberti, de Longovillari, de Vaucellis, de Fonteneto, de Caroloco, de Theoloco, de Nigro lacu, de Bono portu, de Sancto Andrea, de Barbereyo, de Precibus, de Villa nova, de Buzayo, de Fonte Danielis, de Oratorio, de Misericordia Dei, de Bona cumba, de Alpibus, de Sancto Sulpitio, de Reliquiis, de Elancio, de Alta cumba, de Crista, de Chassania, et de Monte Sanctae Mariae, ipsosque scolares tenent in dicto collegio Sancti Bernardi Parisius usque ad triennium ad minus ; alioquin 30 diebus elapsis ex nunc pro tunc illos et illum qui non miserunt dictos scolares declarat et denuntiat incurrisse sententiam excommunicationis, ac etiam poenam circa hoc in *Benedictina* expressam, praecipiens et mandans generale Capitulum abbati monasterii de Barbello, quatinus praesentem diffinitionem diligenter praefatis abbatibus denuntiare et intimare non omittat, dominumque Cistercii, quid inde fecerit informet, dans provisori collegii Sancti Bernardi et cellerario eiusdem potestatem quatinus ipsi per omnes iuris et iustitiae vias, etiam coram conservatore privilegiorum Universitatis Parisiensis, seu coram quibuscumque iudicibus compellant abbates defectuosos ad solvendum duplum expensarum, quas idem scolaris faceret, vel iidem scolares facerent per annum, si in ipso collegio resideret vel residerent, ut plenius in *Benedictina* continetur.

21. Quia oppressis et praesertim illis qui labores pro publica Ordinis utilitate sustulerunt, iure succurrendum est, maxime ubi oppressio ipsa ipsis libertatibus summum infert praeiudicium, praesens generale Capitulum domino Morimundi, s. th. pr., requisitionem et repetitionem abbatis Trium fontium committit eidem, plenum posse conferens per se aut alios ipsius proces-

sum videndi et visitandi ipsumque absolvendi, corrigendi aut puniendi, prout viderit rationabiliter expedire ; sumptus autem ad hoc necessarios, si praemissum monasterium ministrare non poterit, levabitur super monasteria provinciae illius.

22. Omnibus et singulis abbatibus circumvicinis monasterio Frigidi montis, et eorum cuilibet in solidum committit generale Capitulum, quatinus fratres Ioannem Duart et Iacobum, monachos dicti monasterii, rebelles et inobedientes, et carceris fractores ipsius monasterii, capiant et incarcerent cum expensis dicti monasterii seu capiat et incarceret alter eorum, aut ipsos secundum eorum exigentiam delictorum puniant, in plenaria Ordinis potestate, invocato ad praemissorum executionem, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

23. Praesens generale Capitulum ordinat et statuit quod, licet dominus Cisterciensis in causa mota inter abbates de Albis petris et de Petris commisserit abbates de Loco regio et de Varennis, ex abundanti idem Capitulum praefatis abbatibus iam commissis exactissimam committit in dicta causa executionem, in plenaria Ordinis potestate.

24. Abbatibus de Populeto et de Bolbona, et eorum cuilibet in solidum committitur per generale Capitulum, quatinus omnes et singulas Ordinis personas utriusque sexus, quas invenerit teneri seu obligari abbati Sanctarum Crucium aut suo monasterio, in quibuscumque... *etc. ut in forma consueta.*

25. Ad idem, pro abbate de Crista, abbatibus de Morimundo, de Longovado, de Alba ripa, de Escureyo et de Dulci valle.

26. Reformationem monasteriorum sanctimonialium in Rivo Mariae, in Puro campo, etc. Capitulum generale committit domino de Leenin, s. th. pr., cum collectione contributionum per sex annos immediate sequentes.

27. Committitur et praecipitur per generale Capitulum provisori et suppriori Sancti Bernardi Parisius, quatinus compellant baccalarios cursores ad frequentandam ecclesiam diebus dominicis et aliis diebus duarum missarum, in vigiliis, in missis et vesperis, et quod intitulentur ad magnam missam et Beatae Mariae, et quod nullus assumatur, nec praesentetur ad gradum baccalariatus nisi susceperit gradum determinatum et hoc sine expensis.

28. Generale Capitulum praecipit abbatibus Sabaudiae sub poenis in *Benedictina* contentis, quatinus infra proximum fes-

tum Purificationis Beatae Mariae, suas contributiones solvant realiter et cum effectu, easque mittant domino Cisterciensi.

29. Capitulum generale committit abbatibus de Bona valle Viennensi et de Mansiade, quatinus se transferant ad monasteria de Clavasio, de Sinaqua et de Valle crescenti, ibidemque visitent, reforment et corrigant quaecumque inibi repererint visitanda, reformanda et corrigenda, in plenaria ipsius Ordinis potestate.

30. Praesens generale Capitulum praecipit et mandat fratri Ioanni de Sancto Vito dudum abbati in Hemerode, quatinus moderno abbati suo in omnibus quae iuris sunt et rationis, et prout ordo exigit, obediat, et quod libros et alia ecclesiae bona, quae penes se habet, monasterio restituat, alias sit ipso facto sua pensione privatus, ubi vero se senserit in aliquo gravatum propter praemissa aut alia quaecumque, assignantur sibi iudices abbates de Sconaugia, s. th. pr., et de Eberbaco, qui omnibus suis causis, et etiam sui abbatis finem imponant, in plenaria Ordinis potestate, diffinitionibus super sua pensione alias editis in suo robore duraturis.

31. Capitulum generale committit abbati Populeti quod se informet de contentis in carta, cui praesens diffinito inscribitur, et auditis hinc inde partibus ministret utrique parti iudicium et iustitiam, in plenaria ipsius Ordinis potestate.

32. Abbati de Otterburg praecipit et mandat praesens Capitulum generale, quatinus sub debitis poenis monachum suum per dominum Basileensem detentum repetat, et ad suum monasterium puniendum reducat.

33. Abbati et monasterio de Brolio Grolando praecipit generale Capitulum, attenta excessiva summa pecuniarum quam monasterio de Moroliis compulsorie tradidit, ad reparationem primae, quatinus usque ad lecturam sententiarum inclusive scolari eiusdem monasterii usque ad dimidiam scolarium imbursionem subveniat, tali tamen pacto, quod dum dicti de Brolio Grolando scolarem in collegio habebunt, tenebuntur praemissi de Moroliis etiam usque ad tale tempus eidem subvenire.

34. Quia scolares collegii Sancti Bernardi Parisius in prosecutione privilegii inibi plures scolares etiam eodem anno sententias legere possunt, magnam summam pecuniarum praecipit idem Capitulum generale omnibus qui pro tempore futuro ipsas sententias legere habebunt, quatinus antequam ipsas incipere

possint, cellerario dicti collegii octo florenos parisienses tradere teneantur, reparationi scolarum applicando, de quibus ipse cellerarius fidelem reddere tenebitur consilio eiusdem collegii rationem.

35. Omnes et singulos abbates ad praesens generale Capitulum citatos et non comparentes denuntiat excommunicatos, et citat ad futurum generale Capitulum.

36. Domino Morimundi, s. th. pr., committit praesens generale Capitulum, quatinus iustitiam administret inter abbatem de Insula Barrensi et suos monachos, et quod monasterium ipsum visitet et reformet, in plenaria Ordinis potestate.

37. Capitulum generale debite informatum de desolatione monasterii Fontis Sanctae Mariae prope Landesrios *(Landstrass)* praecipit et mandat abbati de Victoria in Carinthia, patri visitatori eiusdem, quatinus quanto celerius poterit, idem monasterium visitet et reformet, in plenaria Ordinis potestate.

38. Capitulum generale districte praecipit abbati de Bono monte, quatinus fratrem Vaterin, monachum suum iam in carceribus monasterii de Caritate detentum, mittat quaesitum et ipsum in carceribus detineat usque ad nutum Capituli generalis, praecavendo ne monasterio Caritatis amodo nocere possit.

39. Praesens generale Capitulum debite informatum de inordinata vita fratris Ioannis Berthot professi monasterii de Caritate, ne ceteras oves inficiat, ipsum emittit sine spe reversionis ad longinquas nationes et provincias.

40. Quia contra Ordinis instituta et ipsius regularem disciplinam, abbas monasterii Bonae cumbae tractatum quemdam, seu accordum cum suis monachis confecit super provisione indumentorum suorum, ipsumque confirmari per patrem abbatem praefati monasterii fecit, generale Capitulum huic noxae tamquam paupertati contrariae occurrere volens, praemissum tractatum seu accordum, ipsiusque confirmationem per patrem abbatem factam cassat, irritat et annullat, praecipitque ut pecuniae huiusmodi provisioni deputatae ad usus communes [c] et necessitates dicti monasterii expendantur [d], sic tamen quod ipsis religiosis per abbatem dicti monasterii de huiusmodi indumentis et aliis necessariis sufficienter provideatur; si vero contigeret, quod

---

[c] graves : MP^2. [d] exponantur : L^4P^2.

absit, dictos monachos huic salubri ordinationi obviare aut aliunde auxilium quaerere, ex nunc prout ex tunc ipsos excommunicatos et vitium conspirationis incurrere declarat.

41. Visitationem et reformationem monasterii Bonae cumbae, ut voce querulosa fertur, ad ruinam et desolationem labentis et penitus tendentis, praesens generale Capitulum abbati Morimundi, s. th. pr., committit, in plenaria Ordinis potestate.

42. Decisionem causae motae inter abbatissam monasterii Bituminis agentis petentisque sex florenos monetae Sabaudiae annui census, et abbatissam monasterii de Bons ream, committit Capitulum generale, in plenaria Ordinis potestate, abbatibus de Alpibus et de Bono monte, sic quod causis hinc inde auditis, causam determinent infra proximum Natalem, compellantque ream per censuram Ordinis.

43. Procuratori Ordinis generali in Curia romana districte praecipit Capitulum generale, quatinus efficaciter laboret, quod monasterium de Sycador ad Ordinem reducatur cum suis iuribus et pertinentiis.

44. Etiam praecipit eidem procuratori Ordinis quatinus efficaciter laboret in prosecutione causae motae et movendae inter abbatem de Stamps et dominum cardinalem vulgariter dictum de Cusa, super hoc quod ipse cardinalis vult abbatem compellere contra Ordinis privilegia ad interessendum synodo suae et alia facienda quae saeculares patroni facere consueverunt, impetrando a Summo Pontifice super hoc opportunum remedium.

45. Abbatibus provinciae Salsburgensis imponit praesens Capitulum generale subsidium centum florenorum gallicalium, abbati de Stamps pro defensione privilegiorum Ordinis solvendorum iuxta scedulam per dominum Morimundi, s. th. pr., signatam, quatinus centum florenos in Austria abbas Sanctae Crucis, s. th. pr., in Stiria, Carinthia, Carniola et partibus circumvicinis abbas de Runa, et in Bavaria abbas de Alderspach recipere habebunt, et ipsi abbati de Stamps infra proximum festum Nativitatis praesentare.

46. Diffinitionem anno elapso per generale Capitulum factam super resignatione fratris Iacobi de Lanis de monasterio de Caduino et provisione fratris Petri de Gay (Gano, seu Grano, cf. *ann.* 1456, *n*° 92) ad praedictum monasterium, generale Capitulum ratificat et confirmat, cassatque omnia et singula quae post praemissam diffinitionem per dominum Pontigniaci in pro-

visione dicti monasterii fuerint peracta, cassat etiam generale Capitulum electionem factam de persona fratris Ioannis Paes, declarando illam esse nullam, inhibendo eidem sub poena excommunicationis et carceris, ne praetextu praedictae electionis, se pro abbate gerat.

47. Praesens generale Capitulum committit abbati Sancti Ulrici infra muros civitatis Augustensis, quatinus causas motas et movendas inter abbatissam de Schonsole *(Schönenfeld)* Superiori, et sororem... *(locus vacuus)* de Firmber, auditis partibus terminet per suas sententias diffinitivas, assumpto secum aliquo praelato nostri Ordinis, in plenaria Ordinis potestate, salvis tamen Ordinis ipsius privilegiis et libertatibus.

48. Praesens generale Capitulum cupiens providere vagorum monachorum discursui, districte inhibet abbatibus Ordinis universi, ne hospitem ad se missum alibi remittat nisi ad proprium abbatem aut visitatorem seu reformatorem.

49. Abbatibus de Veteri monte et de Heysterbach praecipit Capitulum generale, quatinus omnes monachos in Colonia et partibus circumvicinis ad confusionem Ordinis commorantes, compellant ad propria redire monasteria, aut si studere voluerint sub aliquo Ordinis patre, ad hoc idoneo, in eadem domo residere, contradicentes, si opus fuerit, incarcerando aut alias puniendo.

[DIFFINITIONES] GENERALES

50. Inhibetur omnibus abbatibus Ordinis universi et aliis quibuscumque personis eiusdem, sub excommunicationis poena, ne de cetero quomodocumque deferant corrigias deargentatas, aut alias curiose compositas, ac etiam tunicas ante vel retro scissas, aut alios quoscumque habitus irregulares.

51. Puritati conscientiarum providere cupiens praesens generale Capitulum, sub excommunicationis et carceris poenis, praecipit monialibus Ordinis universi, quatinus in communi et [e] de communi vivant et infra mensem postquam praesens diffinitio fuerit ipsis praesentata, suum proprium abbatissis suis resignent, se et sua suarum abbatissarum voluntatibus submittendo.

52. Praesens Capitulum generale propter diversos clamores

---

[e] et de communi : *deest M.*

principum praecipit et mandat patribus abbatibus, visitatoribus et reformatoribus, quatinus diligentiam adhibeant ad recludendum moniales sibi commissas, et ipsas compellendum ut regulariter et sine proprio vivant.

53. Praesens generale Capitulum volens tollere de medio abusum quorumdam abbatum nolentium aliquem ad professionem recipere, nisi prius parentes sui larga prandia faciant, et se obligent ad sibi ministrandum vestiarium quousque sacerdos fuerit, districte inhibet ne amodo talia fiant, sed quod omnibus administrentur necessaria de communi, prout sancta cavit [f] regula.

54. Generale [g] Capitulum considerans et attendens quod multipliciter his diebus privilegia et libertates Ordinis in plerisque mundi partibus et regionibus invaduntur, infringuntur et impugnantur et graviter laeduntur, timensque idem Capitulum dicta privilegia et libertates amplius impugnari, infringi et laedi, nisi studiose et diligenter per debitae provisionis remedium obvietur, quodque absque speciali subsidio tueri et defendi minime possent et plurimum expedit, aliis eiusdem Ordinis consideratis et pensatis gravibus oneribus in Curia romana et alibi dirigendis ; eapropter idem generale Capitulum pro hac vice dumtaxat imponit subsidium mille florenorum monetae eiusdem Capituli, per dominum Cistercii de consilio quatuor primorum, monasteriis imponendum, mandans et praecipiens generale Capitulum abbatibus et abbatissis sub poena excommunicationis, quatinus quottas dicti subsidii ipsos et ipsas concernentes, commissariis eiusdem domini Cistercii ulla absque difficultate diligenter et fideliter solvant.

[DIFFINITIONES] SPECIALES

55. Cum anno elapso generale Capitulum fratres Ioannem de Seris, dudum abbatem de Signiaco, Ioannem de Bulsicourt, Ioannem de Puteolis, Petrum de Alneto, et Ioannem de Aubigny, monasterii Signiaci expresse professos, cum suis adhaerentibus de causis excommunicationis vinculo innodasset, quia tamen animo indurato suae salutis immemores iam per annum eam-

[f] canit : *MP*². [g] *P*² *abbrev.*

dem excommunicationis sententiam contumaciter et in contemptum ecclesiasticae censurae contempserunt, eamdem contumaciam et animi indurationem detestando praesens generale Capitulum praefatam excommunicationis sententiam aggravat, ipsosque contumaces et eisdem adhaerentes excommunicatos pariter et aggravatos ac irregulares, cum se immiscuerint divinis tali sententia innodati, declarat et denuntiat per praesentes, supplicans domino archiepiscopo Remensi, quatinus ipsos per totam suam dioecesim ab omni populo excommunicatos et aggravatos devitari faciat et praecipiat.

56. Ad idem, pro fratribus Ioanne de Curia, Quintino le Besgue, Nicolao Rogier, Ioanne Dorgni, Nicasio de Guise, Ioanne d'Estrée et Guillelmo Papelart, monasterii Fusniaci expresse professis.

57. Quia quidam religiosi monasterii de Fusniaco sua contumacia et rebellione sententiam excommunicationis incurrerunt anno elapso per generale Capitulum in eos latam, qui tamen postmodum ad cor revertentes absolutionis beneficium humiliter petierunt, id quod generale Capitulum ordinaverat implere volentes, hinc est quod eorum supplicationi annuens idem generale Capitulum ipsi abbati de Fusniaco committit, ut tales sic sibi humiliter obedientes et alios si qui revertantur, ab ipsis excommunicationum sententiis absolvat, et communioni fidelium restituat, in plenaria Ordinis potestate.

58. Generale Capitulum inhibet districtius sub poenis et censuris Ordinis abbati et conventui de Caroliloco ne pro quavis causa, abbatem et conventum Igniaci, seu abbatissam et conventum de Argensoliis aut alias quascumque dicti Ordinis personas, extra ipsum Ordinem ulterius trahere seu appellare praesumant, cum ipse Ordo sit paratus, quandocumque requiritur, dare iudices competentes, qui partibus auditis summarie et de plano ministrent unicuique iustitiam secundum Deum et ipsius Ordinis instituta salubria.

59. Contractum seu tractatum per abbatem et conventum de Buxeria, Eduensis dioecesis, factum et in litteris, quibus praesens diffinitio annectitur, plenius contentum, praesens generale Capitulum ratificat, confirmat et approbat.

60. Praesens generale Capitulum accordum seu tractatum, cui praesens diffiinitio annectitur, monasterio de Fulcardimonte utilem iudicans, praesertim cum commissarii eiusdem Capituli

super hoc deputati suis patentibus litteris et authenticis, id affirmant, ipsum ratificat, confirmat et approbat.

61. Abbati de Theoloco sub poena depositionis praecipit praesens Capitulum generale, quatinus fratrem Guidonem de Furto monachum suum recipiat et retineat, sic quod amodo non habeat materiam evagandi.

62. Abbati de Sittich districte praecipit et mandat praesens Capitulum generale, quatinus fratrem Caesarium monachum suum recipiat in suo gradu et honore, nullam sibi poenitentiam imponendo propter hoc Cartusiam intravit, praecipitque et mandat idem Capitulum abbati de Runa, quatinus ipsum abbatem in Sittich sub censuris ecclesiae compellat ad observandum praesentem diffinitionem.

63. Pensionem per dominos Claraevallis, s. th. pr., et de Bellobecco modernum, fratri Petro Duri, quondam abbati dicti monasterii Bellibecci cedenti bene merito assignatam, praesens generale Capitulum ratificat, confirmat et approbat.

64. Quia ex indebita et incauta consideratione agendorum, nonnulli abbates monasterii Bellibecci per diversos contractus quamplurimos redditus et haereditagia a dicto monasterio etiam pro modico valore inde percipiendo perpetuis temporibus alienaverint, abbatibus de Voto et de Bonoportu, mandat praesens Capitulum generale, quatinus de dictis contractibus se informantes, si praedictos in gravamen et dictae ecclesiae praeiudicium invenerint factos et indebite contractos, cassent, revocent et annullent, in plenaria Ordinis potestate.

65. Praesens Capitulum generale admittit appellationem factam per dominum de Charitate, ne visitetur a vicario domini cardinalis Eduensis, cum hoc sit contra Ordinis privilegia et consuetudines, et etiam cum ipse abbas habeat diffinitionem quod non debeat visitari nisi in praesentia domini Morimundi, quam diffinitionem praesens Capitulum innovat, ratificat et confirmat, et declarat idem Capitulum quod propter praedictam appellationem nullam censuram ecclesiasticam aut aliam poenam incurrit ipse abbas Charitatis.

66. Diffinitionem alias per generale Capitulum factam, quae sanctum iocale sancti Sudarii cum certa pensione abbati Grandissilvae custodiri et consignari mandabatur, praesens generale Capitulum rationabilibus et iustis causis motum cassat et annul-

lat, praecipitque abbati de Dulio *(Caduino)*, quatinus omnes detinentes dictum iocale usque ad restitutionem incarceret.

67. Commissionem annis praeteritis domino Morimundi, s. th. pr., datam pro reformatione monasteriorum suae generationis et totius nationis germanicae, praesens generale Capitulum innovat, confirmat et roborat cum clausulis in ea contentis.

REHABILITATIONES.

68. Praesens Capitulum generale rehabilitat fratrem Caesarium de Sittich ad omnes Ordinis voces et gradus, et dignitates, non obstantibus defectibus suis retroactis temporibus commissis, de quibus pœnitentiam sibi iniunctam humiliter implevit.

69. Ad instantiam abbatis de Fusniaco, s. th. pr., cum fratre Aegidio Warnet, eiusdem monasterii monacho expresse professo, misericorditer dispensat, quod non obstante infamia et inhabilitate, quas per aliquod temporis spatium evagando per saeculum contraxit, propter quod merito inhabilis reputatus est, ad omnes Ordinis actus legitimos, voces, gradus, officia, dignitates et administrationes, abbatiali seclusa dignitate, promoveri valeat et assumi.

SUFFRAGIUM

70. Devotionem populi christiani, quam dietim aeternus orbis Conditor excitare dignatur in capella beati Michaelis archangeli extra parochialem ecclesiam Sancti Ioannis prope Laudonam, generale Capitulum sanctis amplectens affectibus, ipsam benignis prosequi favoribus atque spiritualium largitione beneficiorum semper adaugere summe desiderans, omnibus et singulis utriusque sexus christicolis ipsam capellam Sancti Michaelis devote visitantibus ac de bonis ipsorum temporalibus pro necessitatibus et agendis dictae capellae largientibus seu etiam missas vel alia spiritualia suffragia ibidem celebrari facientibus, plenariam participationem omnium bonorum spiritualium, videlicet missarum, etc. in via pariter et in morte, idem Capitulum misericorditer largitur et concedit.

1458

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo octavo, statuta sunt haec apud Cistercium duodecima die mensis septembris, in eiusdem Cisterciensis Ordinis Capitulo generali.

ORATIONES

1. Pro [b] beatissimo ac sanctissimo domino nostro domino Pio, divina Providentia Papa moderno, necnon pro reverendissimis... *etc. ut in anno* 1455.

2. Praeterea pro christianissimo... *etc. ut in anno* 1449.

3. Insuper pro burgensibus... *etc. ut in anno* 1449.

4. Ceterum pro pace... *etc. ut in anno* 1449.

5. Postremo pro felicis... *etc. ut in anno* 1449.

[DIFFINITIO] GENERALIS

6. Cum Ordo noster... *etc. ut in anno* 1456.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

7. Depositionem et destitutionem fratris Oliverii Potier a dignitate abbatiali monasterii de Re, Xantonensis dioecesis, per bonae memoriae reverendum patrem dominum abbatem Pontigniaci, ipsius monasterii patrem abbatem, suis demeritis exigentibus factam, necnon electionem, provisionem, installationem et confirmationem de persona fratris Ioannis Merichon, eiusdem monasterii expresse professum, in abbatem ipsius monasterii, prout in decreto... *etc. ut in forma consueta.*

8. Electionem, installationem et confirmationem factas de

1458. *Fontes* : L^4 : 1-61 ; *M* : 15 *(abbrev.)*, 16 *(abbrev.)*, 17 *(abbrev.)*, 23, 26, 58 ; P^2 1, 10, 15 *(abbrev.)*, 16 *(abbrev.)*, 17 *(abbrev.)*, 23, 26, 29, 30, 38, 43, 58.

[a] *Titulus apud* L^4. [b] Sub Pio papa moderno, Philippo card. *etc. ut in anno* 1457 : P^2.

persona fratris Radulphi Milet, monasterii de Bonoportu monachi expresse professi, in abbatem monasterii de Loco Dei, Ambianensis dioecesis, per abbatem monasterii de Bello becco, s. th. pr., vice et auctoritate abbatis Fulcardimontis... *etc.*

9. Electionem, installationem et confirmationem de persona fratris Ioannis Garrigas, monachi Bonae cumbae, ad dignitatem abbatialem dicti monasterii Bonae cumbae, per abbatem de Candelio, ipsius monasterii immediate patrem abbatem, rite et canonice factas... *etc.*

10. Electionem, installationem et confirmationem de persona fratris Guidonis de Edua abbatis monasterii Caroliloci, ad dignitatem abbatialem monasterii Pontigniaci per reverendissimum in Christo patrem dominum Cisterciensem, ipsius monasterii immediate patrem abbatem, rite et canonice... *etc.*

11. Electionem, installationem et confirmationem de persona fratris Ioannis Boulengari, religiosi et presbyteri monasterii de Mortuo mari, in sacra pagina baccal., expresso professi, in abbatem eiusdem monasterii de Mortuo mari, per abbatem de Bello becco, s. th. pr., vice et auctoritate abbatis Ursicampi, s. th. pr., rite et canonice... *etc.*

12. Electionem, installationem et confirmationem de persona fratris Petri de Halescourt, monachi presbyteri monasterii de Bello prato, Belvacensis dioecesis, ad dignitatem abbatialem monasterii praedicti de Bello prato, per abbatem Ursicampi, s. th. pr., eiusdem monasterii de Bello prato patrem abbatem, rite... *etc.*

13. Ad idem, pro fratre Luca ad dignitatem abbatialem monasterii de Trizayo, per abbatem monasterii de Charone, vice et auctoritate domini Pontigniaci, factas... etc.

[DIFFINITIONES] GENERALES

14. Dum his diebus malis, frigescente caritate et crescente malitia, dietim varii et novi adversus Ordinem emergunt insultus, Ordinem ipsum ac ipsius exemptiones, libertates et privilegia enervantes, quibus per omne quod in ipso est generale Capitulum cupiens providere, statuit et instituit ambassiatam solemnem ad Sanctissimum Dominum nostrum ac Sanctam Sedem Apostolicam fore destinandam, et pro huiusmodi ambassiatae onere assumendo, ordinat et deputat dominum Clarae-

vallensem, s. th. pr., instituitque et ordinat magistrum Gaufridum de Alneto, s. th. pr., procuratorem generalem Ordinis in Curia romana, ad defendendum huiusmodi exemptiones, privilegia et libertates cum clausulis opportunis per dominum Cisterciensem postea plenius declarandis, et ad huiusmodi onera supportanda universis et singulis monasteriis utriusque sexus Ordinis universi, subsidium duorum millium ducatorum generale Capitulum imponit.

Clausula per dominum Cisterciensem declarata :

Nos vero, praefatus frater Ioannes abbas Cistercii tam vigore huiusmodi diffinitionis, quam auctoritate nostra paterna et plenaria, informati sufficienter de sufficientia, probitate, industria et circumspectione venerabilis et in Christo carissimi coabbatis nostri monasterii de Casa nova, eiusdem Ordinis,... *(locus vacuus)* dioecesis, ipsum tenore praesentium instituimus in tota natione italica huiusmodi diffinitionis executorem, dantes sibi et concedentes plenariam potestatem ac mandatum speciale, dehinc ad proximum generale Capitulum, visitandi, reformandi, corrigendi, instituendi, et destituendi omnia et singula, quae in monasteriis Ordinis utriusque sexus et cuiuscumque generationis existant in tota dicta natione italica constitutis, in spiritualibus et temporalibus, in capitibus et in membris invenerint esse visitanda, reformanda, corrigenda seu quomodolibet instituenda vel destituenda ; iura quoque libertates et privilegia Ordinis iuxta formam in statutis apostolicis et regularibus Ordinis traditam, tuendi et defendendi ; praefatorum insuper monasteriorum utriusque sexus regulares personas in foro conscientiae absolvendi cum poenitentia salutari ab omnibus et singulis peccatis, casibus et excommunicationum sententiis, nobis nostroque generali Capitulo specialiter reservatis, ac super irregularitatibus contractis cum ipsis dispensandi ; monasteriis denique monialium de confessoribus, capellanis et procuratoribus sufficientibus et idoneis providendi ; fugitivos quoque et apostatas ac alios Ordinis decus et honorem denigrantes, sumptibusque et expensis monasteriorum suorum, capiendi et incarcerandi, seu capi et incarcerari faciendi aut, alias iuxta suorum exigentiam peccaminum puniendi ; contributiones praeterea ipsis monasteriis impositas ac arreragia earumdem a decem annis et citra elapsa requirendi, petendi, exigendi, levandi et recipiendi, et ad solvendum per censuras Ordinis et

Ex ARCHIVO LEODIENSI *(Va)*

Diffinitio sup limitatione/moderatione/
z receptiōe/ɔtributionū/virtute/ mādati
aplici superius imediate positi.



Nos frater Johānes abbas Ci-
stercij ceteriqꝫ diffini-
tores capli gnālis cisterciēsis ordinis/ Notū
facim⁹ vniuersis qȝ in codē gnāli caplo die
xiiij. mēsis Septēbris. Anno dñi M.cccc.
xc. apud Cisterciū celebrato facta fuit que-
dā diffinitio cui⁹ tenor sequit/ z est talis.
Cum sicut in singulis cōmunitatib⁹ debi-
te gubernatis fieri cōspicit/partes vniuerse ꝓ toti⁹ subleuatio
ne/cōseruatione/ ꝓcuratione z defensiōe/nō solū substātie tpa
lis portionē/verūetiā qñqꝫ vitā dulcissimā exponāt. Ita qȝ ab
exordio sacri hui⁹ ordinis ꝑfes singulis annis ad ꝓcurāda tā-
ti ordinis negocia iuxta agēdoꝝ exigētiā/nedū imensos labo-
res/s z certas/magnasqꝫ sup quālibet ordinis monasterio pecuni-
ariū sōmas/qs ɔtributiōes vocabāt/ꝑsatis locoꝝ facultatib⁹
quālibet anno iponere/illasqꝫ tāqꝫ veri rei publice ordinis amato
res/vniuersi pmpto z hylari animo/ad gnāle caplm afferre cu
rabāt/Alioqn nūqꝫ tanta/tāqꝫ excellētia ipetrari [illegible]
in nos ipsi⁹ ordinis dec⁹ [illegible] moniā/ sub
limari valuissent. [illegible] tēporis in diuidēdis/ assignā
disqꝫ hmōi ɔtributionū sōmis sup quolibet monasterio/nōnū
qȝ graues inter deputatos ɔtrouersie seu dissensiōes oriebant/
z ventilabant. Pro pace z qete inter eos tpe fel. recordatio
nis dñi Bādicti pape.xij. sacri hui⁹ ordinis ꝓfessi/florētē ordi-
ne/z in suo vigore laudabilit subsistēre/ꝑfes sctā z religiosa co
gitatōe capiētes ordinē iugit pacē ec in suis libertatib⁹/ꝑ [illegible]

Ex libro PRIVILEGIORUM ORDINIS CISTERCIENSIS
impresso Divione a Petro Metlinger, 1491,
opera et impensa
Ioannis de Cireyo, Cistercii abbatis.

alias iuris et iustitiae vias, abbates et officiarios praefatorum monasteriorum constringendi et compellendi ; et nihilominus subsidium per nostrum generale Capitulum pro ambassiata ad Sanctissimum dominum nostrum, ut praemittitur, ipsis monasteriis et cuilibet eorum rationabiliter impositum secundum taxam inferius annotatam, per vos seu alium vel alios securum vel securos levandi et recipiendi, ac ad solvendum per huiusmodi censuras Ordinis ac alias iuris et iustitiae coercitiones huiusmodi abbates, abbatissas, officiarios et officiarias, ac procuratores eorumdem compellendi. Necnon monasteria tam virorum quam mulierum per nos inferius non taxata, vice et auctoritate praefatis, secundum valorem ipsorum monasteriorum rationabiliter taxandi, et ad solvendum summam per ipsum taxatam, ut praemittitur, compellendi ac de per vos receptis quittantias dandi ; et generaliter omnia et singula circa praemissa et ea tangentia sumptibus et expensis rationabilibus praefatorum monasteriorum, quos sibi solvi et refundi praecipimus et mandamus agendi, gerendi et exercendi, quae nos agere, gerere et exercere possumus, si praesentes personaliter essemus, invocato ad singula praemissa, si opus fuerit, quorumcumque iudicum ecclesiasticorum et saecularium auxilio et favore ; omnibus igitur et singulis praefatorum monasteriorum regularibus personis firmiter damus in mandatis in virtute salutaris obedientiae, ac sub excommunicationis poena, quatinus in praemissis et ea tangentibus seu quomodolibet dependentibus ab eisdem eidem de Casa nova assistant et pareant humiliter et devote. Sequitur taxa praedictorum monasteriorum. Datum sub sigillis nostro et Diffinitorum eiusdem Capituli, die, mense, anno et loco supradictis.

15. Generale Capitulum sufficienter informatum de desolatione monasterii de Cadunio, quod causantibus guerris ad tantam devenit penuriam, quod religiosi in eodem die noctuque divinis famulantes vix victum tenuem inde possunt habere ; consideransque quondam monasterium de Gondonio, quod pro nunc puram ad aream et mansuram redactum est, sub ipsius monasterii de Cadunio paternitate fuisse, ipsum monasterium quondam de Gondonio cum omnibus fructibus, iuribus, possessionibus et pertinentiis suis ipsi monasterio de Cadunio, idem generale Capitulum unit et incorporat, committens et mandans abbatibus de Dalone et de Petrosa, ac cuilibet eorum, quatinus

fratrem Guillelmum de Brussiaco, apostatam eiusdem monasterii de Gondonio, capiant seu capi faciant, et quilibet eorum capiat seu capi faciat, carceribusque mancipent et mancipari procurent, invocato, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis et favore, salvis constitutionibus et iuribus Ordinis.

16. Unionem monasterii de Sinaqua monasterio de Mansiade per reverendissimum in Christo patrem dominum Alanum, tituli Sanctae Praxedis, cardinalem Avenionensem vulgariter nuncupatum, in regno Franciae et Delphinatu Viennensi legatum de latere, factam, generale Capitulum gratam habens ipsam consentit, et quantum in ipso est, approbat et confirmat, ita tamen quod abbas eiusdem monasterii de Mansiade, qui est et qui pro tempore fuerit, quatuor religiosos sacerdotes cum suis servitoribus in dicto monasterio de Sinaqua ad divinum servitium peragendum in perpetuum continuare teneatur, salvis contributionibus et iuribus Ordinis.

17. Monasterium Vallis Sanctae omnino desolatum et destructum, quod R. in Christo pater dominus episcopus Cavallicensis ad se et suum episcopatum attrahere et unire nititur, praesens generale Capitulum certis ex causis ipsum moventibus unit et incorporat in perpetuum monasterio Bonae vallis Viennensis, cum omnibus iuribus, fructibus et pertinentiis suis, salvo iure abbatis Morimundi et contributionibus ac iuribus Ordinis.

18. Omnibus et singulis personis Ordinis sub inobedientiae poena inhibetur, ne cum fratre Ioanne Luardi, Ordinis sancti Benedicti, pro abbate monasterii de Feisia se gerenti, habitent, seu in aliquo communicent, quin potius fratri Ioanni Bajuli abbati dicti monasterii in licitis et honestis favorisent, et si quae bona ad ipsum monasterium spectantia receperint aut penes se habeant, eidem Bajuli restituant.

19. Processum inter abbatissam et monasterium de Bitumine et de Bons praesens generale Capitulum abbati de Casa nova committit decidendum, in plenaria Ordinis potestate, assumptis secum aliquibus Ordinis abbatibus, si sibi visum fuerit expedire.

20. Pensionem seniori abbati de Longovillari, qui citra annum resignavit, attenta sui corporis invalitudine, per patrem abbatem necnon modernum abbatem et conventum eiusdem monasterii de Longovillari factam et assignatam, praesens generale Capitulum ratificat, approbat et confirmat.

21. Attenta abbatis de Longovillari paupertate et debili-

tate corporis, praesens generale Capitulum ipsum benigne absolvit dehinc ad quinquennium a via Capituli generalis.

22. Fratrem Aegidium abbatem, Arnoldum priorem, Reginaldum bursarium, propter resistentiam quam abbati Signiaci, patri abbati eiusdem monasterii Vallis Sancti Lamberti in visitatione sua factam, ad praesens generale Capitulum citatos, idem Capitulum reputat contumaces, mandando et committendo abbatibus de Villari et de Alna et cuilibet eorum quod eosdem abbatem, priorem, bursarium ac suos fautores et complices coram ipsis citent ad videndum se declarari huiusmodi contumaciam incurrisse, alterque eorum et quemlibet eorum puniant, prout viderint secundum exigentiam casuum expedire.

23. Cum [c] secundum Ordinis nostri privilegia etiam novissime a Summo Pontifice innovata [d] et confirmata, nulla persona, etiam si cardinalatus fungatur dignitate, monasteriis nostri Ordinis praeesse, aut [e] ipsa in commendam, sive alias quovismodo possit tenere, praesens generale Capitulum sub poena excommunicationis latae sententiae et carceris perpetui fratri Philippo de Lasa in abbatem de Columna electo inhibet, ne quovismodo concordet, seu ius suum tranportet [f] in dominum protonotarium de Perusio [g], aut in alium quemcumque, qui non sit de Ordine nostro [h]; citatque ipsum Philippum [i] praesens Capitulum ad 20^m^ diem postquam praesentes litterae sibi fuerint praesentatae, coram domino Cistercii in Cistercio personaliter, omni excusatione postposita, compariturum, responsurumque ad omnia et singula quae contra ipsum proponentur ; et si opus est, ad videndum se deponi, si sua exigant demerita, sub debitis protestationibus et clausulis opportunis, mandando abbati de Misericordia Dei, ut hanc diffinitionem per se vel alium quantocius sibi praesentet et executioni demandet, quae inde fecerit praefatum dominum Cisterciensem debite certificaturus.

24. Visis et auditis sufficienter partibus, ac processibus diligenter examinatis, praesens Capitulum generale diffinit et declarat fratrem Antonium Martelli fore et esse indubitatum monasterii Aquaebellae abbatem et fratrem Guidonem Lenandi nullum

[c] Quoniam : *MP*². [d] donata : *MP*². [e] et : *M*. [f] transferat : *M*. [g] Pusio : *MP*². [h] *hic desin.* M. [i] *hic desin. P*².

ius in eodem habere, quapropter super ipsius impetitione ipsi fratri Guidoni perpetuum imponit silentium.

25. Quia unusquisque de sibi commissis fidelem tenetur reddere rationem, praesens generale Capitulum praecipit et mandat sub poenis et censuris Ordinis, abbati de Lenin, s. th. pr., qui aliquibus annis in officio provisoratus collegium Sancti Iacobi Eidelbergense rexit, quatinus pro annis quibus rexit, provisori et collegio infra duos menses ab intimatione praesentis diffinitionis, fideles reddat computationes; executionem praesentis diffinitionis abbati de Sconovia, s. th. pr., committendo.


26. Abbati[ssae] de Monasteriolo districte praecipit praesens generale Capitulum, ne de cetero libros sui monasterii sic faciliter et communiter concedat, praesertim cum, ut fertur, occasione ista saepius alienentur aut deteriorentur, ne etiam sine scientia et praesentia conventus aliquid [j] sigilletur.

27. Generale Capitulum per dominum Morimundi, s. th. pr., informatum super poenitentia et emendatione fratris Engelhardis, monasterii de Ebraco monachi expresse professi, ipsum rehabilitat ad omnes Ordinis actus legitimos, abbatiali dignitate seclusa, remittitque ad proprium monasterium, praecipiendo abbati eiusdem monasterii quatinus ipsum absque aliqua poenitentia recipiat, et tamquam ovem propriam foveat et nutriat.

28. Priorissis de Villaribus Caniveti et de Mauritonio inhibet Capitulum generale sub poena convicti de contagio carnis, ne amodo permittant suos procuratores saeculares infra claustra ipsorum monasteriorum habitare, sed in locis ab ipsis claustris separatis et remotis habitationes eorum disponantur.

29. Difficultates varias in processu tam contendentium super abbatiatu monasterii Caroliloci, quam super rebellionibus et iniuriis domino Pontigniaci, patri abbati eiusdem monasterii Caroliloci, per religiosos dicti monasterii factis, propter singularum partium ad praesens generale Capitulum minime citatarum absentiam, idem generale Capitulum minus commode dissolvere et decidere valens, et nihilominus variis cupiens incommodis obviare, quae praefato Caroliloci monasterio possent evenire, si processus huiusmodi tractum caperent longiorem, abbatibus de Prulliaco, de Ursicampo, s. th. pr., iam per dominum Cistercii

[j] aliquando sigillentur : *MP*².



commissis, praesens generale Capitulum coniunctim et divisim et duobus eorum, altero praepedito, committit decidendos et fine debito terminandos, necnon sententiendum et diffiniendum in huiusmodi processibus, in plenaria Ordinis potestate ; quam quidem diffinitionem partis huiusmodi, seu eorum procuratores consenserunt et quod id fiat communibus huiusmodi expensis ad invicem concluserunt et promiserunt, in praesentia et manibus dominorum notariorum praesentis Capituli hic signatorum.

30. Visitationem et reformationem omnium et singulorum monasteriorum Ordinis utriusque sexus et cuiuscumque generationis existant in tota natione Hispanica, lingua Auxitana et Vasconia, necnon certis aliis provinciis postea nominandis consistentium, domino Morimundi, s. th. pr., praesens generale Capitulum committit cum clausulis opportunis per dominum Cisterciensem plenius declarandis.

31. Generale Capitulum sufficienter informatum super temeraria praesumptione fratris Petri Ribrega, monachi de Obasina, qui abbate monasterii de Valeta in Curia romana existente, manu armata idem monasterium de Valeta intrasse, eique varia damna et incommoda intulisse, ac officium abbatis in die Cenae Domini in eodem monasterio exercuisse temerarie ausus est, ipsum fratrem Petrum decernit et mandat carceribus durissimis retrudendum, abbati de Cadunio praecipiendo, quatinus ipsum fratrem Petrum capiat et huiusmodi poenam sibi infligat, invocato ad hoc si necesse fuerit auxilio brachii saecularis.

32. Ad humilem supplicationem et instantiam abbatis Ursicampi, s. th. pr., cum fratre Philippo Carpentarii, monacho eiusdem monasterii Belliloci *(sic)* per generale Capitulum misericorditer dispensatur, ut non obstante vitio incontinentiae, de quo notatus est, ad omnes Ordinis actus legitimos, voces, dignitates et officia, si sua exigant merita, et ad hoc suorum superiorum intervenerit consensus, promoveri valeat et assumi.

33. Ad idem, pro fratre Ioanne Hericourt eiusdem monasterii professo, qui per quadriennium vel circiter habitu regulari apostatavit dimisso.

34. Ad idem, pro fratre Aegidio Ruelle, eiusdem monasterii professo, qui de nocte de dormitorio descendit et octo aut decem dies apostatavit.

35. Ad idem, pro fratribus Gerardo de la Roye, Gerardo de

Monstreul et Ioanne Daret, quorum quilibet apostasiam incurrit, et Ioanne de Fienens.

36. Attento senio et corporis invalitudine abbatis Ursicampi, s. th. pr., generale Capitulum ipsum misericorditer absolvit de cetero a via Capituli generalis.

37. Abbati de Cadunio praesens generale Capitulum committit, quatinus se informet an frater Antonius de Combessosa, monachus monasterii Obasinae, falsificaverit seu contrafecerit et executioni demandare facere per fratrem Petrum Ribrega, monachum eiusdem monasterii Obasinae, et si ipsum culpabilem in praemissis invenerit, ipsum secundum iura et statuta Ordinis puniat, in plenaria Ordinis potestate.

38. Nos frater Ioannes, abbas Cistercii, commissionem regiminis, curae et administrationis monasterii de Penthemont pro fratre Roberto de Marissel [k], per coabbatem nostrum monasterii de Regalimonte, s. th. pr., ac fratrem Iacobum priorem monasterii nostri Cistercii, prout in litteris quibus nostrae praesentes annectuntur, plenius continetur, ratificamus, confirmamus et approbamus per praesentes. Datum...

39. Nos et cassationem pensionis, in litteris quibus nostrae praesentes annectuntur, contentae, per coabbatem nostrum de Regalimonte, s. th. pr., ac fratrem Iacobum priorem... *etc. ut supra.*

40. Domino Claraevallensi, s. th. pr., et abbati de Moris ac cuilibet eorum per se et in solidum, per generale Capitulum committitur, quatinus abbatem Trium fontium per censuras Ordinis compellant et quilibet eorum compellat ad satisfaciendum et solvendum fratri Michaeli de Laudas, monacho Cistercii et rectori domus Cistercii in Divione existentis, summam septem coronarum auri, de resta decem coronarum auri fratri Petro de Flinis tunc abbati dicti monasterii Trium fontium, per eumdem fratrem Michaelem concessorum et sibi debitorum, in plenaria Ordinis potestate.

41. Sub poena excommunicationis latae sententiae priori, suppriori, cellerario, omnibusque et singulis monachis monasterii de Obasina, per generale Capitulum inhibetur ne aliquos Ordinis religiosos ad commorandum in eodem monasterio recipiant,

---

[k] Marisset : P^2.

absque suorum abbatum licentia petita et obtenta, et quos iam receperunt, maxime illos de Cadunio, ad proprium abbatem et monasterium sub eadem poena indilate remittant.

42. Diffinitionem anno elapso per generale Capitulum factam et conclusam, per quam ipsum Capitulum provisionem de persona fratris Petri de Gain (Gay, *cf. ann.* 1457, n. 46) ad monasterium de Cadunio ratificabat et approbabat electionem de persona fratris Ioannis de Paes, alias de Petra, nullius valoris et efficaciae declarando, ei sub poena excommucationis perpetuum silentium imponendo, praesens generale Capitulum innovat et approbat, abbatibus de Dalone et de Petrosa et cuilibet eorum in solidum expresse committendo, quatinus ipsam diffinitionem executioni demandent, in plenaria Ordinis potestate.

43. Quia, proh dolor! his diebus multa Ordinis monasteria in commendam per dominos cardinales et ceteras personas, quae habitum et formam religionis nostrae minime gerunt, detinentur et occupantur, ratione cuius monasteria ipsa et ipsi subdita plurima reformatione indigent et visitatione, praesens generale Capitulum praecipit et mandat patribus abbatibus illorum monasteriorum sic detentorum, quatinus tam ipsa monasteria detenta quam sibi subdita visitent et reforment, quod si contingat sibi per mortem aut alias abbate destitui, de persona idonea et sufficiente, electione canonica interveniente, provideant.

44. Abbatibus de Crista, de Longovado et de Moris et cuilibet eorum per se et in solidum committit generale Capitulum, quatinus omnes abbates et abbatissas, utriusque sexus Ordinis personas, quos et quas alter eorum invenerit domino abbati Claraevallensi, s. th. pr., et eius monasterio in aliquibus pecuniarum summis vel rebus aliis quibuscumque obligatos, seu debite teneri, per censuras Ordinis et alia iuris et iustitiae remedia ad satisfaciendum eidem et suo monasterio viriliter et debite compellat, in ipsius Capituli generalis plenaria potestate.

45. Ad idem, pro priorissa et conventu de Villers de Canivet, abbatibus de Claravalle, de Bellobecco, s. th. pr., et de Valloriis, et cuilibet in solidum.

46. Cum dudum per generale Capitulum bona mobilia et immobilia monasterio Vallis Dominae, Coloniensis dioecesis, monasterio Montis Sanctae Walburgis, eiusdem dioecesis incorporata pariter fuerint et subiecta, utpote quia praemissum monasterium... *(locus vacuus)* desolationi et ruinae subiacebat, prae-

sens generale Capitulum praemissam diffinitionem innovando et confirmando praecipit et mandat de Hymenrode et de Heysterbach monasteriorum abbatibus, quatinus diffinitionem ipsam secundum sui formam et tenorem ad plenum executioni demandent, ipsumque monasterium Montis Sanctae Walburgis in bonis, iuribus et possessionibus ipsis manuteneant ; verum quia reverendus pater dominus Coloniensis archiepiscopus praemissa bona mobilia et immobilia monasterio et conventui in Marienforst, Ordinis sanctae Brigidae, applicuit, vultque pro recompensatione bonorum praemissorum dare praemisso monasterio in diversis redditibus valorem 150 florenorum, praemissis abbatibus de Hymenrode et de Heysterbach mandat etiam praesens generale Capitulum, quatinus debite se informent de valore reddituum praemissorum, et si invenerint per ipsam informationem dictos redditus aequivalere bonis per ipsum detentis, praemissum tractatum approbent et confirment, in plenaria Ordinis potestate.

47. Committitur per generale Capitulum domino Morimundi, s. th. pr., quatinus sub censuris Ordinis compellant de Pomerio et de Novo castro monasteriorum abbates, ac eorum conventus ad satisfaciendum monasterio et conventui de Bello prato Metensis dioecesis, de duobus quartis vini de Alsatia, in quibus eidem monasterio annuatim obligantur secundum formam et tenorem sententiae per dominum Cisterciensem super hoc confectae.

48. Abbatibus de Ursicampo, s. th. pr., et de Valle regis, et eorum cuilibet in solidum committit praesens generale Capitulum, quatinus quantocius commode poterunt, personaliter accedant ad monasteria de Fusniaco et de Signiaco in moribus et religione, ut fertur, plurimum desolata, ibique visitent, corrigant et emendent, quae corrigenda veniunt et emendanda, in plenaria Ordinis potestate.

49. Ad idem, pro abbate et conventu monasterii de Ursicampo, de Tribus fontibus, de Caricampo et Longoponte monasteriorum abbatibus.

50. Abbatibus de Mortuomari et de Bonoportu et cuilibet eorum in solidum committit praesens generale Capitulum, quatinus diligenter se informent an contractus, cui praesens diffinitio annectitur, sit rite et legitime ac pro utilitate monasterii de Bellobecco factus et initus, ipsum confirment et approbent, in plenaria Ordinis potestate.

51. Ad idem, abbati de Misericordia Dei et de Baugesio per generale Capitulum committitur, quatinus se informent, an tractatus cui praesens diffinitio annectitur, sit rite et canonice, ac pro utilitate monasterii de Stella... *etc. ut supra.*

52. Licet per Capitulum elapsum de Sancto Andrea, de Alneto, de Barbereyo, de Valle Richerii monasteriorum abbates, sub censuris Ordinis et aliis poenis in *Benedictina* contentis et expressis, moniti forent, quatinus quilibet eorum unum scolarem ad collegium Sancti Bernardi Parisius, cum decenti provisione infra tempus praefixum et determinatum tansmitterent, praesens generale Capitulum eorum paupertati et desolationi condolens, et praesertim cum feratur quemlibet eorum in Cadoniensi studio unum vel duos studentes iam actu tenere, eis de gratia speciali permittit, quod in ipso Cadoniensi studio suos scolares usque ad decennium dumtaxat sic tenere possint, quod non alibi transmittere compellantur, eisdem tamen sub censuris Ordinis praecipiendo, quod ad minus quilibet eorum unum ibidem indefectibiliter manuteneat, praesentis diffinitionis executionem magistro Gaufrido de Alneto, s. th. pr., committit praesens generale Capitulum, in plenaria Ordinis potestate.

53. Quoniam per Capitulorum generalium celebrationem mores reformantur, virtutes promoventur et vitia corriguntur, et unitas Ordinis conservatur, praeterquam primi patres Ordinis institutores abbatibus Capitula generalia tempore suo non visitantibus diversas poenas infligendas statuere, quas poenas Summi Pontifices ratas habentes, novas etiam poenas superaddere, quibus non obstantibus tam plurimi abbates nec Capitulum ipsum visitant generale, nec se excusant, poenas ipsas ipso facto incurrentes, super quo providere volens praesens Capitulum generale et Ordinem ad suam primaevam puritatem et sanctitatem reducere cupiens, per praesentes citat peremptorie omnes et singulos abbates Ordinis universi ad comparendum personaliter in proximo Capitulo generali, cessante legitimo impedimento, et ubi legitime fuerint impediti, per suos procuratores iuxta formam Ordinis legitime fundatos, et omnes et singulos abbates in ipso Capitulo non comparituros per se, ut fertur, aut suos procuratores : Ex nunc prout ex tunc praesens Capitulum declarat poenas Ordinis incurrisse, ipsosque ad minus suspendit, quoadusque iuxta Ordinis statuta debite Ordini suo satisfecerint, cum protestatione de ulteriore processu contra ipsorum

quemlibet fiendo, et sub aliis clausulis fiendis, committitque praesens generale Capitulum domino Cistercii et quatuor primis, quatinus praesentem diffinitionem ubilibet debitae executioni demandare debeant.

54. Item, timentes illius prophetae comminationem « quia scientiam repulisti, repellam te ne sacerdotio fungaris », in abbates Ordinis universi, qui scolares ad studia generalia non miserint, prout in *Benedictina* continetur, poenas in ipsa contentas, nisi infra duos menses a data praesentium debitum suum fecerint, praesens Capitulum generale incurrisse declarat, visitatoribus omnibus et singulis praecipiendo, ut super hoc debite attendant et defectuosos debite puniant.

55. Item, quia contributiones et subsidia in Capitulis generalibus ideo institui consueverunt ut Ordo in suo esse conservetur, propter quod contributiones et subsidia non solventes tempore debito diversas poenas excommunicationis et suspensionis ipso facto incurrisse declaraverunt Summi Pontifices et Ordo ipse, super hoc multa decreta dederunt, prout ex ipsis statutis eius clarius patet ; quibus non obstantibus tam plurimi abbates reperiuntur super hoc negligentes et inobedientes, alii contributiones et subsidia penitus non solvendo, alii vero quottas sibi impositas non curando, sed ad beneplacitum modicum quid conferendo, et Ordinem semper in aliquo defraudando, super quo providere volens praesens generale Capitulum et animarum saluti consulere, abbates et officiarios monasteriorum Ordinis universi, qui quottas contributionum sibi impositas iuxta registra Ordinis antiqua solvere recusaverint, aut contempserint, postquam super hoc debite fuerint requisiti, praesens Capitulum generale poenas in statutis Ordinis contentas ipso facto incurrisse declarat, ipsos et eorum quemlibet a divinis suspendendo, et si animo indurato per quindenam sententiam suspensionis sustinuerint, eorum quemlibet his in scriptis suspendit ab omni administratione spirituali suarum domorum, quousque quod praecipitur opere compleant, illis solum exceptis cum quibus auctoritate Capituli generalis fuerit in parte vel in toto dispensatum ; allegantes consuetudines tamquam conspiratores puniantur, committitque praesens generale Capitulum domino Cistercii et quatuor primis, quatinus praesentem diffinitionem per se aut alios debitae executioni demandare debeant.

56. Abbatatum *(sic)* praesens generale Capitulum citat ad

comparendum personaliter in proximo Capitulo generali, semota penitus omni excusatione.

57. Item, cupiens Ordinem ad suam primaevam ducere sanctitatem, sub poenis in antiquis statutis Ordinis contentis, inhibet praesens Capitulum generale abbatibus et regiminum praesidentibus Ordinis universi, ne amodo permittant quascumque mulieres cameras suas intrare, aut loca regularia frequentare, nisi prout in ipsis antiquis statutis continetur.

58. Item, quia plurimae moniales habitum non deferunt saltem suo Ordini competentem, sub poena apostasiae et excommunicationis praecipit et mandat praesens Capitulum generale abbatissis et monialibus Ordinis universi, quatinus amodo portent et deferant tempore laboris tunicam albam et scapulare nigrum desuper, et alio tempore cucullam honestam, et desuper rotundam et bene sutam ; et quibus conceditur portare mantellum, quod ipsum portent honeste et sine longa cauda ; praecipiendo sub poena depositionis ipsis abbatissis et monialibus, ne quascumque personas masculini sexus permittant in suis cameris aut domibus pernoctare, sed [1] quod domos suas teneant bene serratas, completorio decantato, sic quod nec ipsae exire, nec aliquis ad ipsas intrare valeat.

59. Item, quia in multis monasteriis monialium paucissimae et quasi nullae habitant moniales, propter quod multa bona distrahuntur et deperduntur, multaeque litterae sigillantur in praeiudicium monasteriorum non modicum, praesens generale Capitulum statuit et ordinat quod in monasteriis illis in quibus dumtaxat sunt tres aut quatuor moniales vel quinque, sigillum conventus penes visitatorem ipsarum aut viciniorem abbatem custodiatur, et nulla littera sigilletur ipso sigillo conventus, nisi de licentia et consensus ipsius abbatis ; omnes vero alias litteras sigillatas praesens generale Capitulum cassat, irritat et annullat.

60. Item, quia ex obligatione abbatum nimium Ordo gravatur, et eiusdem privilegia enervantur, sub poena depositionis ipso facto a suis dignitatibus inhibet praesens Capitulum generale abbatibus, abbatissis, aliisque Ordinis personis universi, ne amodo se et sua submittant iurisdictioni cuiuscumque personae,

---

[1] sicque : *MP*[2].

cuiuscumque provinciae existant, etiam si rex, dux aut episcopus, nisi iurisdictioni sui Ordinis aut Capituli generalis.

61. Item, Capitulum generale notum facit universis se habere privilegium, qualiter abbas aliquis aut Ordinis monachus, non obstante quod sit capellanus honoris Summi Pontificis aut alicuius ex dominis cardinalibus, quod per hoc non eximitur a iurisdictione, punitione et correctione suorum Praelatorum et Capituli generalis, ac si capellanus huiusmodi non foret ; praesens Capitulum generale praecipit et mandat sub poena apostasiae debita fratri Ioanni Heysten, s. th. pr., quatinus infra duos menses a data praesentium se praesentet domino Morimundi, s. th. pr., aut quod sibi manifestet qualiter a sua professione fuerit absolutus.

1459

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono, statuta sunt haec apud Cistercium in generali Capitulo.

1. Ad insinuationem domini Claraevallis, s. th. pr., absolutio sororis Margaretae Sinols, monialis monasterii de Camera, eidem domino Claraevallis subiecti, quae ultra triennium sibi a sua abbatissa praefixum et limitatum in prosecutione abbatialis dignitatis monasterii de Bindre remansit, eidem domino Claraevallensi committitur ; et nihilominus ad ipsius domini Claraevallis supplicationem per generale Capitulum rehabilitatur, si opus est, ad omnes Ordinis actus legitimos, voces, gradus, officia et dignitates, etiam abbatiali dignitate inclusa.

2. Domino Cistercii et quatuor primis, aut tribus eorum, altero non existente vel legitime impedito, coniunctim praesens generale Capitulum committit, quatinus in facto procurationis generalis Ordinis in Curia romana ordinent, et si opus fuerit, novum procuratorem, auctoritate totius Capituli ac si sederet, eligant et instituant, ceteraque circa huiusmodi faciant et ordinent,

---

1459. *Fontes* : L^4 : 1-105 ; *M* : 41, 79 ; P^2 : 2, 7, 8, 41, 55, 76 *(abbrev.)*, 79, 86, 96 *(abbrev.)*. [a] *Titulus apud* L^4 ; *apud* P^2 *legitur in marg.* : Pio II papa ; Guidone IV abb. Cistercii 40.

quaecumque ipsum Capitulum debite congregatum facere aut ordinare posset.

3. Abbates de Paradiso, de Blesolb, de Premant, de Obra, de Lucka, de Landa, per generale Capitulum dehinc ad triennium misericorditer absolvuntur a via Capituli generalis, et similiter a missione studentium ad studium generale, sic tamen quod unusquisque eorum aliquem doctum virum in monasterio suo teneat, qui suos iuvenes in primitivis instruat, sub conditione etiam quod, attentis oneribus et agendis Ordinis pro tuendis et defendendis privilegiis et libertatibus Ordinis, solvendisque debitis pro nunc Ordini incumbentibus, contributiones ipsos concernentes integraliter receptoribus deputatis, et sub poenis in statutis papalibus et regularibus Ordinis contentis annuatim solvere tenebuntur.

4. Abbatibus de Valloliis et de Longo villari per generale Capitulum committitur, quatinus diligenter se informent an traditio certae quantitatis terrarum et pratorum monasterii de Caricampo pertinentium, ad censum perpetuum, nonnullis colonis saecularibus, sit ad utilitatem dicti monasterii Caricampi, de his quae super hoc invenerint generale Capitulum proxime futurum informaturi.

5. Abbati de Campania conceditur per generale Capitulum, quatinus suum monasterium resignare valeat in manus sui patris abbatis, aut eius commissarii, qui pater abbas vel commissarius pensionem abbatibus sponte cedentibus et bene meritis assignari solitam sibi assignare possit, in plenaria Ordinis potestate.

6. Generale Capitulum abbatibus de Hymenrode et de Heysterbach committit, quatinus diligenter se informent et examinent, an tractatus concordiae passatus et initus inter reverendissimum patrem dominum archiepiscopum Coloniensem et priorem ac conventum monasterii Beatae Mariae in Monte Sanctae Walburgis, super recompensatione quorumdam bonorum iurium quondam monasterio monialium Vallis Dominae, per incendium totaliter desolato, pertinentium, quae idem dominus Coloniensis monasterio in Marienforst, Ordinis Sanctae Brigidae, applicavit, et pro recompensatione huiusmodi duas ecclesias parochiales eidem prioratui Sanctae Walburgis incorporavit, et insuper certum subsidium ad redimendum quamdam curtem eidem prioratui pertinentem dominus archiepiscopus assignare intendit ; quod si huiusmodi tractatum pro utilitate

dicti prioratus Sanctae Walburgis invenerit esse factum, ipsum cum omnibus ad id necessariis requisitis praeconceptis et conclusis, concipiendis seu concludendis hanc materiam concernentibus, confirment et corroborent ac decretum suum apponant, in plenaria Ordinis potestate.

7. Visitatio, reformatio et correctio prioratuum Ordinis in partibus Brabantiae, Hollandiae et dioecesi Trevirensi consistentium, abbati Veteris campi praesens generale Capitulum hinc ad decennium committit, per hoc tamen non excludit idem Capitulum quin dominus Cistercii ad dictos prioratus visitatores et reformatores, quotiens sibi opportunum videbitur, dum tamen non sint de Frisia, destinare possit.

8. Abbati Ursicampi, s. th. pr., per generale Capitulum committitur, quatinus se informet et inquirat an traditio certarum mansurarum prioratui de Gaudio pertinentium, ad 60 annos, sit pro utilitate eiusdem monasterii ; quod si ita esse invenerit, illam confirmet et corroboret, plenaria Ordinis potestate.

9. Processum inter abbatissas et conventus monasteriorum de Bitumine et de Bons pendentem, propter involutiones varias et multiplicia agenda praesens generale Capitulum minime commode terminare valens, abbatibus de Monte Sanctae Mariae et de Altocristo idem Capitulum committit, in plenaria ipsius Capituli potestate, decidendum et determinandum, districte eisdem praecipiendo, quatinus infra spatium quatuor mensium ab inchoatione sui processus computandum ipsum terminent, et ad hoc ipsas partes et quamlibet earum sub poena cadendi compellant.

10. Fratrem Cornelium Stueyte, monasterii de Loco Sancti Bernardi monachum expresse professum, propter suas ambitiones, inobedientias et alia crimina ad praesens generale Capitulum citatum, et non comparentem, idem Capitulum reputat contumacem, ipsumque declarat inhabilem ad quaecumque beneficia in Ordine obtinenda, abbati eiusdem monasterii de Loco Sancti Bernardi sub poena excommunicationis districte praecipiendo, quatinus ipsum fratrem Cornelium monachum suum ad proprium claustrum revocet ipsum nec ab ipso claustro eum exire permittat absque licentia et mandati Capituli generalis, et nihilominus citatur idem abbas ad proximum generale Capitulum, super his quae fecerit in praemissis et aliis tunc per promotorem causarum ipsius Capituli sibi proponentur responsurus ; quam quidem diffinitionem dominus Igniaci per se vel alium intimabit.

11. Sententiam, ordinationem et diffinitionem in materia monasterii Caroliloci per abbates de Prulliaco, de Ursicampo et de Vallibus Sernaii, virtute diffinitionis anno novissime lapso editae, datas et latas, per quas institutio et provisio per dominum Cisterciensem, tunc abbatem Pontigniaci, de persona fratris Petri de Vireyo in abbatem eiusdem monasterii Caroliloci confirmata, et certa pensio fratri Roberto de Thorigniaco eiusdem monasterii monacho assignata est, prout in litteris super hoc confectis, quibus praesens diffinitio annectitur plenius cum suis clausulis, praesens generale Capitulum ratificat, approbat et confirmat, omniaque et singula in huiusmodi litteris contenta a partibus, prout quamlibet tangit, praecipit inviolabiliter observari.

12. Ad instantiam et humilem supplicationem abbatis de Valle Beatae Mariae cum fratre Guillelmo Carrelier, eiusdem monasterii de Vallae Beatae Mariae monacho expresse professo, per generale Capitulum misericorditer dispensatur, ut non obstante inhabilitate ac infamiae nota, quam usque in praesentem incurrit, ad omnes Ordinis actus, legitimos, gradus, voces et officia, etiam abbatiali dignitate inclusa, promoveri valeat et assumi.

13. Ad idem, pro fratre Roberto Gallop, eiusdem monasterii monacho expresse professo, qui per duos menses vel circiter apostatavit.

14. Ad idem, pro fratre Guillelmo Lemperet, monasterii de Regali monte monacho expresse professo, qui per sex menses vel circiter apostatavit.

15. Ad idem, pro fratre Ioanne Kantz, monasterii de Fonte regis monacho expresse professo, qui de contagio carnis convictus est.

16. Ad idem, pro sorore Suzanna de Flachsland, moniali monasterii Horti Dei.

17. Ad idem, pro fratre Georgio de Bochoute, monasterii de Capella Thosan, qui bis apostatavit.

18. Ad idem, pro fratre Guillelmo Jubin et Carolo de Fonte, monasterii de Fonte Danielis monachis, in contagio carnis deprehensis.

19. Ad idem, pro fratre Roberto Bernardi, monasterii de Nigro lacu monachi expresse professi, qui pluries apostatavit.

20. Ad idem, pro fratre Ludovico de Tornaco, monasterii de

Fusniaco monacho expresse professo, qui manus violentas in clericum saecularem usque ad effusionem sanguinis iniecit.

21. Ad idem, cum fratribus Ioanne Morel et Iacobo Lernoul, monasterii de Frigido monte professis, in furto deprehensis.

22. Ad idem, cum fratre Christophoro de Sancto Audomaro, monasterii Ursicampi monacho expresse professo, qui per spatium trium mensium apostatavit.

23. Ad idem, cum fratre Ioanne de Hericourt, monasterii de Belloprato monacho expresse professo, qui per triennium apostatavit.

24. Ad idem, cum sororibus Margareta Gressem, Barbara Seckendorff, cognomento Aberdrem, Agnete Vescembergen, monasterii monialium in Pirckenfeldt, in contagio carnis deprehensis.

25. Ad idem, cum sorore Joya Houst, moniali monasterii de Belloprato super Lisam, in carnis contagio deprehensa.

26. Ad idem, cum sorore Ioanna Deulle, monasterii monialium de Monstreolo moniali, in contagio carnis deprehensa, puerperiis inde secutis.

27. Ad idem, pro fratre Theobaldo... monacho monasterii de Precibus, in contagio carnis et conspiratione deprehenso.

28. Ad idem, pro fratribus de Malines, Nicolao de Tourpes et Ioanne de Namurco, monasterii de Alna professis.

29. Ad idem, pro fratre Ioanne Lathomi, monacho monasterii de Laude, pro apostasia et furto.

30. Ad idem, pro fratre Ioanne Dodot, monacho monasterii de Maceriis, in contagio carnis deprehenso.

31. Ad idem, pro fratre Ioanne Belleuses, monacho de Frigido monte, pro apostasia bina vice.

32. Ad idem, pro fratribus Guillelmo Cardon, Ioanne de Waucourt et Matheo Raudoul, monasterii de Gardo professis, pro apostasia.

33. Ad idem, pro fratre Balduino Caulier, monacho de Moris, pro apostasia et irregularitate.

34. Ad idem, pro fratre Stephano du Tartre, monacho de Curia Dei, in contagio carnis deprehenso.

35. Ad idem, pro fratre Iacobo Laurentii, monacho de Cambrone pro apostasia.

36. Ad idem, pro fratre Petro Kerii, monasterii de Sconovia professo, pro apostasia.

37. Ad idem, pro fratre Volmaro, monasterii de Veteri monte professo, in carnis contagio deprehenso.

38. Abbati de Sconovia, s. th. pr., per generale Capitulum committitur, quatinus se informet super casibus per fratrem Martinum de Wila, monasterii de Bebenhusen monacho, huiusmodi informatione facta, et ipso audito, aut ipsum absolvat aut ad Sedem Apostolicam remittat absolvendum.

39. Generale Capitulum abbatibus de Mulbruno et de Sconovia, s. th. pr., committit, quatinus indulgentiam per dominum Morimundi, s. th. pr., abbati de Bebenhusen datam super venditione quorumdam bonorum minus utilium, confirment et defectus suppleant, in plenaria Ordinis potestate.

40. Abbati de Bonomonte sub poena periurii et depositionis inhibet Capitulum generale, ne aliqualiter vendat aut alienet hommagia suo monasterio pertinentia.

41. Praecipitur omnibus et singulis patribus abbatibus, quatinus habeant inventoria omnium et singulorum librorum et iocalium monasteriorum utriusque sexus sibi subditorum.

42. Domino Morimundi, s. th. pr., visitationem omnium et singulorum monasteriorum Ordinis, utriusque sexus et cuiuscumque generationis existant in regnis et dominiis illustrissimorum principum dominorum regum Castellae, Legionis, Arragoniae, Valentiae, Portugalliae et Navarrae, necnon in Acquitania, Gasconia, Lingua occitana, Provincia, Delphinatu et partibus circumvicinis consistentium, praesens generale Capitulum committit in plenaria Ordinis potestate, omnes commissiones quoad monasteria totius nationis germanicae et suae generationis hactenus sibi datas ratificando, confirmando et approbando.

43. Generale Capitulum sufficienter informatum super diversis criminibus fratrum Ioannis de Bulsincourt, Ioannis de Pinteolis, Petri de Sancto Quintino, Petri de Alneto et sibi adhaerentium, professorum monasterii de Signiaco, ipsos et quemlibet ipsorum denuntiat et declarat excommunicatos, periuros et tamquam conspiratores puniendos, domino abbati Igniaci, patri abbati dicti monasterii de Signiaco, committendo quatinus reverendissimum in Christo patrem dominum archiepiscopum Remensem cum omni reverentia rogitet et requirat, ut huiusmodi fratres per totam suam dioecesim excommunicatos dignetur facere publicari.

44. Generale Capitulum committit domino abbati Igniaci,

quatinus quantocius commode poterit ad monasterium de Valle Sancti Lamberti accedat, visitet et reformet, diffinitionesque ad requestam fratris Guillelmi, abbatis Signiaci, in Capitulo generali novissime lapso editas exsequatur, in plenaria Ordinis potestate.

45. Conceditur per generale Capitulum abbati de Alta cumba, quatinus omnes et singulos sui monasterii religiosos, necnon moniales sibi subditas pro semel in foro conscientiae possit absolvere ab omnibus et singulis casibus eidem Capitulo reservatis, dispensandique super irregularitatibus per eos contractis, in plenaria ipsius Capituli potestate ; a casibus vero Sanctae Sedi Apostolicae reservatis ipsos nullatenus absolvere praesumat.

46. Abbati de Veteri cella et de Buch per generale Capitulum committitur, quatinus diversitatem inter abbates de Lennin, s. th. pr., et de Walkenrode exortam, sedent et pacificent, in plenaria Ordinis potestate.

47. Committitur abbatibus de Dolbran et de Puro campo per generale Capitulum, quatinus se informent de statu monasterii Novicampi et diversitate inter abbatem de Lennin, s. th. pr., et de Novo campo exortam... *etc. ut supra.*

48. Generale Capitulum committit domino abbati Igniaci, quatinus computationes sororis Ioannae Martinae, alias monasterii de Vivario abbatissae, diligenter et fideliter, vocatis vocandis et praesertim moderna abbatissa, audiat, quod si invenerit praedictam modernam abbatissam et suum conventum praedictae sorori Ioannae Martinae in aliquibus pecuniarum summis obligatam, ipsam modernam abbatissam et suum conventum ad satisfaciendum eidem sorori Ioannae per censuras Ordinis compellat, in plenaria Ordinis potestate.

49. Domino Pontigniaci per generale Capitulum committitur visitatio et reformatio omnium et singulorum monasteriorum suae generationis, dehinc ad triennium, in plenaria Ordinis potestate.

50. Ad idem, pro domino Claraevallensi, s. th. pr.

51. Domino Pontigniaci committit Capitulum generale, quatinus ad monasterium de Gratia Dei quantocius commode poterit accedat, ibidemque visitet et reformet, instituat et corrigat, et praesertim se informet super promotione abbatis eiusdem monasterii de Gratia Dei, ac aliis concernentibus et dependentibus ab eisdem ; quam si simoniacam aut alias defectuosam inve-

nerit, provideat, prout viderit expedire, et insuper eumdem abbatem et suos officiarios per censuras Ordinis compellat ad solvendum bursam suo baccalario Parisiis studenti.

52. Contractum, concordiam et conventiones habendas seu habitas inter abbatem et conventum monasterii Firmitatis et habitatores Sancti Ambrosii, prout in litteris quibus... *etc.* approbat... *etc.*

53. Abbati de Lucella committit generale Capitulum, quatinus cessionem seu resignationem abbatis monasterii de Novo castro, sibi immediate subditi, recipere possit, cum potestate rehabilitandi inhabiles in ipso monasterio, pro hac vice dumtaxat, in plenaria Ordinis potestate.

54. Generale Capitulum attendens et amplius tolerare non intendens duritiam cordis quorumdam abbatum, qui in dedecus et detrimentum Ordinis minime debitum suum fecerunt et faciunt, de mittendo scolares suos ad studia generalia, quod tamen voluntarie et bono corde facere deberent, cum possent, et id in decus et honorem ipsorum suorumque monasteriorum cedat quamplurimum, omnes et singulos abbates, qui secundum *Benedictinam* ad collegium Sancti Bernardi Parisiis et cetera collegia Ordinis mittere tenentur, in virtute salutaris obedientiae ac sub excommunicationis poena et aliis poenis in *Benedictina* contentis, quatinus infra Pascha cum debitis et sufficientibus provisionibus mittant scolares ad studium Parisiense et cetera studia, ipsosque scolares in dictis collegiis manuteneant ; nihilominus tamen praecipit et mandat abbatibus, praesertim qui hoc debite explere non poterunt, quatinus in suis monasteriis habeant et teneant unum bonum et expertum virum, qui iuvenes suorum monasteriorum grammaticalibus et logicalibus instruere possint et docere, praesentis diffinitionis executionem reverendissimo in Christo patri domino Cisterciensi committendo.

55. Cum secundum antiquas et laudabiles consuetudines, bedellus collegii Sancti Bernardi Parisiis, pro retributione et proemio suorum laborum a biblico dicti collegii duos francos, a quolibet sententiario quatuor, ab incipientibus tam primum quam secundum cursus bibliae 16 solidos singulis annis recipere consueverunt, de quibus summis ipsi baccalarii et incipientes plerumque cum minime persolvere volunt, praecipit et mandat magistro regenti et provisori dicti collegii, quatinus dictos incipere volentes, eos scolas pro huiusmodi inceptione facienda

minime intrare et ingredi permittant, quo eidem bedello integre et realiter in dictis summis ad plenum satisfaciant.

56. Fratri Ioanni de Sylvanecto, quondam abbati monasterii Caroliloci, praecipit et mandat generale Capitulum sub poenis et censuris Ordinis, quatinus viis et mediis opportunis faciat et procuret, quod domus quaedam in civitate Silvanectensi constituta, in qua pendet pro intersignio figura pavonis, quae sui occasione extra manus monasterii posita est, ad eius plenum dominium et usum infra festum Paschae proxime futurum integraliter restituatur ; alioquin praecipit abbati dicti monasterii, quatinus pensionem annuatim sibi a dicto monasterio debitam eidem minime persolvat quoadusque id peregerit. Etiam quia ad instantiam dicti fratris Ioannis de Sylvanecto, abbas Regalis montis, s. th. pr., in lite et processu inter ipsum et conventum dicti monasterii pendente, plures expensas et labores fecit, de quibusdam nec persolutus praemiatus fuit, similiter usque ad satisfactionem integralem dictam pensionem in manibus dicti abbatis retinet et arrestat.

57. Abbati de Nigro lacu et de Pratea committit Capitulum generale, quatinus se informent super commodo et utilitate, vel incommodo tractatus, cui praesens diffinitio annectitur, sique per eos compertum fuerit praemissum tractatum ad utilitatem monasterii de Fontemorum fore initum, confirment et approbent, in plenaria Ordinis potestate.

58. Ad idem, abbati de Begar, s. th. pr., ad videndum tractatum inter abbatem de Tironello et quemdam burgensem inito.

59. Generale Capitulum committit abbati de Albis petris, quatinus se informet de rebellionibus factis per fratrem Ioannem Troillion, monachum de Columna, et de damnis, malis et criminibus per ipsum commissis et eidem monasterio ac diversis personis factis et illatis, et si culpabilem ipsum invenerit, ipsum incarceret et puniat secundum exigentiam casuum, in plenaria Ordinis potestate.

60. Cum propter varias et diversas personas Ordinis quae ad Capitulum generale properant, monasteria de Albaripa et de Longovado in earum susceptione plurimum graventur, generale Capitulum eis benigne succurere cupiens contributiones usque ad sex annos benigne remittit et condonat.

61. Electionem, installationem et confirmationem de persona fratris Henrici Nolart, religiosi et presbyteri monasterii de Ellan-

cio expresse professi, in abbatem eiusdem monasterii per abbatem de Fusniaco, s. th. pr., vice et auctoritate abbatis de Locoregio, rite et canonice factam et celebratam, prout in decreto... *etc*... approbat... *etc*.

62. Ad idem, pro fratre Thoma de Limone, in abbatem monasterii de Pontigniaco, per reverendissimum in Christo patrem dominum abbatem Cisterciensem factas.

63. Ad idem, pro fratre Henrico de Colonia, in abbatem monasterii de Heisterbach, Coloniensis dioecesis, per abbatem de Hemenrode, ipsius monasterii immediate patrem abbatem factam.

64. Ad idem, pro fratre Godfrido in abbatem monasterii de Loco Sanctae Mariae, per abbatem monasterii de Heisterbach, ipsius monasterii patrem abbatem, ex cessione cuiusdam Brunonis ibidem abbatizantis.

65. Ad idem, pro fratre Georgio, in abbatem monasterii de Caesarea, per abbatem monasterii de Lucella, ipsius monasterii patrem abbatem factas.

66. Ad idem, pro fratre Laurentio Fissre in abbatem monasterii de Longo villari, per abbates monasteriorum de Caricampo et de Valloriis, vice et auctoritate abbatis Signiacensis ipsius immediate patris abbatis.

67. Pensionem seniori abbati de Loco Dei, qui citra biennium resignavit, per abbatem monasterii de Bello becco s. th. pr., et conventum eiusdem monasterii assignatam, prout in litteris... *etc*.

68. Ad idem, pro fratre Petro de Ygstat in abbatem monasterii de Brumbach, per abbatem monasterii de Mulbrone, ipsius immediate patrem abbatem.

69. Ad idem, pro fratre Petro de Domo, monasterii de Laude expresse professi, in abbatem monasterii de Valle regis, ex cessione fratris Gilberti de Calvomonte, per abbatem de Igniaco, ipsius monasterii patrem abbatem.

70. Pensionem seniori abbati de Valle regis, qui citra annum attenta sui corporis invaletudine, resignavit, per dominum Igniaci patrem abbatem, necnon modernum abbatem et conventum eiusdem monasterii de Valle regis factam et assignatam, prout in litteris.. *etc*.

71. Ad idem, pro fratre Ioanne de Ruliaco in abbatem monasterii de Vallibus Sernaii, per abbatem monasterii de Regali

monte, s. th. pr., vice et auctoritate abbatis Savigniaci, ipsius immediate patris abbatis factam.

72. Ad idem, pro fratre Antonio Saleriis, s. th. pr., per abbatem Boni fontis, ipsius monasterii [de Bolbona] [b] immediate patrem abbatem similiter factas, ratificat et approbat.

73. Provisionem et institutionem de persona fratris Mauritii Pelaboti, s. th. pr., in abbatem monasterii de Calercio per dominum abbatem Claraevallensem, ad refutationem abbatis Grandissilvae factas, prout in litteris quibus praesens diffinitio annectitur plenius continetur, cum suppletione omnium et singulorum defectuum, si qui intervenire potuerunt, praesens generale Capitulum ratificat, confirmat et approbat.

74. Ad idem, pro fratre Bertrando Galoys in abbatem monasterii de Rupibus, per abbatem de Pontigniaco, ipsius immediate patrem abbatem.

75. Ad idem, pro fratre Ogerio de Seranez, in abbatem monasterii de Bullencuria, per dominum abbatem Clareavallensem, s. th. pr.

76. Frater Guido, abbas Cistercii totiusque conventus abbatum Capituli generalis Cisterciensis Ordinis, omnibus christifidelibus, ad quos nostrae praesentes litterae devenerint, salutem, et per eleemosynarum largitionem aeternam mansionem feliciter promereri. Gaudent in cœlis animae sanctorum, quae levibus Christi obtemperando praeceptis bona temporalia suis pauperculis membris largiflue distribuere conati sunt ; ut igitur huiusmodi sanctorum insequendo vestigia ad subveniendum et succurrendum paupertati ac desolationi monasterii monialium in Bona via, nostri Ordinis, Trevirensis dioecesis, per spiritualium bonorum largitionem vos inducamus, vobis omnibus et singulis, qui ad huiusmodi monasterii inopiam relevandam manus porrigatis adiutrices, omnium bonorum spiritualium, videlicet missarum, vigiliarum, ieiuniorum, abstinentiarum, ceterorumque bonorum operum, quae in toto Ordine nostro fiunt et de cetero fient, plenariam participationem concedimus. Datum sub sigillo suffragiorum eiusdem Ordinis, anno Domini M. CCCC. LIX.

77. Cum fratre Antonius Vicedogni, quondam monasterii de Cheseriaco abbas, teneatur abbati et conventui Bonimontis in

[b] *restitutum ex* Gallia christiana, t. XIII, col. 295.

summa 20 florenorum monetae Sabaudiae, praecipit et mandat abbati monasterii Cheseriaci, quatinus pensionem eidem fratri Antonio debitam minime solvat, quoadusque dicto abbati monasterii Bonimontis summam praemissam realiter et integre persolverit.

78. Quia propter egressum a monasteriis propriis quamplurimae moniales plurima gravissima scandala in Ordine adgenerent, utpote quia liberius et licentius eapropter voluptati vacare possunt, patribus abbatibus praecipit et mandat praesens generale Capitulum, quatinus in suis claustris districte eas manere et residere faciant, nec eis ullo modo licentiam claustrum egrediendi eis tribuent, procurentque iuxta vires quod ea monasteria, quae nondum clausa sunt aut reformata, claudantur et reformentur.

79. Praesens generale Capitulum debite informatum super excessibus, qui in esu carnium a plerisque personis Ordinis excessive fiunt, benigne monet et exhortatur omnes et singulas ipsius Ordinis personas, quatinus secundum *Benedictinam* et Ordinis statuta, solum in locis deputatis et ad hoc ordinatis ipsis carnibus vescantur et comedant.

80. Generale Capitulum debite informatum quod ad instantiam domini comitis Seinensis quoddam mandatum apostolicum obtentum fuerit et impetratum, quo contra Ordinis privilegia et libertates, visitatio et reformatio monasterii Loci Sanctae Mariae, Coloniensis dioecesis, quibusdam personis, quae de Ordine minime professae sunt committitur, praecipit et mandat abbati et conventui dicti monasterii Loci Sanctae Mariae, quatinus sumptibus suis dicta a Sede celerius quo poterunt revocationem dicti mandati seu rescripti procurare studeant, si autem tempore intermedio a dictis commissariis infestentur, appellatione interiecta, viriliter resistant.

81. Abbatibus de Heysterbach et de Heymerode concedit praesens generale Capitulum, quatinus omnes et singulas moniales in monasteriis interclusis exeuntes, quae eorum visitationi immediate subiacent, abbatissis demptis, nisi causas rationabiles allegaverint, pro semel dumtaxat ab omni infamia rehabilitare possint, in plenaria Ordinis potestate.

82. Abbati de Gimonte, s. th. pr., committit praesens generale Capitulum, quatinus computationes abbatis seu abbatum monasterii de Bolbona, qui per eas plures peculias ab Ordine sibi deberi fatetur, diligenter visitet et videat, idque quod

per eum compertum fuerit et inventum, in proximo Capitulo generali fideliter referat.

83. Praesens generale Capitulum abbatibus de Pontigniaco et de Rigniaco committit, in plenaria Ordinis potestate, quatinus debite et sufficienter se informent de tractatu quodam inito et contracto inter abbatem monasterii de Fonteneto, et quemdam Hugonem de Dompere scutiferum, cui praesens diffinitio annectitur, sique ipsum ad utilitatem et commodum ipsius monasterii factum invenerint, confirment, ratificent et approbent.

84. Pio affectu gravaminibus illatis monasterio de Dunis, occasione commendae in qua traditum fuit, praesens generale Capitulum compatiens contributiones duorum annorum elapsorum per ipsum debitas penitus quittat, ac deinceps quamdiu pensionem domino cardinali Lixbonensi assignatam persolvent, ad medietatem benigne moderat et temperat ; et similiter quottam subsidii sibi novissime impositi et imponendi ad medietatem reducit.

85. Ad idem, pro monasterio, de Fusniaco eius paupertate ex varietate processuum nuper finitorum illata, usque ad quinquennium.

86. Fratris Nicolai Rythergim, monasterii de Plats expresse professi, saluti succurrendo permittit praesens generale Capitulum, quatinus de licentia et beneplacito sui abbatis possit in alio monasterio bene regulato votum professionis emittere, poteritque idem, de sui abbatis consensu, paternis haereditatibus ac bonis succedere, ac eisdem quamdiu sibi placuerit uti pariter et gaudere.

87. Abbati de Cadunio et de Elnis coniunctim committit praesens generale Capitulum, quatinus se informent super commodo vel incommodo tractatus, cui praesens diffinitio annectitur, sique ipsum ad utilitatem et commodum monasterii Bolbonae factum invenerint, confirment, ratificent et approbent, in plenaria Ordinis potestate.

88. Cum monasterium de Buzayo tam rationis pensionis annuae, quae electo ipsius monasterii annuatim persolvetur, quam etiam ratione processuum et aliorum onerum quamplurimum gravetur et oneretur, eidem benigne succurrere cupiens, praecipit et mandat abbati de Nigro [lacu] monasterii sub poenis et censuris Ordinis, quatinus usque ad quinquennium solvat et contribuat dimidiam bursam sui scolaris Parisiis ; huius

diffinitionis executionem abbati de Begar, s. th. pr., committendo.

89. Abbati de Herbacho committit generale Capitulum, quatinus se debite informet utrum congrue et secundum conscientiam monasteriis monialium de Burvenich et Herchingen et de Porta coeli, abbas monasterii de Heysterbach providere possit et saluti animarum consulere, quod si ipsum propter legitimas causas minime superintendere compererit, monasterium de Burvenich committat reformationi, correctioni et visitationi abbatis monasterii Vallis Dei Leodiensis, monasterium vero de Herchingen abbati de Loco Sanctae Mariae Coloniensis, ac monasterium de Porta cœli abbati de Campo Beatae Mariae, praecipiendo sub censuris Ordinis dictis abbatissis et monialibus, quatinus dictis abbatibus humiliter obediant et pareant.

90. Abbati de Bullione per generale Capitulum committitur, quatinus diligentem faciat informationem an Ioanni des Forces, apothecario Salinis commoranti, pro luminari et speciebus defuncto abbati et monasterio de Balerna per triennium per ipsum ministratis, summa quinque florenorum quatuor grossorum debeatur ; et si ita fore invenerit, officiarios eiusdem monasterii de Balerna ad satisfaciendum eidem Ioanni de huiusmodi summa, per censuras Ordinis compellat.

91. Priorissam et conventum domus Ordinis in oppido Laugingen, Augustensis dioecesis, iam diu Ordini associatam seu associatum et incorporatum, rursus et de novo generale Capitulum associat et incorporat, omnibusque iurium, libertatum, privilegiorum, exemptionum Ordinis efficit participes, volendo et ordinando, quod ea quae hactenus magistra vocata est, non amodo magistra sed priorissa appelletur, quodque moniales dicti prioratus amodo cucullis utantur more aliarum monialium in partibus illis consistentium.

92. Abbati de Populeto per generale Capitulum committitur, quatinus se informet super idoneitate et habilitate fratris Petri Calvo, monachi monasterii de Rota, ad proficiendum in studio; quod si ipsum invenerit ad hoc habilem et ad hoc dispositum, eidem fratri Petro licentiam standi in aliquo generali studio dehinc ad quinquennium, expensis parentum suorum concedat, in plenaria Ordinis potestate, dum tamen regulariter religiose ac studiose vivat.

93. Abbati de Adwerdt prope Groninghen generale Capitulum

committit, quatinus se informet an contractus, concordia seu conventio habita seu habiti inter abbatem et conventum monasterii de Florido campo et prioratum de Novo monasterio, alias de Aula Dei, eiusdem Ordinis, Traiectensis dioecesis, prout in instrumento, cui praesens diffinitio annectitur latius continetur, sit rite et debite factus et passatus, ipsumque confirmet seu infirmet, et ad hoc ordinet, prout pro utilitate dictarum partium expedire cognoverit, in plenaria Ordinis potestate.

94. Quia ad ipsius Capituli generalis notitiam devenit, quod pia et fidelis matrona Angela Struermans vidua, in Groninghen, Traiectensis dioecesis, sana mente et compos, quoddam testamentum seu ultimam sui status voluntatem edidit, in quo diversis et piis operibus et personis bona legata data seu danda et distribuenda fratri Bernardo, monasterii de Clarocampo eiusdem Ordinis abbati, s. th. pr., unico et legitimo filio eius de praemissis assignavit, ipsumque principalem inter alios in dicto suo testamento nominatos, electos et expressos executores procuratorem et executorem nominavit et praefici voluit specialem ; cui quidem venerabili dictum generale Capitulum complacere satagens dictum suum testamentum seu ultimam voluntatem gratam habens et ratam, praedictum fratrem Bernardum abbatem, tam apostolica auctoritate quam Ordinis antedicti statutis et ordinationibus ad dictum testamentum exercendum et exsequendum, seu bona et pia legata eiusdem matris suae erogandum, distribuendum, seu etiam pro seipso, et ad usum sui ipsius et monasterii sui percipiendum, levandum et utendum ipsius auctoritate Capituli plenarie autorizat, et habilem reddit, licentiamque eidem et potestatem percipiendi dicta bona et legata matris suae impertitur et concedit ; omnibus et singulis fidelibus pie et salubriter suadendo et eiusdem Ordinis subditis sub poenis et censuris Ordinis praecipiendo, ut hac gratia et potestate sua uti faciat et gaudere.

95. Abbatibus de Novo castro et de Mulbruno et de Sconavia et duobus eorum, altero praepedito, sub poena inobedientiae praesens generale Capitulum praecipit, quatinus quantocius commode poterit seu poterunt, se transferant ad monasterium de Alba dominorum et ibidem in plenaria Ordinis potestate visitent et reforment, ipsique monasterio per obitum vel resignationem seu alias qualitercumque vacanti per electionem vel ad hoc canonice de persona sufficienti et idonea provideant,

aliaque omnia et singula circa praemissa et ea tangentia seu quomodolibet dependentia gerant et exerceant, prout secundum statuta Ordinis, pro bono et utilitate dicti monasterii viderint expedire, in totius Capituli plenaria potestate ; omnibus et singulis Ordinis subditis sub poena inobedientiae iniungendo, quatinus ipsis in praemissis pareant et obediant.

96. Monasterium monialium vocatum de Bona quiete, iam diu est, per dominum Morimundi, s. th. pr., propter paucitatem monialium in eodem degere non valentium, monasterio Sanctarum Crucium, in Cathalogne *(sic)*, cum omnibus suis pertinentiis unitum et incorporatum, praesens generale Capitulum huiusmodi unionem ratam et gratam habendo ipsam innovat, et in quantum opus est, rursus et de novo ipsum monasterium Bonae quietis eidem monasterio Sanctarum Crucium cum suis iuribus et pertinentiis quibuscumque unit et incorporat.

97. Generale Capitulum abbatibus de Eberbaco et de Monte Sancti Disibodi committit, quatinus se informent, inspiciant et videant, utrum venditio certae decimae quam abbas et conventus in Otterburg habent in Mestey, et quam quibusdam religiosis vendere cupiunt, sit pro bono et utilitate dicti monasterii de Otterburg ; quod si sic invenerint huiusmodi venditionis faciendi licentiam concedant, in plenaria Ordinis potestate.

98. Abbati de Begar, s. th. pr., praesens generale Capitulum committit, quatinus debite se informet super facto pensionis abbatis de Ré, qui nuper resignavit, assignatae ; quam si excessivam et contra Ordinis instituta factam et assignatam invenerit, illam corrigat et ad statum debitum reducat, in plenaria Ordinis potestate.

99. Abbatissam de Vivario ad praesens generale Capitulum citatam et minime per se nec per procuratorem comparentem, reputat contumacem, domino abbati Igniaci committendo, quatinus debite se informet super regimine dictae abbatissae, quam si in suo regimine defectuosam, aut casus adeo graves commisisse invenerit, propter quae merito deponi debeat, ipsam deponat et eidem monasterio, prout viderit expedire, provideat.

100. Omnes et singulos abbates, qui ad praesens Capitulum generale suas excusationes miserunt, ipsum Capitulum habet benigniter excusatos ; illi vero qui specialiter et pro certis excessibus citati non comparuerunt, reputantur contumaces, et ex

nunc ad proximum generale Capitulum citantur, ad ea quae ipsis tunc obiicientur personaliter responsuri.

101. Abbati de Altocristo praesens generale Capitulum committit, quatinus debite se informet utrum abbas et conventus monasterii Cheseriaci Roberto Agintun et Petro Brimen in summa 24 florenorum Sabaudiae, prout in instrumento cui praesens diffinitio annectitur plenius continetur, sint efficaciter obligati, et huiusmodi summam solvere teneantur ; quod si ita fore invenerit, ipsos abbatem et conventum ad satisfaciendum eisdem per censuras Ordinis compellat, in plenaria Ordinis potestate.

102. Ad instantiam abbatis de Cambrone, cum fratre Iacobo Laurentii, eiusdem monasterii monacho expresse professo, misericorditer dispensatur, ut non obstante inhabilitate ac infamiae nota, quam usque in praesentem diem contraxit, ad omnes Ordinis actus legitimos, voces, gradus et officia, etiam abbatiali dignitate inclusa, promoveri valeat et assumi.

103. Cum ad aures praesentis Capituli generalis pervenit quod per sinistrum regimen fratris Nicolai abbatis de Charmeya, idem monasterium multiplicia patitur in spiritualibus et temporalibus incommoda, quibus de remedio cupiens providere opportuno, domino abbati Igniaci affectuose iniungendo committit, quatinus quantocius commode poterit, ad ipsum monasterium de Charmeya personaliter accedat, ibidemque visitet, reformet, corrigat, instituat et destituat, in spiritualibus et temporalibus, in capite et in membris, ac ipsi monasterio, si per depositionem, resignationem vel alias ipsum vacare contigerit, de persona nostri Ordinis sufficienti et idonea provideat, ceteraque agat, exerceat, quae praemissis propitia fuerint et accommoda, in plenaria Ordinis potestate.

104. Abbati Dolbranensi reformatio monasterii Novi campi per generale Capitulum committitur, eidem districte praecipiendo, quatinus uno vel duobus Ordinis abbatibus, prout sibi expedire videbitur, secum assumptis, ad ipsum monasterium accedat, reformet et corrigat ; quod si invenerit calices, cruces, libros, clenodia et alia bona dicti monasterii per abbatem ipsius esse vendita, alienata, infeudata vel ad usuram impignorata, contra apostolica et regularia Ordinis statuta, ipsum et sibi in hac parte adhaerentes taliter secundum casuum exigentiam puniat et corrigat, quod in eodem monasterio bona reformatio habeatur, et ceteris transeat in exemplum ; et insuper informet se an pen-

sio fratri Sabello in Hilda quondam abbati, nunc autem professo, tradita sit iuste et rationabiliter assignata, quam si defectuosam invenerit, ipsam casset et annullet, atque ad debitam reducat, non obstante confirmatione dictae pensionis a praesenti Capitulo clam et absque notificatione veritatis, ut asserit, impetrata.

105. Generale Capitulum abbati de Signiaco committit, quatinus se informet utrum abbatissa et conventus monasterii monialium Vallis rosarum in summa 12 florenorum Renensium pro certis expensis eundo et redeundo ad visitandum dictum monasterium abbati de Alna teneantur ; quod si sic invenerit, ipsam abbatissam et conventum suum ad satisfaciendum eidem per censuras Ordinis compellat, in plenaria Ordinis potestate.

1460

Anno [a] Domini millesimo quadrigentesimo sexagesimo, die quartadecima mensis septembris, statuta sunt haec apud Cistercium, in eiusdem Cisterciensis Ordinis Capitulo generali.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

1. Electionem, promotionem et installationem de persona fratris Ymberti de Sancto Ioanne de Ledona in abbatialem dignitatem monasterii Beatae Mariae de Morimundo, Lingonensis dioecesis, per dominum Cisterciensem, ipsius monasterii immediatum patrem abbatem, rite et canonice, de persona idonea celebratam, prout in decreto et instrumento, cui praesens... *etc.*

2. Electionem, installationem et confirmationem de persona fratris Ioannis Sutoris, professi monasterii Beatae Mariae de Bello becco, in dignitatem abbatialem monasterii de Fulcardimonte,

---

1460. *Fontes* : L^4 : 1-135 ; *M* : 4 *(abbrev.)*, 15 *(abbrev.)*, 16, 17 *(abbrev.)*, 18 *(abbrev.)* 20, 21 *(abbrev.)* 26 *(abbrev.)*, 30. 64 *(abbrev.)*, 68, 76 *(abbrev.)*, 80, 110, 118, 124-126, 131 ; P^2 : 4 *(abbrev.)*, 15 *(abbrev.)*, 16, 17 *(abbrev.)*, 18 *(abbrev.)*, 20, 21 *(abbrev.)*, 22, 24, 26 *(abbrev.)*, 30, 36, 44, 45, 64 *(abbrev.)*, 68, 76 *(abbrev.)*, 80, 110, 118, 124-126, 129, 131 ; *W* : 76 *(abbrev.)*, 110, 125 *(abbrev.)*

[a] *Titulus apud* L^4.

Rothomagensis dioecesis, nuper vacantis per obitum fratris Thomae, eiusdem loci novissimi abbatis, per abbatem de Bello becco, s. th. pr., virtute et auctoritate commissionis domini Savigniaci, patris abbatis eiusdem monasterii, rite et canonice... *etc*... approbat, ipsum et omnes alios abbates anno praesenti confirmatos ad proximum futurum generale Capitulum personaliter comparituros citando.

3. Electionem, installationem et confirmationem de persona fratris Petri de Lasin, religiosi expresse professi monasterii Beatae Mariae de Benedictione Dei, Lugdunensis dioecesis, in abbatem eiusdem monasterii, per abbatem de Nigro lacu, vice et auctoritate domini Claraevallis, patris abbatis eiusdem monasterii, visis et attentis dispensationibus per eum super indebitate et minoritate aetatis per eum a Sanctissimo Domino nostro Papa Pio, et domino cardinali Avenionensi, rite et canonice factam... *etc.* supplendo omnes et singulos defectus, qui tam ex parte religiosorum eligentium, quam commissarii praesidentis, si qui forsan intervenerint, etiam si opus sit, de novo sibi de eodem monasterio providendo.

4. Generale Capitulum provisionem et institutionem factam de persona fratris Ioannis Kyng, in provisorem studii Oxoniensis, ad octo annos a tempore suae praedictae institutionis factae per abbatem de Furnesio et de Wardona, confirmat et approbat, vultque idem Capitulum praefatum provisorem uti et gaudere omnibus iuribus, libertatibus et gratiis, quibus uti et gaudere consuevit exercendo officium prioris sui monasterii de Buckfast, et praesertim camera, et sibi adiacente iardino, cum ceteris proventibus vini et sigilli communis ; et quod possit omnes et singulos scolares religiosos Ordinis nostri collegii ipsius studii ab omnibus casibus generali Capitulo reservatis semel in anno dumtaxat absolvere, quodque cum venerit ad suum monasterium, ut antea restituatur in officium prioris eiusdem loci, et quod abbas ad hoc per censuras Ordinis compellatur, vult etiam idem Capitulum, ut cum idem provisor ad suum monasterium transierit, ut liberius continuationi studii et exercitio praedicationis vacare possit, ab omni intitulatione supportetur.

5. Capitulum generale electionem, provisionem et installationem factam de persona fratris Ioannis de Ferrariis, religiosi professi monasterii Beatae Mariae de Sacro portu, alias de Barbello, Senonensis dioecesis, per abbatem Prulliacensem, patrem

abbatem eiusdem monasterii, quia facta est extra capitulum Ordinis et non servata forma debita, declarat et decernit esse inanem, cassam et irritandam, eamque propter hoc cassat, irritat et annullat ; et nihilominus eodem monasterio de novo praecipit in abbatem et administratorem dicti monasterii de Sacro portu, praefatum fratrem Ioannem de Ferrariis, sibi auctoritate plenaria ipsius Ordinis et Capituli,de dicto monasterio providendo, dictumque abbatem Prulliacensem citat personaliter comparitu-rum ad secundam diem proximi Capituli generalis, super indebito modo procedendi huiusmodi electionis, promotorique causarum quod iustum fuerit responsurum.

6. Provisionem, promotionem et installationem de persona fratris Ioannis Ebrardi, religiosi professi monasterii Beatae Mariae de Cadunio, in abbatem monasterii Beatae Mariae de Riveto, Vasatensis dioecesis, per abbatem Beatae Mariae Pontis alti, debite et canonice factam... *etc.* approbat, dummodo in eodem monasterio religiosos teneat iuxta facultatem redditu-um et proventuum dicti monasterii, qui ibidem divinum servitium faciant.

7. Electionem, installationem et confirmationem de persona fratris Ysidori de Rothomago, religiosi et presbyteri monasterii Caroliloci expresse professi, in abbatem de Bello prato, Belvacensis dioecesis, per abbatem de Ursicampo, s. th. pr., ipsius monasterii patrem abbatem, per resignationem fratris Georgii de Hallecourt, factam ...*etc.*

8. Pensionem seniori abbati de Bello prato, qui citra annum resignavit, per abbatem de Ursicampo, s. th. pr., patrem abbatem eiusdem monasterii assignatam, prout in litteris... *etc.*

9. Cessionem et resignationem fratris Nicolai de Millenoke tunc abbatis de Charmeya, in manus domini abbatis Igniacensis factam, provisionemque ex defectu personarum regularium per eumdem dominum Igniacensem de persona fratris Balduini Caulier in abbatem dicti monasterii de Charmeya... *etc.*

10. Resignationem et cessionem fratris Petri de Pontisara, abbatis de Valle Sanctae Mariae, in manus deBello becco, s. th. pr., et de Mortuo mari monasteriorum abbatum, abbatis de Curia Dei commissariorum, factam, electionem quoque canonicam de persona fratris Martini Hamon in abbatem dicti loci per eosdem commissarios, prout constat in decreto... *etc.* approbat,

eumdem abbatem ad proximum Capitulum personaliter comparitutum citando.

11. Resignationem voluntariam fratris Ulrici olim abbatis de Hilaria in manus abbatis monasterii Ebracensis, patris abbatis dicti monasterii factam, electionemque per eumdem patrem abbatem de persona fratris Willermi... *(locus vacuus)* in abbatem dicti monasterii celebratam, prout in transumpto... *etc.*

12. Electionem et installationem fratris Iacobi Gendrandi in abbatem monasterii de Varenis, per abbatem de Valle lucenti, dicti loci patrem abbatem, prout in decreto... *etc.*

13. Institutionem seu promotionem fratris Willermi de Loydis in priorem monasterii Montis Sanctae Walburgis, Coloniensis dioecesis, per abbatem de Heysterbach factam... *etc.*

14. Electionem canonicam, promotionem et installationem magistri Gaufridi de Constantino, s. pag. pr., in abbatem monasterii de Barberio, per dominum abbatem de Begar. s. th. pr., reverendi patris domini abbatis Savigniacensis, dicti monasterii patris abbatis commissarium, factas, prout... *etc.*

[DIFFINITIONES] GENERALES

15. Ad audientiam huius praesentis generalis Capituli pervenit, quod quidam Ordinis religiosi salubrium statutorum antiquorum patrum minime recordantes, in suarum animarum periculum non verentur adire potentes tam ecclesiasticos quam saeculares, ut mala sua desideria adimpleant eaque exsequi possint, se extollendo ac superbiendo, suos etiam abbates apud praedictos multipliciter diffamantes, per hoc incurrentes antiquarum diffinitionum poenas adversus libellos diffamiae scribentes, idcirco ipsum generale Capitulum talibus insolentiis iuxta vires volens insistere, quatinus a similibus praesumptionibus de cetero abstineant, vult, mandat atque praecipit omnibus abbatibus praedicti Ordinis in virtute salutaris obedientiae, quatinus ipsi et quilibet ipsorum, quotquot tales repererint religiosos incarcerent, seu incarcerari faciant, cum huiusmodi poenas incurrant in praedictis antiquis statutis contentas, in plenaria Ordinis potestate.

16. Mandat generale Capitulum omnibus visitatoribus deputatis, praesentibus et futuris, quatinus annis singulis, vel ad minus indefectibiliter in fine commissionum suarum, persona-

liter veniant informare ipsum generale Capitulum de gestis per eos, in virtute dictarum commissionum.

17. Condolenter praesentis Capituli audientia suscepit, nonnullos in dedecus et opprobrium Ordinis et pessimum exemplum tam religiosorum quam populi fidelis, tempus inutiliter et inordinate ludis, utpote aleis et aliis ludis, in statutis nostri Ordinis prohibitis exponere, qui tamen forma gregis fore deberent, presens generale Capitulum huiusmodi deordinationes, abusus et excessus penitus detestans, in virtute salutaris obedientiae ac sub gravissimis poenis de cetero contra tales infligendis, dictis abbatibus Ordinis universi districtissime inhibet, ne de cetero talibus insolentiis se applicent, dans insuper ipsis firmiter in mandatis, ut religiosos suos per inflictionem levis culpae et regularis disciplinae susceptionem ab huiusmodi ludis deordinatis et aliis dissolutionibus diligenter prohibeant.

18. Item, et quia deficiente fundamento scientiae quidquid superaedificatur inane est et vanum, et multi nostri Cisterciensis Ordinis religiosi crudi penitus et sine fundamento ad studii fornacem Parisiensem videlicet, et alias orbis terrarum Universitates, decoquendi mittuntur ut tenebras ignorantiae in lumen scientiae vertant, qui tamen multis pecuniis monasteriorum suorum inutiliter expensis, nihil aut parum propter defectum fundamenti profecerunt, multi insuper alii sunt qui limina claustrorum suorum propter officium sanctum celebrandum relinquere nequeunt et ob defectum magistrorum seu instructorum illiterati perpetuo manent. Praesens igitur generale Capitulum his duobus tam dispendiosis inconvenientibus obviare cupiens, omnibus et singulis abbatibus districtissime praecipit ut magistros in monasteriis suis ad huiusmodi ignorantium instructionem habeant et teneant, qui valeant in grammaticalibus, logicalibus, physicis usque ad theologiam inclusive instruere.

19. Item, quia in litteratis viris maxime defecimus in Ordine, sub poenis in reformatione bonae memoriae Benedicti Papae XII contentis, praecipit et mandat praesens generale Capitulum omnibus abbatibus Ordinis universi, qui secundum ipsam reformationem studentes habere tenentur, quatinus infra festum Paschae proxime venturum ipsos suos studentes, cum debitis provisionibus, destinent ad studium Parisiense et alia generalia studia nostri Ordinis, declarans per praesentem diffinitionem omnes abbates qui super hoc negligentes vel remissi fuerint,

transacto dicto termino poenas contentas in ipsa *Benedictina* incurrisse, committitque praesens generale Capitulum provisoribus et magistris regentibus collegiorum Ordinis in studiis generalibus consistentium facultatem omnimodam compellendi abbates per censuras Ordinis, ut praesentem diffinitionem observent, et ut poenas in *Benedictina* contentas ex integro persolvant, confirmando per nostram diffinitionem anno elapso editam de tenendo in singulis monasteriis monachorum nostri Ordinis magistros et instructores sufficientes et idoneos, qui sciant et possint iuvenes instruere in scientiis et moribus usque ad theologiae facultatem inclusive, quodque abbates vigilanter intendent super studentium diligenti sollicitudine eos frequenter, si bene proficiant, visitando, singulis abbatibus praesentibus et absentium procuratoribus districtissime et sub inobedientiae poena praecipiendo, quatinus praesentem diffinitionem capiant et levent, in suisque monasteriis deferant, ac in regula beati Benedicti infallibiliter eamdem affigant.

20. Item, licet ex diversis Ordinis statutis antiquis et novis multiplices poenae institutae fuerint contra abbates et monachos, qui reformatoribus aut visitatoribus rebelles aut inobedientes existunt, et qui contra eos qualitercumque potentium auxilia adeunt, aut ab ipsis potentibus litteras, preces, minas impetrant ; nihilominus non desunt qui talia dietim perpetrant, unde cogitur Ordo diversas contra tales poenas fulminare ; eapropter praesens Capitulum generale omnes tales excommunicatos denuntiat, iuxta antiquas Ordinis diffinitiones, necnon omnes eis adhaerentes, consilium, auxilium ferentes, mandatque et praecipit praesens generale Capitulum, ut tales iuxta *Libellum diffinitionum* in Ramis Palmarum palam et publice cum ceteris in capitulis Ordinis a praesidentibus excommunicati denuntientur ; et si abbas aliquis super hoc convictus vel confessus fuerit, ipso facto sit ab omni administratione sui monasterii suspensus, in sequenti Capitulo deponendus ; si vero fuerit monachus poenam sustineat conspiratorum.

21. Item, licet electiones pure, sancte et pie iuxta traditiones antiquorum fieri debeant, multi tamen ambitione et avaritia ducti non cessant conventus, ut eligantur, turbare, potentium litteras, preces et minas impetrare, tantis multis criminibus cupiens obviare praesens Capitulum generale omnes tales, qui videlicet per se vel per interpositam personam impetraverint

huiusmodi litteras, denuntiat inhabiles fore ad omnes Ordinis actus legitimos, praecipitque praesidentibus in electionibus sub poena depositionis a suis officiis et dignitatibus, ne tales promoveant aut confirmare praesumant.

22. Item, quia propter defectum observantiae privilegiorum Ordinis Ordo ipse in multis periclitatur, sub poena depositionis, praecipit praesens Capitulum generale omnibus et singulis abbatibus ac regimini praesidentibus Ordinis universi, quatinus habeant communia privilegia Ordinis, praesertim noviter obtenta a Sanctissimo domino nostro Pio II ; et quia bona Ordinis in necessitate communia censentur, et aliqua sint monasteria adeo depaupertata quod ad tuitionem ipsorum privilegiorum non sufficiant, districtissime praecipit praesens generale Capitulum reformatoribus et senioribus abbatibus, cuiuslibet provinciae aut dioecesis, quatinus ad requestam abbatum oppressorum, in plenaria Ordinis potestate, possint congregare ceteros abbates ipsius dioecesis aut provinciae, et eis imponere aliquod subsidium pro relevatione, ut praefertur, abbatum oppressorum, poteritque rebelles et inobedientes, ut debitum suum faciant sub censuris Ordinis compellere.

23. Item, licet pluries praeceptum fuerit, ut patres abbates singulis annis per se vel per suum commissarium omnia monasteria sibi subiecta, iuxta antiquum morem Ordinis visitarent, multi tamen super hoc negligentes hucusque extiterunt, unde et multa scandala exinde orta fuerunt ; eapropter praesens generale Capitulum committit domino Cisterciensi et quatuor primis et reformatoribus ab ipsis deputatis vel deputandis, quatinus omnes et singulos abbates, quos super hoc negligentes et remissos repererint, sub censuris Ordinis ut debitum faciant, viriliter compellant, ac ipsis poenas in statutis Ordinis contentas imponant.

24. Item, quia ideo Capitulum generale celebratur, ut unicuique iustitiam administret, ad hoc etiam reformatores et visitatores instituuntur, et inhonestum ut religiosus religiosum eiusdem voti et observantiae coram saecularibus provocet, inhibet praesens Capitulum generale ne aliqua Ordinis persona cuiuscumque gradus aut dignitatis existat, aliam eiusdem Ordinis personam coram quocumque iudice, qui non fuerit de nostro Ordine, citari aut provocari ad iudicium faciat, nisi prius ipso

Capitulo generali de iustitiam ministrando requisito et consulto, iuxta statutum apostolicum noviter impetratum.

25. Item, quia contributiones communes pro communi libertate Ordinis sunt ordinatae, ipsis deficientibus necesse est ut Ordo ipse pereat, praecipit et mandat praesens Capitulum generale abbatibus, bursariis, ceterisque administratoribus Ordinis universi, quatinus quottas sibi a Capitulo generali singulis annis impositas vel imponendas solvere diligenter studeant, nec super hoc aliqui a Capitulo generali habeant dispensationem ; et quicumque hoc facere recusaverit, qualemcumque in contrarium allegando consuetudinem, ipso facto pro excommunicato habeatur, et in sequenti Capitulo generali personaliter comparere tenebitur, poenam suae praesumptionis recepturus condignam. Similem poenam sortiatur quicumque auxilium saecularium, ne huiusmodi contributiones solvat implorare praesumpserit, antiquis diffinitionibus super hoc editis in suo semper robore permansuris.

26. Item, et quia nimia levitate quorumdam abbatum, qui nimis leviter iuxta morem saecularium se praesumptuosos et paratos ad suscipiendum de sacro fonte baptismatis pueros reddunt, necnon ad nuptias frequentandum, ex quibus quidem abusibus non modica frequenter monasteria recipiunt incommoda, proinde praesens Capitulum generale praedictis abbatibus et personis utriusque sexus Ordinis universi, districtissime inhibet sub gravissimis poenis ne de cetero huiusmodi nuptiarum actus frequentent, aut ad sacros fontes nostrae regenerationis, nisi sint tales quod honeste non possit denegari, pueros suscipere praesumant, rogans idem generale Capitulum dominum Cisterciensem, ceteris autem patribus abbatibus et visitatoribus universis districte praecipiens et mandans, quatinus huiusmodi diffinitionem diligenter observent, observarique irrefragabiliter faciant et procurent.

27. Item, quia non decet abbatissas sive moniales per mundum evagari, iuxta antiquas Ordinis diffinitiones, praesens Capitulum generale reformatoribus et visitatoribus ipsarum monialium omnimodam confert auctoritatem quoad correctionem, institutionem et destitutionem ipsarum, tam in capitibus quam in membris, nec liceat eas a praedictis reformatoribus aut visitatoribus appellare, aut se eisdem opponere ; quinimo tenebuntur in qualibet visitatione se eorumdem ordinationibus per omnia submittere,

et qui contra fecerit, aut contra suos visitatores et reformatores potentum auxilia adire praesumpserit, ipso facto pro excommunicato habeatur, et abbatissae super hoc convictae pro depositis teneantur, ipsi tamen visitatores et reformatores de depositionibus per eos factis, sequens Capitulum generale, nemine reclamante, fideliter tenebuntur informare.

28. Item, iuxta ordinationes tam apostolicas quam etiam regulares, praecipit Capitulum generale patribus abbatibus et reformatoribus universis, quatinus possetenus laborent ad reclusionem monialium, et quod ipsas compellant de communi vivere et proprietatem devitare.

29. Item, quia ex dissoluta vita confessorum monialium et etiam capellanorum, Ordo noster supra modum diffamatur, sub poena privationis a sua iurisdictione inhibet praesens generale Capitulum patribus abbatibus et monasteriorum monialium regentibus, ne amodo in eisdem instituant aliquos in confessores aut capellanos, qui non fuerint honestae vitae et approbatae, competentisque litteraturae, praecipiendo ut confessores et capellani iam instituti, qui tales non fuerint, incontinenti revocentur.

30. Graves abusus et negligentem animarum curam quorumdam abbatum Ordinis, qui contra Ordinis ipsius instituta tolerant monachos suos cameras in infirmitoriis suis possidere, et gravius periculum animarum in eisdem diurnis atque nocturnis horis, commessationibus, dormitionibus et aliis enormitatibus vacare, et in huiusmodi nefaria conversatione obdurati, numquam vel raro dormitorii, refectorii communis et alias claustrales ceremonias observare curant, damnabilisque vitio proprietatis labefacti negotiatorum more publicorum, sanctae paupertatis virtutem, proh dolor ! abiiciunt, quod exinde periclitatio [b] sequitur animarum, propriorum abbatum vilis admodum contemptus, monopolia, conspirationes et murmura frequentius oriuntur, praesens generale Capitulum abolere cupiens, universis et singulis abbatibus Ordinis, prasertim illis in quorum monasteriis huiusmodi vitia pullulare prospexerint, mandat et praecipit, quatinus omni conatu et devotione dictos abusus sarculo resecationis amputare satagant, proterve contradicentes conspiratorum seu carcerali poena puniendo.

---

[b] periculum : *M.*

31. Generale Capitulum obviare cupiens incommodis et permaximis damnis, quae oriri solent ex defectu observationis *Benedictinae* detinendo et habendo bursarios in singulis monasteriis nostri Ordinis, reverendissimo in Christo patri domino Cisterciensi, quatuorque primis, quatinus ad observationem dictae *Benedictinae* in bursariis tenendis, iuxta ipsius tenorem, omnes et singulos abbates et abbatissas dicti Ordinis compellant, in plenaria Ordinis potestate, nisi tamen personarum paucitate iudicio visitatorum suorum unicus bursarius sufficere videatur. Item, curiosae, vanaeque pompositates quorumdam abbatum et monachorum Ordinis, qui bireta rubea et tunicas fissas, corrigeas argenteas et curiosos sotulares deferre non verentur in vilipendium sanctae simplicitatis Ordinis pariter et contemptum, obviare cupiens praesens Capitulum generale omnibus et singulis tam abbatibus quam monachis sub laetalis inobedientiae poena districtius inhibet, ne huiusmodi bireta rubea, tunicas fissas, corrigias alias quam secundum formam Ordinis, curiosos sotulares, camisiasque lineas vel jupones, aut caligas nigras contra formam Ordinis deferre, et sine cappis equitare praesumant ; singulis abbatibus et absentium procuratoribus in praesenti Capitulo existentibus, districte et sub inobedientiae poena praecipiendo quatinus praesentem diffinitionem suis in monasteriis deferant, publicent et observent.

[DIFFINITIONES SPECIALES]

32. In materia resignationis dignitatis abbatialis monasterii de Fonteneto per fratrem Symonem Evrardi, nuper abbatem dicti monasterii de Fonteneto factae, et institutionem factam per dominum Claraevallensem, s. th. pr., patrem abbatem eiusdem monasterii, electione praemissa, de persona fratris Ioannis Trovart, religiosi dicti monasterii, in quo dictus frater Symon resignans dicit se quantum Capitulum generale diffinit et decernit praefatum dominum Claraevallensem ante decisionem huius causae fore audiendum, et ad definiendum, et decidendum de dicta causa et materia, idem Capitulum committit dominis abbatibus de Firmitate, s. th. pr., et de Pontigniaco tam coniunctim quam divisim, in plenaria Ordinis potestate ; qui partibus auditis ministrabunt bonum et breve iuris et iustitiae complementum, et si pendente tempore eis visum fuerit expediens,

poterunt aliquem de Ordine ad regimen temporale et spirituale dicti monasterii de Fonteneto deputare et instituere, qui iustum et fidelem computum et reliqua de receptis et aedificiis reddere habebit.

33. Capitulum generale in favorem litterarum serenissimi principis domini Delphini Viennensis, pie compatiens desolationi magistri Aegidii de Roya, s. th. pr., nuper abbatis monasterii Regalismontis, qui per arrestum curiae Parlamenti personaliter comparere debebat in hoc praesenti Capitulo, eius causam committit domino abbati Firmitatis, s. th. pr., ad audiendum, sententiandum et ordinandum, prout teste Deo et conscientia sibi videbitur expedire, quem ad comparendum personaliter coram se per censuras Ordinis compellere poterit, in plenaria Ordinis potestate.

34. Praesens generale Capitulum effrenatam evagationem et inordinatam voluntatem quorumdam religiosorum Ordinis, qui propria sua instabilitate propria monasteria exeuntes alibi profitentur, et sub huiusmodi professionis colore villas et villagia et alia loca irregularia frequentantes, in scandalum non modicum Ordinis et periculum animarum suarum inordinate vivunt, debita correctionis lima corrigere volens, inhibet omnibus et singulis Ordinis abbatibus, ne amodo recipiant extraneos religiosos in suis domibus, nisi eos sub regulari Ordinis diciplina tenere velint.

35. Tractatum initum, factum et passatum inter abbatem et conventum monasterii Beatae Mariae de Albigniaco, Bituricensis dioecesis, ex una, et Dionisium de Laveau habitatorem dicti loci de Laveau, praenominatae dioecesis, ex altera partibus, tamquam utilem et fructuosum pro ipso monasterio repertum, prout clare constitit per relationem abbatum de Locoregio et de Albis petris, quibus eiusdem tractatus examinatio commissa fuerat, Capitulum generale secundum sui formam et tenorem confirmat, ratificat et approbat.

36. Praecipitur per generale Capitulum in virtute salutaris obedientiae abbati de Septem fontibus, quatinus immediate remittat quemdam religiosum professum monasterii Frigidi montis, quem tenet absque professione sibi facta, ad dictum monasterium de Frigido monte, aut eum indilate ad sibi professionem faciendam secundum regularia nostri Ordinis instituta compellat.

37. Capitulum generale committit domino Pontigniaci, quatinus quantocius commode poterit se personaliter transferat ad monasterium Septem fontium ad ibidem visitandum, corrigendum et reformandum, quaecumque ibi invenerit visitanda, corrigenda et emendanda, tam in capite quam in membris, instituendo et destituendo, ac omnia alia et singula necessaria faciendo quae repererit facienda, in plenaria Ordinis potestate.

38. Generale Capitulum paterno favore providere cupiens saluti animae fratris Oliverii Potier, quondam abbatis monasterii de Re, qui propter aliqua crimina sibi nuper imposita fuerat personaliter coram domino Cistercii citatus, et propter eius contumaciam excommunicatus, eius causam et causae decisionem in plenaria Ordinis potestate committit domino Pontigniaci, tam super sua pensione quam alias, nihilominus excomunicationem confirmando et approbando.

39. Capitulum generale misericorditer agere volens cum fratre Cornelio Scoite, religioso monasterii Loci Sancti Bernardi, super gravaminibus eius occasione illatis monasterio de Bodelo, ex quibus, ut creditur, corde poenitet, benigne dispensat cum abbate suo, quatinus ubi et quando sibi videbitur expediens et honestum, eum monasterium exire permittat, dummodo non sit curialis, se religiose et honeste se habeat, citatque idem Capitulum praefatum abbatem de Loco Sancti Bernardi ad proximum instans generale Capitulum personaliter compariturum.

40. Committitur per generale Capitulum in plenaria Ordinis potestate abbati de Loco regio, quatinus quantocius commode poterit se personaliter transferat ad monasterium Prulliaci, ibidemque visitet, corrigat et reformet, quae visitanda, corrigenda, emendanda et reformanda, praemissa informatione, invenerit, tam in capite quam in membris, instituendo, si opus fuerit, et destituendo, omniaque alia et singula faciendo quae posset et deberet facere dominus Cisterciensis, pater abbas eiusdem loci, si personaliter praesens esset.

41. Domino Morimundi visitationem et reformationem omnium et singulorum monasteriorum Ordinis utriusque sexus et cuiuscumque generationis existant, in regnis et dominiis illustrissimorum principum dominorum regum Castellae, Legionis, Arragoniae, Valentiae, Portugalliae et Navarrae, necnon in Aquitania, Gasconia, Lingua occitana, Provincia, Delphinatu et partibus circumvicinis consistentium, praesens generale Capi-

tulum committit in plenaria Ordinis potestate, non obstantibus quibuscumque aliis commissionibus per quoscumque datis, commissionemque iam eidem domino Morimundi per dominum Cisterciensem quoad monasteria totius nationis germanicae, et suae generationis, ratificando, confirmando et approbando, cum clausulis opportunis per dominum Cisterciensem addendis.

42. Capitulum generale benigne et misericorditer dispensat cum sorore Margareta Eberlerni, religiosa professa monasterii monialium in Olsperg, Basileensis dioecesis, ut non obstante quod sit professa in Ordine Mendicantium, scilicet Cordigerarum, et post, devotione mota, intravit religionem nostram, ubi iam, ut fertur, viginti annis honeste et laudabiliter vixisse dicitur, si suis exigentibus meritis et virtutibus ad dignitatem abbatialem eligatur, aut alio iusto titulo promoveatur ad illam assequendam et obtinendam, possit assumi.

43. Generale Capitulum committit abbati de Castellariis ut in plenaria Ordinis potestate diligenter se informet super incontinentia et malo regimine fratris Nicolai Berelli, monasterii de Charon expresse professi, quem si culpabilem et punitione dignum per debitam informationem repererit, puniat et corrigat secundum qualitatem et exigentiam casuum, praecipiens ulterius idem Capitulum eidem fratri Nicolao, in virtute salutaris obedientiae et sub poena privationis a sua pensione, ut debitam et continuam de cetero in suo monasterio faciat residentiam.

44. Generale Capitulum diffinit, statuit et ordinat quod in monasteriis monialium de Bonavalle, de Bondevilla, de Sancto Sydonio et de Sancto Albino, Rothomagensis dioecesis, amodo non provideantur aut admittantur in abbatissas religiosae in Ordine nostro iam professae, nisi prius iuramentum praestiterint de omni subiectione et obedientia regulari in nostro Ordine servanda et exhibenda, nec aliae personae regulares nostri Ordinis in eisdem quatuor monasteriis recipi possint.

45. Domino Cistercii et quatuor primis committit generale Capitulum onus providendi et eligendi procuratorem generalem Ordinis in Curia romana, et ex nunc usque ad unum annum continuat et instituit abbatem de Casa nova, qui vicem procuratoris generalis geret, in plenaria Ordinis potestate.

46. Visitationem et reformationem omnium et singulorum monasteriorum nostri Ordinis in partibus Sabaudiae, Italiae, Lombardiae et partibus circumvicinis utriusque sexus, et cuius-

cumque generationis et Pedismontium existant, Capitulum generale in plenaria Ordinis potestate committit domino Pontigniaci, cum clausulis opportunis per dominum Cisterciensem addendis.

47. Ad idem, pro domino Igniacensi in partibus Britanniae.

48. Capitulum generale diffinitionem anni Domini 1451 factam, qua praecipiebatur abbati de Alneto in virtute salutaris obedientiae, quatinus provideret fratri Alano Olivier in victu et vestitu, teneretque in suo monasterio, vel in alia domo Ordinis nec eum sinat amplius per saeculum evagari, renovat, approbat et confirmat, vultque quod ad id rationabiliter et cum moderatione cogi possit per censuras Ordinis, praecipiendo primo Ordinis abbati super hoc requirendo, quatinus dictum abbatem de Alneto et suum monasterium ad hoc viriliter et debite executioni demandet, in plenaria Ordinis potestate.

49. Capitulum generale abbates de Bolbona et de Calercio coram se personaliter comparentes super omni querela, quaestione et controversia inter eos orta et mota, ratione et ad causam unionis monasterii de Calercio cum monasterio de Bolbona, omnibusque rationibus, allegationibus et motivis utriusque parti servientibus auditis, et matura discussione examinatis, concordat in modum sequentem, videlicet quod huiusmodi unio facta per Summum Pontificem ex nunc de utriusque partis consensu erit et manebit perpetuo dissoluta, et in eodem monasterio de Calercio auctoritate Capituli generalis manebit abbas frater Mauritius Pelaboti, monasterii Fontis frigidi expresse monachus ; et cum in huiusmodi unione idem monasterium de Bolbona plures expensas sustinuit, ordinat etiam idem generale Capitulum, quod idem abbas de Calercio eidem abbati de Bolbona medietatem expensarum factarum per praefatum abbatem de Bolbona in ipsa unione procuranda refundere tenebitur, de quibus idem de Bolbona fidem facere tenebitur, earumdem tamen taxatione domino Morimundi ut iudici partes ad hoc acceptato reservata, cuius sententia ulterius penitus se non posse appellare iuramentis super hoc praestitis, adstrinxerunt, quam concordiam sponte recipientes se extra omnem processum posuerunt, negotio tamen interim in statu manente, donec per praefatum dominum Morimundi fuerit negotium discussum.

50. Generale Capitulum abbatem de Valle Sancti Lamberti personaliter ad ipsum citatum propter eius contumaciam, quia

debite vocatus non comparuit declaratur excommunicatus, eidem districte inhibens ne sub poena talionis et privationis a suo beneficio, sicut consuevit cum domino Signiacensi, suo patre abbate, contendat iniuriose suo honori detrahendo, et insuper quoad summam pecuniarum abbati de Signiaco debitam ratione cuisdam pensionis, Capitulum generale committit domino Cisterciensi, ut possit dare commissarios, qui de causa cognoscant, prout sibi videbitur expedire, in plenaria Ordinis potestate.

51. Tractatum initum, passatum et concordatum inter abbatem et conventum monasterii de Charitate, Bisuntinensis diocecis, ex una parte et Nicolaum Philippe de Langres commorantem Atanes, ac Margaretam de Verney eius uxorem ex altera, prout in litteris... *etc.* approbat.

52. Generale Capitulum committit abbati monasterii de Campis bonis, Vivariensis dioecesis, quatinus quantocius commode poterit, personaliter accedat ad monasterium monialium de Clavacio, ibidemque visitet, corrigat et reformet, in capite et in membris, in spiritualibus et temporalibus, omnia et singula quae ibidem invenerint visitanda, corrigenda et reformanda, in plenaria Ordinis potestate.

53. Abbatissa de Clavacio per generale Capitulum praecipitur sub poena depositionis, quatinus Andream Arnulphi, se pro ballivo sui monasterii gerentem, attentis omnibus quibus notatus est, et damnis quae sui occasione in dicto monasterio acciderunt, a dicto monasterio et dicti officii administratione indilate expellat, invocando ad hoc, si opus sit, auxilium brachii saecularis ; cassat etiam et annullat idem Capitulum quasdam litteras abusivas, alias per sororem Isabellam dicti monasterii quondam abbatissam confectas pro institutione dicti ballivi, praecipitque simili modo idem Capitulum eidem abbatissae ut etiam annullet quasdam alias litteras cuidam se dicenti secretarium eiusdem monasterii, ipsum etiam si et quoties voluerit ab ipso officio penitus eliminet et expellat, non obstantibus quibuscumque litteris super memorato officio per abbatissam et conventum confectis, in plenaria Ordinis potestate.

54. Capitulum generale benigne concedit abbati de Bukfast, quatinus bina vice dumtaxat possit dispensare cum omnibus suis religiosis, eosdemque ab omnibus casibus, irregularitatibus et excommunicationis sententiis generali Capitulo reservatis, in plenaria Ordinis potestate, absolvere.

55. Generale Capitulum in plenaria ipsius potestate annuit et concedit fratri Guillelmo Wode, religioso professo monasterii Beatae Mariae de Buckfast, quatinus possit et valeat infra monasterium suum missas pro amicis aut familiaribus suis celebrare, dummodo ex hoc non sequatur alicuius per eum debiti omissio, nec aliqua irreligiositatis occasio.

56. Capitulum generale benigne concedit fratri Ioanni Stantan, religioso expresse professo monasterii Beatae Mariae de Wardona, quatinus de cetero excusari valeat propter infirmitates varias eum nimium gravantes, ut fertur, ab omni ecclesiae intitulatione, si suo abbati expediens, salubre videatur.

57. Abbatibus de Wardona et Kingeswood committit generale Capitulum auctoritatem et plenum posse terminandi et debito fine claudendi ommes causas, controversias et querelas ortas seu oriri paratas inter abbatem et conventum monasterii de Regali loco et abbatem et conventum monasterii... *(locus vacuus)* in Wallia, in plenaria Ordinis potestate.

58. Tractatum factum, concordatum et passatum inter abbatem et conventum monasterii de Regniaco, Antissiodorensis dioecesis, ex una; et Germanum Chami et Hugonem Chami fratres commorantes a Estrée, in parochia de Mansey, prout in litteris... *etc.* approbat.

59. Abbatibus de Doberan, de Novali Sanctae Mariae et de Colbatz, Sverinensis, Hildeshemensis et Caminensis dioecesium, et eorum cuilibet per se et in solidum committitur per generale Capitulum, quatinus controversiam, querimoniam et omnem causam ortam et motam inter abbatem monasterii Beatae Mariae de Reyneveld, Lubecensis dioecesis, et fratrem Nicolaum Grivel, monachum monasterii Sancti Anastasii extra muros Urbis, debito fine terminent, et partibus auditis ministrent bonum et breve iuris et iustitiae complementum, per censuras Ordinis ad id ipsas partes compellendum, omni appellatione seclusa, in plenaria Ordinis potestate, praecipitque et mandat idem Capitulum praefatis abbatibus, tam coniunctim quam divisim, ut quamcitius commode fieri poterit, ipsi vel alter eorum ad praefatum monasterium de Reyneveld se personaliter transferant vel transferat, ibique debitae visitationis officium exercendo, visitent, corrigant et reforment, tam in capite quam in membris, quaecumque corrigenda, emendanda et reformanda invenerint, in plenaria Ordinis potestate.

60. Abbatibus de Elnis et de Fullentiis coniunctim praesens generale Capitulum committit, quatinus diligenter et debite se informent super commodo cuiusdam tractatus facti inter abbatem et conventum monasterii de Bolbona et singulares villae de Maseriis, super reductione decimarum ipsi monasterio de Bolbona, ut fertur, pertinentium in dicto loco, conformiter ad diffinitionem super hoc anno elapso confectam, abbatibus de Cadunio et de Elnis, qui simul ad decisionem huius causae vacare non potuerunt, si autem ipsum tractatum utilem et fructuosum praedicto monasterio de Bolbona invenerint, confirment, ratificent et approbent, in plenaria Ordinis potestate.

61. Abbati de Reigniaco committit praesens generale Capitulum, quatinus diligenter et debite se informet super commodo vel incommodo tractatus cui praesens diffinitio annectitur, sique ipsum ad utilitatem et commodum monasterii de Fonteneto factum invenerint, confirmet... *etc.*

62. Generale Capitulum diffinit, statuit et determinat quod deinceps monasterium de Iardineto erit et manebit immediate subiectum domino Cisterciensi, cui sententiae et diffinitioni consentit dominus Signiacensis, procurator et nomine procuratoris domini de Alna, de cuius procuratorio in Diffinitorio plenam fidem fecit, quantum tamen suum procuratorium permittit et sine praeidiucio iurisdictionis domini Claraevallensis, si quod ius in illo praetendat.

63. Domino Morimundi committit generale Capitulum, quatinus studiose et diligenter se informet super unione monasterii monialium Bonae quietis facta per dominum Morimundi, novissime defunctum, s. th. pr., et per generale Capitulum, ut fertur, confirmata, ad monasterium de Sanctis Crucibus, qua tamen non obstante propter eorumdem de Sanctis Crucibus, ut dicitur negligentiam, quidam Cartusienses idem monasterium a decem annis citra occuparunt et occupant ; si autem per debitam informationem repererit idem monasterium fore revocandum aut alteri reuniendum, prout sibi melius videbitur, uniat illud monasterio de Populeto ac ordinet et disponat, in plenaria Ordinis potestate.

64. Generale Capitulum attendens tenuitatem, paupertatem et gravissimam ruinam spiritualem et temporalem, ut fertur, monasteriorum monialium de Valle sancta et de Valle daura, in quibus solum dicuntur residere abbatissae cum duabus vel

tribus monialibus, Dei servitio et regulari observantia relictis, voluptati deditae, adeo ut, quod Capitulo relatum est, rex, patroni et fundatores eorumdem locorum admodum male aedificati conqueruntur, et ideo asserentes, quod nisi eisdem monialibus eiectis tot monachi nostri Ordinis loco earumdem ponantur quot possunt redditus eorumdem locorum sustinere, ipsi religiosos alterius Ordinis institui procurabunt ; quare his pensatis, committit Capitulum generale domino Morimundi omnium praemissorum informationem et si praedicta fore vera cognoverit, uniat illa duo monasteria de Populeto ipsis vicino, vel ordinet prout sibi melius videbitis expedire, in plenaria Ordinis potestate, salvo in omnibus et semper iure domini Cistercii, patris abbatis eorumdem monasteriorum.

65. Abbatibus de Charitate et de Theoloco et eorum cuilibet per se et in solidum committit generale Capitulum, quatinus omnes abbates, abbatissas, ceterasque regulares personas eiusdem Ordinis utriusque sexus, quos et quas per debitam informationem invenerint et conventui monasterii Cariloci aut eorum monasterio in aliquibus pecuniarum summis obligatos, sive aliqua bona eiusdem monasterii rapuisse, abstulisse aut iniuste detinere, per censuras Ordinis et alia iuris et iustitiae remedia ad eisdem abbati et conventui et eorum monasterio satisfaciendum viriliter et debite compellant, in ipsius generalis Capituli plenaria potestate.

66. Capitulum generale super incommoditate cuiusdam tractatus quondam facti per dominum... *(locus vacuus)* nuper defunctum confirmatum, inter abbatem et conventum monasterii Beatae Mariae de Caroloco et Henricum Prendon de Fonence, super aminagio dicti loci de Fonence, tamquam eidem monasterio damnabilem et praeiudiciabilem cassat, annullat et irritat, in plenaria Ordinis potestate.

67. Abbati de Boscheto mandat et committit generale Capitulum, quatinus se debite et diligenter informet, an frater Antonius de Combabessosa fecerit et exhibuerit quamdam fictam et falsam diffinitionem anno Domini 1457, prout relatum fuit Capitulo generali per exhibitionem copiae eiusdem, quem si repererit hanc falsificatam fecisse diffinitionem, ipsum incarceret, vel incarcerari faciat in monasterio de Valeta, vel alio Ordinis monasterio, in plenaria Ordinis potestate ; si autem secus et aliter invenerit, declaret eum non esse culpabilem, eidem abbati

de Valeta, in virtute salutaris obedientiae praecipiendo, quatinus eumdem fratrem Antonium recipiat in suum monachum.

68. Capitulum generale attendens iuventutem et desiderium studendi moderni abbatis de Benedictione Dei, secum benigne dispensat, quatinus dehinc ad triennium in collegio Sancti Bernardi, Parisiis, pro acquisitione salutaris scientiae studere et manere possit, non obstantibus diffinitionibus alias in contrarium factis et edictis.

69. Abbati de Theoloco committit generale Capitulum cognitionem et decisionem controversiae, quae vertitur inter abbatem de Bullione et fratrem Vincentium, religiosum monasterii Cariloci, qui partibus auditis ministrabit bonum et breve iustitiae complementum, in plenaria Ordinis potestate.

70. Provisori collegii Sancti Bernardi Parisiensis auctoritate Capituli generalis committitur, quatinus iuxta formam et tenorem *Benedictinae* compellat abbates de Claroloco, de Villari, de Boudelo, de Caroloco, de Theoloco, de Septem fontibus, de Nigro lacu, de Ioyaco, de Albis petris, de Bona valle Viennensi in Dephinatu, de Bona valle Ruthinensi, de Moroliis, de Precibus, cum sufficientibus et debitis provisionibus (*sic*), ceterique potentes ad hoc per eumdem provisorem compellantur, in plenaria Ordinis potestate, quodque abbates scolares Parisiis mittentes simul solvant provisori quantitatem pecuniarum sibi pro provisione datarum, ex quibus primitus accipietur eorum mbursatio.

71. Capitulum generale mandat abbati de Petris, quatinus indilate recipiat in monasterio suo fratrem Ioannem de Foresta, monachum professum dicti monasterii, et sibi ministret victum et vestitum secundum regularia instituta, sub poena excommunicationis et privationis ab abbatiali dignitate.

72. Generale Capitulum cognoscens monasterium de Fesia pastoris solatio destitutum, certis ex causis ad hoc ipsum moventibus, eidem monasterio praeficit in abbatem fratrem Nicolaum Carpenterelli, dudum monachum expresse professum monasterii de Charone, sibi de dicto monasterio providendo, in plenaria Ordinis potestate.

73. Abbatem de Aquabella personaliter ad praesens generale Capitulum per dominum Morimundi citatum, ac debite ad ianuam Diffinitorii vocatum, eius contumacia requirente, declarat contumacem et excommunicatum.

74. Abbati de Otterburg praecipit generale Capitulum, quatinus fratrem Andream Hercuitille, suum monachum expresse professum, recipiat aut eumdem mittat ad aliquod monasterium bene regulatum.

75. Generale Capitulum benigne concedit abbatibus monasteriorum de Landa, de Wilhering, de Paradiso et de Alderspach, facultatem et auctoritatem absolvendi omnes regulares personas sibi et suo monasterio subiectas, ab omnibus casibus et sententiis ipsi Capitulo reservatis, et cum ipsis dispensandi super irregularitatibus forsan per eorum aliquos contractis, quodque ipsi abbates confessores etiam pro suis personis eligere possint, qui similem potestatem eos absolvendi habeant et possint subdelegare seu subcommittere unum vel plures confessores, tam in monasteriis monialium quam religiosorum, qui similem habeant potestatem, praesente diffinitione usque ad quadriennium.

76. Capitulum generale laudat quod sacrosanctum Concilium Basileense statuit et confirmavit de prioratu sanctimonialium de Engental [c], approbatque, recipit et confirmat et declarat illum prioratum fore et esse de dicto Ordine, volens quod idem prioratus gaudeat privilegiis et immunitatibus Ordini nostro concessis, omnia alia laudando, approbando, instituendo huius loci tangentia per abbatem de Luzcella et abbatissam de Augia Sanctae Mariae dicti Ordinis.

77. Domino Morimundi committit et praecipit Capitulum generale, quatinus quantocius commode fieri poterit, se personaliter transferat ad monasterium de Bella valle et ad alia ab eo dependentia monasteria, ibique debite reformationis officium exerceat visitando, corrigendo et emendando quae corrigenda, visitanda et emendanda invenerit, in plenaria Ordinis potestate.

78. Capitulum generale annuit et concedit fratri Mauritio Pelaboti, abbati monasterii de Calercio, quatinus cum ad ipsum venerint aliqui religiosi Ordinis apostatae, quos recipere voluerit, prius et ante omnia eos remittat ad dominum Cistercii qui eosdem, si sibi expediens visum fuerit, ad ipsum remittet.

79. Domino abbati Morimundi committit generale Capitulum, quatinus se informet de disturbio, controversia et ceteris querelis exortis inter abbatem et religiosos monasterii Beatae

[c] Argental : *MW*.

Mariae de Sancta Fide, et cognito causae merito his divisionibus debitum finem imponat, in plenaria Ordinis potestate, revocando et compellendo dictum abbatem, nunc in Curia romana existentem, per censuras Ordinis, ut ad suum monasterium indilate revertatur, et omnes sibi commissos in viam salutis et pacis dirigat.

80. Capitulum generale statuit et ordinat ut dominus Cisterciensis in plenaria Ordinis potestate possit in qualibet provincia instituere unum abbatem procuratorem, cum potestate substituendi unum vel plures loco sui ad defendendum iura, libertates, franchisias, privilegia et exemptiones Ordinis, communibus expensis locorum et domorum Ordinis in ipsis provinciis sitorum.

81. Abbatibus de Bello prato et Claroloco, Tullensis dioecesis, tam coniunctim quam divisim, committit generale Capitulum, quatinus omnes et singulos abbates, abbatissas, ceterasque omnes regulares personas eiusdem Ordinis, utriusque sexus, quos et quas invenerint in aliquibus pecuniarum summis abbati et conventui seu monasterio Beatae Mariae de Villerio, Metensis dioecesis, obligatos vel obligatas... *etc. ut in forma consueta.*

82. Abbatibus de Heysterbach et de Loco Sanctae Mariae, tam coniunctim quam divisim, praecipit generale Capitulum in plenaria ipsius potestate, quatinus omnes et singulos religiosos nostri Ordinis, quos sciverint et invenerint per civitatem Coloniensem girovagari, aut contra religiosos Ordinis mores vivere, ipsos ad propria monasteria per censuras Ordinis remittant, et ire compellant, et in casu rebellionis eos strictis carceribus mancipent et suis propriis abbatibus eorumdem monasteriorum expensis duci faciant, omni appellatione postposita.

83. Abbatibus Beatae Mariae de Bono portu, de Mortuo mari, de Voto, de Valle et de Caroliloco, et eorum cuilibet per se et in solidum, auctoritate Capituli generalis committitur, quatinus debita informatione prius per eos facta super aliquibus certis contractibus per modernum abbatem Belli becci, s. th. pr., seu praedecessores suos factis et passatis, si eos rationabiles, utiles et fructuosos suo monasterio repererint, approbent, confirment et ratificent, in plenaria Ordinis potestate.

84. Omnes et singulos abbates in praesenti Capitulo confirmatos et absentes, idem Capitulum generale citat ad proximum Capitulum personaliter comparituros.

85. Priori Montis Sanctae Walburgis praesens Capitulum

concedit, quatinus praecipuis festivitatibus ad prioratum suum causa devotionis accedens admittere ac historiam sancti Iudoci et sanctae Walburgis, patronorum dicti prioratus, celebrare valeat.

86. Abbati de Pomerio praesens generale Capitulum districtius inhibet, ne fratri Petro de Hagis licentiam conferat extra suum monasterium residendi, nisi tamen ibidem professionem fecerit regularem, licentias a dicto abbate eidem fratri Petro hactenus ubilibet residendi concessas revocando, pensionemque victalitii a priore et conventu prioratus in Warmunda, Traiectensis dioecesis, eidem fratri Petro solvendam monasterio de Heysterbach, donec idem frater ad idem monasterium de Heysterbach redierit, applicando praefatis priori et conventui prioratus in Warmunda, ne cuicumque alteri quam abbati de Heysterbach dictam pensionem solvere praesumat, in virtute salutaris obedientiae, ac sub excommunicationis poena inhibendo.

87 Transumptionem, mutationem provisionem et institutionem fratris Mathiae de Letteinga in abbatem monasterii de Fristorff, per dominum abbatem Morimundi, cuius anima Deo vivat ! factas, quamadmodum in decreto... approbat, *etc.*

88. Abbati monasterii de Gardo praesens generale Capitulum mandat et praecipit, quatinus attentis diligenti ad studium vigilantia, honorum et laudum fructibus, obscura studii continuatione Ordini nostro quamplurimum profuturis fratris Petri Hovecorne, dictum fratrem usque ad complementum lecturae summarum, in collegio Sancti Bernardi Parisiis manuteneat et continuet abbati de Valloliis praecipiendo, quatinus pro manutenentia et continuatione praedictis, dicto abbati de Gardo contribuat in dimietate bursae, ipsum eumdem abbatem eo in casu a missione scolaris Parisiis dicti fratris Patri continuatione durante absolvendo, provisorique Sancti Bernardi praecipiendo ut praedictos abbates ad huiusmodi manutenentiam, continuationem et contributionem, per censuram Ordinis et in eiusdem auctoritate plenaria compellat.

89. Ad instantiam abbatissae monasterii de Saliceto praesens generale Capitulum cum sorore Petronilla de Haluym, sua suique monasterii professa, misericorditer et benigne dispensat, ut non obstante vitii carnalis infamabili contagio, bino exinde puerperio subsecuto eius pro huiusmodi poenitentiae regularis iniunctae sibi perhumili tolerantia, emendatiorisque vitae suae devota

sponsione consideratis, ad omnes Ordinis gradus, honores, voces officia, dignitates, etiam abbatiali, si sua merita poposcerint, inclusa dignitate.

90. Abbatibus de Regali monte, de Caroliloco et de Castellariis, ac etiam cellerario collegii Sancti Bernardi, et eorum cuilibet in solidum, praesens generale Capitulum committit, quatinus abbatem de Gratia Dei compellant ad satisfaciendum bursario collegii praedicti, de et super summa 40 scutorum auri,quam dicto bursario debet ratione expensarum, si scolaris in dicto collegio secundum tenorem obligatoriae cedulae perinde confectae, per censuram Ordinis et in praesentis Capituli plenaria potestate.

91. Ad idem, abbati de Caricampo praesens generale Capitulum committit, quatinus abbatem de Lanneyo compellat ad satisfaciendum fratri Ioanni Fournier de et super summa 94 francorum, secundum formam ac tenorem obligationis instrumentoriae exinde confectae, primitus tamen partibus auditis.

92. Pensionem per abbatem et conventum monasterii Signiaci fratri Ioanni de Siry assignatam et factam secundum formam litterarum, quibus haec annectitur diffinitio, praesens generale Capitulum confirmat et approbat.

93. Cum fratre Ioanne Loblegois, monachi de Valloliis, ad sui abbatis humilem instantiam praesens generale Capitulum misericorditer dispensat, ut non obstante irregularitate quam in apostasia persaepius celebrando, Ordinis habitu derelicto, contraxit, ad omnes Ordinis gradus, voces, officia, dignitates, abbatiali etiam inclusa dignitate, promoveri valeat et admitti.

94. Ad idem, cum fratre Ioanne Quingo, monacho de Bona requie, pro apostasia dumtaxat.

95. Cum sorore Martina... (*locus vacuus*), professa monasterii de Wastina, preesens generale Capitulum misericorditer dispensat, ut non obstante natalium, quem patitur, defectu, de patre ligato matreque libera progenita, ad omnes Ordinis gradus, voces, officia, dignitates promoveri valeat et admitti, abbatiali seclusa dignitate.

96. Ad idem, pro sorore Ioanna Le Fevre, professa monasterii de Pratis.

97. Monasterium monialium de Porta coeli, Coloniensis dioecesis, abbati de Breydelaria generale Capitulum committit, visitandum et reformandum, in plenaria Ordinis potestate.

98. Ad instantiam abbatissae Bellaecumbae cum sorore

Catharina de Reveux, eiusdem monasterii religiosa expresse professa, misericorditer dispensat, ut non obstante inhabilitate ac infamiae nota quam usque in praesentem diem contraxit, ad omnes Ordinis actus legitimos, voces, gradus et officia, etiam abbatiali dignitate inclusa, promoveri valeat et assumi.

99. Ad idem, pro sorore Maria Dromoi, monasterii Beatae Mariae de Gaudio.

100. Ad instantiam abbatis Grandis silvae, s. th. pr., cum fratribus videlicet Antonio Boherii, Ioanne Gordonis, Guillelmo de Sabaudia et Iuliano Pellisserii, generale Capitulum dispensat super apostasia.

101. Ad idem, pro fratre Ioanne Baude, generale Capitulum dispensat super apostasia, monasterii de Longovado.

102. Ad idem, cum sorore Elisabeth, moniali Vallis Benedictae, Leodiensis dioecesis, super unico puerperio.

103. Ad idem, cum sorore Yolende, moniali Beatae Mariae de Pratis, pro unico puerperio.

104. Ad idem, cum sorore Ioanna de Baudart, Beatae Mariae de Vivario.

105. Attentis morum probitate, scientiae litteralis claritudine, rutilantique virtute, quibus frater Ioannes... *(locus vacuus)* insignitur, praesens generale Capitulum eumdem fratrem ordinat, statuit ac decernit provisorem Viennensis studii ab abbate de Sancta Cruce, nec a quocumque alio, absque expresso generalis Capituli consensu, revocandum.

106. Praesens generale Capitulum abbati de Rigniaco committit in plenaria Ordinis potestate, quatinus debite et sufficienter se informet de tractatu quodam inito et contracto inter abbatem monasterii de Fonteneto et quemdam Hugonem de Dampre scutiferum, prout in litteris quibus praesens diffinitio annectitur plenius continetur, sique ipsum ad utilitatem et commodum ipsius monasterii factum invenerit, confirmet, ratificet et approbet.

107. Omnes et singulos germanicae nationis abbates, qui ad praesens Capitulum non venerint, attentis gravaminibus, diversis cladibus et imminentibus viarum periculis, quibus hoc anno opprimuntur ac detinentur, idem generale Capitulum habet benigniter excusatos, eosdemque citat ad proximum generale Capitulum.

108. Excusationes abbatum a via praesentis capituli. Abbates

de Prulliaco, de Bodelo, de Gimondo, de Alna, de Ripatorio, de Bonavalle Pictaviensi, de Charon, de Populeto, de Begario, de Regali monte, de Miratorio, de Valle Dei Leodiensis dioecesis, de Haymerode, de Valle Sanctae Mariae, de Rupibus, de Valentia, de Camberone, de Laude, de Claromarisco, de Vaucellis, de Valle regis, de Valle clara, de Caheriis, de Caladia, de Cheminione, de Tribus fontibus, de Alto fonte, de Curia Dei, de Pratea, de Fontemorum, de Barzella, de Landesio, de Bono loco Lemovicensis dioecesis, de Ursicampo, de Vallibus Sernay, de Calovio, de Albiniaco, et de Oliveto, qui suae remanentiae causas legitimas exposuerunt, tam verbo quam procuratorio, praesens generale Capitulum habet benigniter excusatos.

109. Promotionem et institutionem fratris Edmundi Dautre in abbatem monasterii de Marciliaco per abbatem Rigniaci, in modo et forma in decreto... *etc.*

110. Priori Sanctae Catharinae, Trevirensis dioecesis, per abbatem de Hymenrode [d] constituto, praesens generale Capitulum concedit suis etiam successoribus in eodem, quatinus tam in hospitum receptione quam in emissionibus eorum, etiam absolutione sibi subditorum in omnibus a dicto suo prioratu tamquam abbas habeatur, benedictione novitiorum dumtaxat excepta.

111. Abbatibus de Longovado, et de Bullencuria et de Moris et cuilibet eorum per se et in solidum, praesens generale Capitulum committit, quatinus omnes abbates et abbatissas, quos et quas alter eorum invenerit domino abbati Claraevallensi, s. th. pr., et eius monasterio in aliquibus pecuniarum summis... *etc. ut in forma consueta.*

112. Ad idem, pro Rigniaco, de Pontigniaco et de Quinciaco monasterium abbatibus.

113. Ad idem, pro Caroliloco, de Regali monte, de Valle Sanctae Mariae et de Vallibus Sernay.

114. Ad idem, pro domino abbate Morimundensi, de Crista et de Caroloco monasteriorum abbates.

115. Ad idem, pro collegio Sancti Bernardi, de Caroliloco, de Regali monte, de Valle Sanctae Mariae et de Vallibus Sernay.

116. Ad idem, pro domino abbate de Bello becco, de Mortuo

[d] Hemerode ; *M.*

mari, de Fulcardimonte, de Bono portu, de Loco Dei monasteriorum abbatibus.

117. Ad idem, pro Bello prato, de Regali monte et de Caroliloco monasteriorum abbatibus.

118. Praesens generale Capitulum praecipit visitatoribus universis, quatinus in monasteriis monialium sibi subiectis plures quam duas de eadem propinquitate pro conspirationis occasione tollenda, minime recipere patiantur.

119. Abbati de Ioyaco praesens generale Capitulum praecipit et mandat, quatinus singulis annis monasteria sibi subiecta visitare, Capituloque generali sequenti suae visitationis ordinationes non negligat intimare.

120. Abbati monasterii Mulbronnensis praesens generale Capitulum specialem concedit auctoritatem conversum suum homicidam absolvendi a carceralibus poenis, quibus iam tribus annis merito subiacuit, loco carceris quamdam pro sua discretione poenitentiam eidem iniungendo. Item, eidem abbati concedit quod per immediate sequens triennium, auctoritate Capituli generalis, tam monachos et hospites ad se missos, quam moniales suo monasterio subditas, ab omnibus casibus eidem Capitulo reservatis absolvere, necnon novitios ante completum probationis annum benedicere valeat.

121. Item, abbatem Mulbronnensem a missione studentium et ab hospitum receptione, usque ad triennium, praesens generale Capitulum habet benigniter excusatum.

122. Abbatibus de Fusniaco, de Signiaco et de Valle regis, et eorum ambobus coniunctim praesens generale Capitulum committit, quatinus omnes et singulos contractus per praedecessores domini abbatis Igniacensis in praeiudicium, fraudem, contraque papalia et Ordinis instituta factos et initos, revocent et annullent, in plenaria Ordinis potestate.

123. Abbati de Bona requie praesens generale Capitulum praecipit et mandat, quatinus fratrem Ioannem Quingo, monachum suum, in suo recipiat monasterio, aut in aliquo alio Ordinis monasterio bene regulato, cum licentia profitendi transmittat.

124. Cum ex frequenti et assidua illegitimorum receptione, quamplurima Ordini nostro provenerint scandala, praesens generale Capitulum inhibet abbatibus et abbatissis Ordinis, ne de cetero quoslibet illegitimos aut illegitimas recipere praesumant.

125. Cum ex difformitate habituum in plerisque partibus,

praesertim Allemanniae, Ordo noster suae formae quamplurima patiatur dispendia, in dissimili praecipue colore, tantae temeritatis et execrandae vanitatis abusum generale Capitulum debitae reformationis acuto mucrone resecare satagens, abbatibus et monachis Ordinis universi, in virtute salutaris obedientiae districtius inhibet, ne de cetero diversorum colorum habitus ab inolito Ordinis more difformes qualitercumque ferre, seu penes se detinere praesumant ; sed extra monasterium nigras et non [e] griseas deferre praesumant cucullas.

126. Ut secundum primordialia nostri Ordinis instituta in habitu et esu conformitatis polleamus honore, praesens generale Capitulum prohibet omnibus et singulis Ordinis incolis, ne de cetero secunda quartaque feriis ac diebus sermonum carnibus uti praesumant.

127. Omnes et singulos abbates maioris Poloniae, praesens generale Capitulum per immediate sequens quadriennium habet benigniter a via Capituli generalis excusatos.

128. Praesens generale Capitulum decernit quod regi Poloniae super insolito abbatum sui regni gravamine rescribet.

129. Abbati et conventui monasterii de Dulci valle, praesens generale Capitulum concedit, quod secundum suae devotionis instantiam unam missam de sancto Bartholomeo valeant qualibet hebdomada celebrare.

130. Abbatibus de Obra, de Novali Sanctae Mariae et de Colbatz, Sverinensis, Hyldeshemensis et Caminensis dioecesium, praesens generale Capitulum committit, quatinus causam inter abbatem de Reynevelde et fratrem Nicolaum Menivel exortum discurrant, determinent ac decidant, in plenaria Ordinis potestate.

131. Sanctae devotioni abbatum et monachorum in Anglia constitutorum praesens generale Capitulum condescendens, eisdem committit ut singulis sextis feriis per totum annum, et in vigiliis omnium apostolorum valeant sanctum observare ieiunium, in virtute salutaris obedientiae ac sub excommunicationis poena.

132. Abbati monasterii Beatae Mariae iuxta Dubliniam, in Hybernia, praesens generale Capitulum praecipit et mandat,

---

[e] omnino : *M.*

quatinus fratrem Richardum, monachum suum, in sacra pagina baccalarium, ad examen et studium remittat, cum debita provisione usque ad gradum doctoratus inclusive, sub divinae et Ordinis indignationis animadversione.

133. Hybernicis religiosis in studio Oxoniensi residentibus, praesens generale Capitulum concedit ut privilegiis, libertatibus et promotionibus dicti collegii, ut Anglici, ad plenum gaudeant et utantur.

134. Execrandis criminibus et horrendis excessibus fratris Petri Troillo, nuper abbatis de Columna, notitiae generalis Capituli deductis, idem Capitulum decernit, praecipit ac diffinit, quod dictus frater Petrus in carceribus in quibus nunc detinetur, vel in aliis quibuscumque tamdiu detineatur, donec super rapina, transportatione et alienatione librorum, crucium, calicum et aliorum quorumcumque bonorum monasterii de Columna, plenariam et integram satisfactionem [fecerit]. Omnibus et singulis Ordini nostro subiectis regularibus personis districtissime praecipiendo, quatinus fratres Maturinum Betot et Colinum de la Buxière, in huiusmodi criminibus participes, consentientes et complices, et nunc per mundum apostatando damnabiliter discurrentes capiant seu capi faciant, et in carceribus detineant, detinere faciant, invocato si opus sit auxilio brachii saecularis.

135. Abbati monasterii de Columna generale Capitulum facultatem et auctoritatem concedit, quatinus super controversia inter ipsum et magistrum Ioannem Bracheti exorta, ratione occupationis dicti sui monasterii, et alias cum eodem commodius quo voluerit tractare valeat et appunctuare [i].

---

[i] *Insuper apud L*^{5}*, inter pag.* 560 *et* 561*, narrationem sequentem legimus quae ad annum* 1460 *refertur :*

Pagina 299 eiusdem quaterni centenarii legitur :

Reparatio cuiusdam iniuriae et violentiae factae abbati Bonaevallis redeunti de Capitulo generali.

Anno Domini 1460, venit ad Capitulum generale quidam conquerens quod abbas Bonaevallis Viennensis tenebatur sibi in certa pecuniarum summa propter certa servitia per eum sibi facta, solutionem querens ; cumque rationem quam optabat assequi non potuisset, assumpto quodam P. Dechenon, in villa Divionensi nato, et aliis sibi similibus, observavit viam publicam, per quam dictus abbas erat ad patriam reversurus. Transeunte itaque abbate per certum districtum viarum affuit et ipse explorator, equum per frenum retinens et solutionem petens, ipsumque abbatem iaculo in tibia graviter vulneravit et de equo praecipitavit ; tandem mediante iustitia dictus P. Dechenom ad hoc pervenit, ut cogeretur impetrare gratiam a domino duce Burgundiae ; qua obtenta, per

1461

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo primo, statuta sunt haec apud Cistercium, duodecima die mensis septembris, in eiusdem Cisterciensis Ordinis Capitulo generali.

ORATIONES

1. Pro [b] beatissimo... *etc. ut in anno* 1458.

2. Praeterea pro christianissimo et semper augusto domino Frederico... necnon pro christianissimo domino Ludovico rege Francorum... *etc. ut in anno* 1449.

3. Insuper pro burgensibus... *etc. ut in anno* 1449.

4. Ceterum pro pace... *etc. ut in anno* 1449.

5. Postremo pro felicis... *etc. ut in anno* 1449.

[DIFFINITIO] GENERALIS

6. Cum Ordo noster... *etc. ut in anno* 1456.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

7. Provisionem fratris Ioannis de Masseriis [c], in sacra pagina baccalarii, et monasterii Beatae Mariae de Caritate, de dignitate abbatiali eiusdem monasterii Caritatis, per SS. Dominum nostrum Pontificem Pium, tamquam in personam idoneam et

---

sententiam domini Baillivi Cabilonensis, in cuius limitibus forefactum fuerat perpetratum, est condemnatus, ut in proxime sequenti Capitulo generali sola camisia vestitus, tedam accensam tenens in manibus et genibus ad terram provolutus misericordiam et veniam precaretur toti Ordini, quod et solemniter duabus vicibus factum est, prout constat per litteras super hoc confectas.

1461. *Fontes* : L^4 : 1-155 ; *M* : 7, 24-27, 28 *(abbrev.)*, 29, 42 *(abbrev.)*, 90, 109, 118, 130 *(abbrev.)*, 139, 148 ; P^2 : 1, 7, 9, 24-27, 28 *(abbrev.)*, 29, 32 *(abbrev.)*, 33 *(abbrev.)*, 42 *(abbrev.)*, 47 *(abbrev.)*, 72, 74, 85, 86 *(abbrev.)*, 90, 92, 103, 104, 109, 118, 130 *(abbrev.)*, 131, 139, 148, 151 ; T^6 : 148.

[a] *Titulus apud* L^4. [b] Sub Pio II, card. Bonon. Ord. protect., Frederico rege Romanorum, Ludovico rege Francorum, Philippo duce Burgundiae, Guidone IV abbate cistercii 40 : P^2. [c] Monasteriis : *M*.

sufficientem factam, generale Capitulum laudat [d] et gratam habet.

8. Electionem, installationem et confirmationem de persona fratris Ioannis Le Verrier, religiosi expresse professi monasterii Beatae Mariae de Melereyo, in s. pag. bac. formati, in dignitatem abbatialem dicti monasterii, per abbatem de Ponte Oltrani, eiusdem monasterii patrem abbatem immediatum, tamquam canonice et rite... *etc.*

9. Provisionem et institutionem fratris Philippi Roussot, dicti de Luya, religiosi monasterii B. M. de Maceriis, ad prioratum et administrationem perpetuam monasterii quondam monialium de Penthemont prope et iuxta muros Belvacenses, per dominum Cisterciensem, patrem abbatem immediatum dicti loci, rite ... *etc.*

10. Electionem, promotionem et confirmationem fratris Nicolai de Marasio in abbatem monasterii B. M. de Insula Barrensi, Tullensis dioecesis, per abbatem monasterii Sancti Benedicti in Vepris, patrem abbatem eiusdem loci, rite... *etc.*

11. Ad idem, pro fratre Livino Mangri, religioso expresse professo monasterii B. M. de Laude. in dignitatem abbatialem eiusdem monasterii, per abbatem de Vaucellis, commissarium domini Claraevallis, patris abbatis immediati eiusdem monasterii de Laude.

12. Ad idem, pro fratre Guillelmo de Crabasco, professo monasterii de Caritate, in abbatem de Bithania, Bisuntinensis dioecesis, per dominum Morimundi, patrem abbatem eiusdem monasterii.

13. Ad idem, pro fratre Ioanne Choppelin, in abbatem de Stella, post resignationem factam in manibus abbatis de Misericordia Dei, commissarii domini Pontigniaci, patris abbatis eiusdem monasterii de Stella.

14. Ad idem, pro fratre Bertrand Albi, nuper abbatis Bonifontis, ad dignitatem abbatialem monasterii B. M. de Grandisilva, per abbates de Calercio, de Fenariis et de Gimondo, commissarios domini Claraevallis, patris abbatis eiusdem monasterii Grandis silvae.

15. Ad idem, pro fratre Roberto de Marissello, in abbatem

---

[d] approbat : *MP*².

monasterii de Frigido monte, per electionem promoto et confirmato per abbatem Ursicampi, patrem abbatem eiusdem monasterii.

16. Electionem, institutionem, promotionem et installationem de persona fratris Clementis Bernardi, alias Lathomi, dudum monachi et supprioris monasterii de Loco regio, electi in abbatem eiusdem monasterii, et per abbatem Curia Dei, patrem abbatem eiusdem monasterii, confirmati, rite et canonice... *etc.*

17. Electionem seu postulationem de persona fratris Stephani Mercatoris, alias de Castronentone, dudum abbatis monasterii de Loco regio, per Rmum. in Christo patrem dominum Cistercii ad monasterium de Curia Dei, ac installationem et possessionis investionem per abbatem de Sacro portu, alias de Barbello, commissarium eiusdem Rmi. patris et domini Cistercii, prout in litteris, *etc.*

18. Ad idem, pro magistro Odone Lacome, s. th. pr., in abbatem monasterii B. M. de Theoloco, per abbatem de Vallibus in Ornesio et priorem Morimundi, commissarios domini Morimundi, patris abbatis eiusdem monasterii de Theoloco promoto electione canonica.

19. Ad idem, pro fratre Ioanne Ghislem, alias de Bruchborch, monasterii B. M. de Iardineto, promoto in dignitatem abbatialem de Allodio Beatae Virginis, alias de Molinis, per abbatem Igniaci, commissarium domini Cisterciensis, patris abbatis eiusdem monasterii.

20. Ad idem, pro fratre Ioanne de Merreyo, in theologia baccalario formato, in abbatialem dignitatem monasterii B. M. de Regalimonte, per dominum Cisterciensem, patrem abbatem eiusdem monasterii de Regalimonte.

21. Ad idem, pro fratre Guillelmo Cuerdargent in abbatem monasterii B. M. de Clarofonte, per abbatem Cariloci et de Dulci valle, ac priore Morimundi, commissarios domini Morimundi, patris eiusdem monasterii.

22. Ad idem, pro fratre Petro de Frubach in abbatem B. M. Schonaugiensis, Wormatiensis dioecesis, per abbatem monasterii Eberbacensis, patrem abbatem eiusdem monasterii.

23. Ad idem, pro fratre Wunhero de Turingen, in abbatem monasterii de Bebenhusen, per abbatem monasterii Schonaugiensis, eiusdem monasterii patrem abbatem immediatum.

[DIFFINITIONES] GENERALES

24. Ut in reformatione Ordinis, pro qua praesens generale Capitulum specialiter est congregatum, ab his quae divinum cultum respiciunt, suas volens, ut decet, actiones inchoare districte praecipit et mandat omnibus et singulis regularibus Ordinis personis, quod de cetero devotius divinum officium diu noctuque, tam de die quam de nostra Domina, reverenter et morose, non balbutiendo aut sincopando, sed cum pausis et aliis circumstantiis per beatum patrem nostrum Bernardum et alios praecedentes patres nostros traditis, tam in psalmodia quam in cantu persolvant, quodque tam abbates quam monachi qui gravissima infirmitate vel alia rationabili causa perevidenti monasteriorum suorum utilitate non fuerint legitime praepediti, ad peragendum praedictum officium in omnibus horis in choro conveniant, simulque debitas Deo laudes in timore et tremore studeant decantare, ceterisque omnibus ordinationibus et diffinitionibus circa modum celebrandi divinum officium in ipso Ordine hactenus factis in suo robore permansuris ; praemissa vero negligentes adimplere per visitatores et proprios monasteriorum abbates quoties deliquerint, indissimulanter castigentur.

25. Rursusque mandat et praecipit idem Capitulum ut in quolibet monasterio, tam monachorum quam monialium, quod omnes de cetero secundum Ordinis statuta ad vigilias surgant, quodque completorium taliter pulsetur ut cum luce diei omnia possint compleri.

26. Quia ad aures praesentis Capituli pervenit quod nonnulli Ordinis abbates, monachi et conversi palam et impudenter, statuta Ordinis tam apostolica quam regularia transgrediuntur contra eorumdem statutorum inhibitionem annis elapsis saepissime factam, in dormitoriis cameras habere clausas, seu supra culcitras plumeas vel linteamina linea in eisdem dormitoriis iacere, vel camisias lineas, gippones [e], caligas nigras, manicas boutonatas, scapularia nimis ampla et longa, corrigias et cultellos non regulares, sotulares minime corrigiatos, ceterosque habitus lascivos et inordinatos gestare, ac per civitates et oppida, cete-

---

[e] candidas : *MP*².

raque notabilia loca absque cucullis vel cappis equitando deambulare praesumunt ; idcirco praesens generale Capitulum super huiusmodi excessibus, ex quibus totius Ordinis fama, proh dolor ! denigratur, salubre volens remedium adhibere, statuit, ordinat et diffinit, ut abbates vel monachi in praemissis amodo delinquentes, attento quod plus quam sufficienter ut ab eisdem excessibus abstinerent, moniti fuerint, tamquam deprehensi in habitu saeculari ab omnibus teneantur et habeantur, donec praedictos abusus et superfluitates a se removerint et penitus destruxerint, ut ad imitationem beatissimi patris nostri Bernardi sint in habitu compositi, ut in ipsis nil appareat quod offendere possit intuentes.

27. Rursus ordinat praedictum Capitulum et districtissime sub inobedientiae poena, omnibus abbatibus et religiosis hic existentibus, non habentibus corrigias et sotulares ad modum Ordinis, antequam recedant ab hoc monasterio Cistercii, ut ceteris valeant et possint ostendere, similes accipere et emere non postponant.

28. Ad extirpandam, quantum possibile erit, immunditiam carnalem a personis Ordinis nostri utriusque sexus, generale Capitulum ordinat et diffinit quod amodo qui repertus et convictus fuerit de contagio carnis, si abbas vel abbatissa extiterit per annum integrum incarceretur, si vero monachus aut monialis per sex menses continuos in firmis carceribus recludatur, cum aliis poenis in statutis contentis.

29. Patres abbates, qui monasterii sibi subiecta negligunt per se vel per alium visitare, vel qui talia monasteria visitantes in eisdem per munera vel alias corruptiones excaecati debitas negligunt facere correctiones, seu qui in promotionibus novorum abbatum per electiones canonicas secundum Ordinis statuta non procedunt, sed auctoritate propria in huiusmodi monasteriis promovent et instituunt novos abbates, etiam frequenter indignos, et ad exercendum pastorale officium prorsus inhabiles ; praesens generale Capitulum privat et declarat eos esse privatos per quinquennium cuiuslibet visitationis officio ; dictumque officium visitationis quod ad ipsos pertinet ad immediatum superiorem ipsorum devolvit, et declarat interim esse devolutum, nec tales per eos institui aut promoti, sunt aut debent quovis modo abbates reputari.

30. Generale Capitulum omnibus patribus abbatibus Ordinis

districte et sub poena depositionis inhibet, ne de cetero abbatibus monasteriorum ipsis subditorum quantumlibet sponte et libere cedentibus pensionem, quae summam in statutis Ordinis tam apostolicis quam regularibus limitatam excedat, assignare praesumant ; quod si secus per quoscumque hactenus fuerit factum aut fieret in futurum, praesens generale Capitulum illud cassat, irritat et annullat, praedictosque patres abbates tamquam privilegiis apostolicis et statutis Ordinis inobedientes corrigi mandat et puniri.

31. Omnibus et singulis visitatoribus et reformatoribus Ordinis universi inhibet generale Capitulum, ne de cetero quoscumque contractus in Ordine fieri permittant, nisi per modum in papalibus statutis diffinitum, et si aliquis contractus per abbates vel abbatissas seu alias quascumque Ordinis personas, praedictis papalibus statutis minime observatis, facti fuerint, ipsos idem Capitulum fuisse et esse nullos et invalidos declarat et diffinit, eosdem prorsus cassando et annullando, praedictis visitatoribus et reformatoribus districte praecipiens, ut abbates et abbatissas et conventus eis subditos ad huiusmodi contractuum dissolutionem et renovationem viriliter compellant, ipsosque de tanta temeritate indissimulanter puniant iuxta praedictorum papalium statutorum et Ordinis diffinitionum sanctiones.

32. Enormibus scandalis et iacturis Ordini, proh dolor ! imminentibus per abbates et monachos fidelitatem qua Ordini astringuntur temerarie violantes, extra Ordinem appellare, seu causas et lites contra Ordinis personas introducere in grave privilegiorum et libertatum ipsius Ordinis praeiudicium praesumunt, generale Capitulum volens occurrere, prout alias diffinitum fuit, statuit, ordinat et diffinit, quod omnes et singulae Ordinis personae, quae de cetero extra Ordinem appellare seu personas Ordinis coram quibuscumque iudicibus extra Ordinem trahere praesumpserint, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, et nihilominus carceribus mancipentur, usque ad nutum Capituli generalis.

33. Item, ad audientiam praesentis Capituli delatum est, quod in nonnullis monasteriis Ordinis detestabile proprietatis vitium, sectiones bonorum, divisiones fructuum, necnon certae pro vestitu pecuniarum summae in damnabilem contemptum professae et voluntariae paupertatis, atque in contemptum statutorum felicis recordationis domini Papae Benedicti XII,

ab abbatibus permittuntur. Eapropter dictum Capitulum volens huiusmodi detestabile vitium radicitus abolere, omnibus et singulis abbatibus Ordinis sub poenis in statutis tam papalibus quam regularibus contentis, districtissime praecipit et iniungit, ut omnes sectiones, divisiones, portiunculae seu quascumque peculiares possessiones, terras, vineas aut animalia, quocumque colore quaesito, suis monachis permissas vel permissa, ad commune indissimulanter et totaliter reducantur, et ut huiusmodi proprietatum occasiones penitus auferantur et tollantur, idem Capitulum ordinat et iniungit universis Ordinis abbatibus, quatinus omnibus et singulis suis monachis de victu, vestitu et ceteris necessariis sufficienter provideant, iuxta suorum monasteriorum possibilitatem et facultatem.

34. In statutis tam papalibus quam regularibus Ordinis, generale Capitulum considerans sub poenis formidabilibus esse prohibitum ne in Ordine per quoscumque abbates, personae de Ordine Mendicantium recipiantur, omnibus et singulis ipsius Ordinis abbatibus inhibet generale Capitulum districtissime, ne de cetero quascumque de praedictis Ordinibus Mendicantium personas recipiant, aut receptas in suis monasteriis de cetero praesumant retinere, nisi super hoc petita pariter et obtenta Capituli generalis licentia.

35. Cum generale Capitulum circa promotionem virorum litteratorum in Ordine dudum salubriter diffinivit atque ordinavit, ut omnes et singulos abbates Ordinis cuiuscumque nationis existerent, quatinus magistros bonos in suis haberent et tenerent monasteriis, qui iuvenes ipsorum monachos in scientiis primitivis valerent erudire ; quam quidem diffinitionem toti Ordini videns esse fructuosam et perutilem, praesens generale Capitulum eam renovat, confirmat et approbat, praedictos abbates attente monendo et hortando, ac visitatoribus et abbatibus monasteriorum districtissime et sub gravibus poenis praecipiendo, ut eam iuxta eius formam et tenorem in singulis monasteriis executioni demandare non negligant ; per hoc tamen ipsum Capitulum praedictos abbates ad mittendum suos scolares ad studia generalia quovis modo absolvere nullatenus intendit.

36. Et quia praesens generale Capitulum diutius sustinere non valens execrandam duritiam nonnullorum Ordinis abbatum, qui tamquam suae salutis immemores sententias et alias poenas gravissimas in statutis Ordinis, qui scolares in studio Parisiensi

et aliis generalibus studiis, iuxta domini Papae Benedicti XII limitationem, non timent incurrere, et in eisdem sordescere non erubescunt, nec formidant, omnes et singulos ipsius Ordinis abbates, qui in studiis generalibus scolares non habent et habere tenentur, idem Capitulum declarat et condemnat ipsos et quemlibet ipsorum ad solvendum summam dupli expensarum, quas fecissent in praedictis studiis scolares expresse tenendo, districteque praecipiens in virtute salutaris obedientiae abbatibus ceterisque personis infrascriptis, ut omnes et singulos abbates Ordinis iuxta modum inferius designandum et limitandum per censuras Ordinis et alia iuris et iustitiae remedia viriliter et debite compellant ad solvendum praedictum duplum, de uno anno pro quo in eodem studio Parisiensi, vel aliis studiis generalibus, scolarem vel scolares non tenuerunt, prout fuerat diffinitum et expresse ipsis praeceptum, anno praeterito in Capitulo generali, invocato ad praemissa, si necesse fuerit, quorumcumque iudicum ecclesiasticorum vel saecularium auxilio et favore ; cuius diffinitionis executionem idem Capitulum committit abbati, videlicet in provincia... *(sic desin.)*.

37. Item, abbates Ordinis universi, qui ad praesens generale Capitulum non venerunt, et secundum Ordinis nostri statuta venire tenebantur, non habentes in et super hoc legitimum impedimentum, seu remanendi licentiam specialem, et illos etiam abbates omnes, qui legitimum impedimentum seu licentiam habere se praetendebant, qui de ipsis impedimento seu licentia in ipso Capitulo per suos procuratores seu excusatores probos et idoneos viros, habentes specialia mandata praestandi iuramenta in animas ipsorum mittentium causas absentiae et impedimenta huiusmodi vera esse, secundum statuta papalia, sicut tenebantur, fidem de his debitam dicto generali Capitulo non fecerunt, praesens generale Capitulum habet et reputat contumaces, ac decernit, declarat et iudicat ipsos incurrisse poenam dupli eius quod expensuri erant ad idem Capitulum veniendo et de illo redeundo, et eos teneri ad exhibendum et solvendum illud duplum in sequenti Capitulo generali, ad utilitatem ipsius Capituli convertendum, secundum dicta papalia instituta.

38. Quatuor primis abbatibus Ordinis cuilibet in sua generatione datur plenaria potestas exigendi, levandi et requirend dictum duplum, modo quo poterunt fortiori.

39. Omnes diffinitiones factas in Capitulo generali anni prae-

teriti, idem Capitulum laudat, confirmat, ratificat pariter et approbat ; generales autem tam anni praeteriti quam praesentis infra annum visitatores et abbates levare et eos habere ac suis monasteriis sibique subditis praesentare non postponant.

40. Quoniam attestante sacra Scriptura, « qui honorat patrem suum iucundabitur in filiis et in die orationis suae exaudietur », et « qui honorat patrem suum vita vivet longiore », et « honora patrem tuum ut superveniat benedictio », et consequenter « gloria, inquit, hominis ex honore patris sui, et dedecus filii pater sine honore ».

Quae de patribus spiritualibus sicut et corporalibus dici vel intelligi possunt ; unde et apostolus ad Timotheum scribit : « qui bene praesunt presbyteri duplici honore habeantur ». Ut ergo patribus et superioribus abbatibus qui subditos suos in tantis et inevitabilibus sollicitudinibus et laboribus, ut constat notorie gubernarunt et gubernabunt in futurum, vices aliquae impendantur, generale Capitulum ordinat, statuit ac omnibus et singulis abbatibus et aliis personis regularibus Ordinis nostri, prout eorum quemlibet negotium istud tanget, praecipit et iniungit ut de cetero in perpetuum in omnibus et singulis monasteriis et locis conventualibus ipsius Ordinis ubi primum et cuiuscumque abbatis monasterii Cistercii obitus certitudo claruerit, in quolibet dictorum monasteriorum pro eo solemnes exequiae, vesperae videlicet seu vigiliae, laudes et missa conventualis alta voce devotionis celebrentur ; et donec de ipsius monasterii provisione indubitanter rumor protulerit veritatem, humiles preces fundantur ad Dominum et apud eum devotis orationibus insistatur, quod provisio celer, concors et utilis prout animarum salus exigit, et totius ipsius Ordinis requirit utilitas, quam totius subsequatur. Et consimiliter per omnia fiat de quatuor primorum abbatum obitu et subsequenda provisione monasteriorum eorum et etiam de omnibus abbatibus Ordinis habentibus generationem magnam sive parvam, in monasteriis subiectis eis in eorum generationibus et a personis regularibus eorumdem.

[DIFFINITIONES] SPECIALES

41. Cassationem, irritationem et annullationem cuiusdam pensionis seu venditionis et alienationis 16 francorum, alias per sororem Nicolaam dudum abbatissam monasterii quondam

monialium B. M. de Penthemont, fratri Ioanni Douchin, monasterii de Bello becco professo, factae, absque scitu et voluntate domini Cisterciensis, patris abbatis eiusdem loci, per commissarios suos, praemissa debita informatione, factas et editas, et postmodum per eumdem dominum Cisterciensem approbatas et ratificatas, ut plenius in litteris duplicibus quibus haec diffinitio praesens annectitur, continetur ; generale Capitulum ipsam pensionem eidem fratri Ioanni per dictam abbatissam factam approbat, ratificat et confirmat, ex abundanti cassando, annullando et penitus revocando omnia alia inde secuta, et praesertim quamdam novam obligationem eidem fratri Ioanni nuper per modernum priorem et administratorem dicti monasterii Penthemontis eidem factam, occasione et ut posset recuperare litteras obligatorias huiusmodi pensionis, alienationis et venditionis, praecipiendo et inhibendo praefato moderno priori dicti loci sub poena excommunicationis, inobedientiae et depositionis, ne eidem fratri Ioanni Douchin summam in dicta nova et antiqua obligatione contentam, ratione et ad causam recuperandi praefatas litteras obligatorias solvat et tradat.

42. Ad supplicationem illustrissimae principissae dominae ducissae Burgundiae, decus Ordinis nostri vehementer zelantis, Capitulum generale committit abbatibus de Molinis et de Iardineto, quatinus se transferant ad monasterium monialium de Boneffia, in comitatu Namurcensi, illud visitando et reformando tam in capite quam in membris, atque si viderint expediens esse pro Ordine et bono ipsius monasterii, monialibus remotis, ipsasque ad alia nostri Ordinis monasteria transmittendo, et ad illas recipiendum abbatissas per censuras Ordinis compellant, abbatem et monachos ibidem instituendo, in plenaria Ordinis potestate, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, sub tali tamen conditione quod in plenaria obedientia pristina domini Cisterciensis, patris abbatis eiusdem, semper ut antea manebit subiectum.

43. Ad instantiam et supplicationem abbatis de Bithania requirentis, quatinus removeatur manus mortua de aliquibus vineis in valle de Bithania situatis, propter quam manum mortuam homines illas tenentes dimiserunt in ruinam venire, et desolationem, unde suum monasterium multipliciter gravatur, committit generale Capitulum abbatibus de Charitate et de Caroloco, quatinus se diligenter et debite informent, si huiusmodi

manus remotio possit fieri ad utilitatem ipsius monasterii, et in proximo generali Capitulo referant.

44. In favorem et ad requisitionem serenissimi principis domini nostri Francorum regis, etc. Tractatum seu accordum passatum et initum inter fratres Ioannem Le Verrier, modernum abbatem monasterii de Melereyo, et Maturinum Simon, priorem eiusdem monasterii, super quadam querela et controversia mota et orta inter eos ratione et ad causam electionis ad dignitatem abbatialem ipsius monasterii, prout in litteris accordi, quibus praesens diffinitio est annexa diffusius continetur, generale Capitulum approbat, recipit et confirmat pensionem eidem fratri Maturino Simon, per eumdem abbatem de Melereyo assignatam et accordatam, propter bonum monasteri, confirmando et ratificando, dummodo tamen ea utatur honeste et religiose vivendo.

COMMISSIONES

45. Abbatibus de Mansiade et de Bonis campis, coniunctim vel divisim, committit praesens generale Capitulum, quatinus processum per abbatem de Bonavalle Viennensi, de persona, vita et moribus fratris Antonii Martelli, se pro abbate monasterii Aquae bellae gerentis, factum videant, visitent et, si opus sit, iterum de novo processum faciant, omnibusque visis et auditis iudicent, sententient, et diffiniant, quae sententienda, diffinienda et iudicanda cognoverint, etiam dicto monasterio de novo providendo, si opus sit, in plenaria Ordinis potestate.

46. Abbatibus de Caroliloco, s. th. pr., de Bono portu, de Vallibus Sernay et de Curia Dei per generale Capitulum committitur, per se et in solidum, quatinus diligenter se informent super vita et moribus et omnimodo regimine fratris Lucae Dessosuys, monasterii B. M. de Trappa expresse professi, verbo et facto, ut fertur, periculosissimi, adeo ut aliquando ex ore proprio protulerit, et saepe solitus est dicere, quod si ipse fuisset de complicibus illorum, qui dominum de Tironello occiderunt, sic consuluisset, quod oculos sibi eruissent, deinde per quamdam viam oculorum cerebrum terebrassent, et alia pessima et horrenda his similia proferendo nullam prorsus dissimulationem admittentia ; et si huiusmodi fratrem Lucam in his aut aliis similibus culpabilem aut convictum invenerint, secundum exigentiam, qualitatem et quantitatem causarum puniant et corrigant, etiam illum

ad aliud monasterium remotum transmittendo, suum delictum cogniturum, ne suae vitae dissolutae exemplo ceteri similem morbum incurrant, in plenaria Ordinis potestate.

47. Abbatibus de Caroliloco, s. th. pr., de Bello prato Belvacensi et priori de Penthemonte, et eorum cuilibet per se et in solidum, committit generale Capitulum, quatinus per censuras Ordinis, et sub excommunicationis latae sententiae poena compellant abbatem de Lanneyo ad solvendum, infra terminum per eos et eorum quemlibet praefigendum, expensas factas per cellerarium collegii Sancti Bernardi Parisiis, in requisitione et prosecutione scandalosae incarcerationis cuiusdam sui religiosi, frater Ioannes Thibault nuncupati, qui ex carceribus castelleti Parisiensis ductus fuit ad carceres episcopi et inde requisitus et traditus eidem cellerario sub cautione incarcerandus, sed malitia suae perversae voluntatis,ostio nocte fracto et combusto, discessit, ad reparationem cuius ostii, ut prius, compellatur ipse de Lanneyo, etc.

48. Capitulum generale sub poenis excommunicationis monet abbatem, priorem et cellerarium Aquaebellae, quatinus infra dimidium annum solvant domino Morimundo expensas per eum factas, in visitatione et reformatione eiusdem monasterii, et etiam expensas prioris Morimundi pro eundo et redeundo ad praefatum monasterium, praemissorum occasione factas, executionem huius praesentis diffinitionis abbati de Mansiade committendo.

49. Abbatibus de Caroliloco, de Regalimonte, de Bello prato et de Lanneyo, et eorum cuilibet per se et in solidum,committit generale Capitulum, quatinus omnes et singulos contractus initos et passatos per abbatissam et moniales monasterii Penthemontis, cum quibuscumque personis in praeiudicium et gravamen eiusdem loci, cassent, irritent et annullent, in plenaria Ordinis potestate.

50. Generale Capitulum facit, constituit et ordinat suos et totius Ordinis procuratores generales et nuntios speciales, abbatem monasterii Sanctarum Crucium, ac fratres ... *(locus vacuus)* ad prosequendum processum et litem contra Cartusienses, detinentes monasterium monialium Bonae quietis, confirmando et approbando facta et acta in hac materia per dominum Morimundi, commissarium in hac parte ipsius Capituli generalis.

51. Abbatibus de Laude et de Bodelo committitur per generale Capitulum, quatinus diligenter et debite se informent super

iniuriis, rebellionibus et inobedientiis per abbatissam et moniales monasterii Vallis rosarum in Brabantia, factis domino abbati de Dunis commissario domini Cistercii, exercendo ibidem suam commissionem, et eas ad emendationem dignam cogant, puniendo culpabiles secundum qualitatem et quantitatem casuum, compellantque dictam abbatissam et suum conventuum ad refundendum et rationabiliter et sine excessu expensas per eumdem abbatem de Dunis factas, in huiusmodi visitationis officio.

REHABILITATIONES ET GRATIAE

52. Generale Capitulum misericorditer et benigne dispensat cum fratre Raymundo Segousac, monacho expresse professo monasterii Bonaecumbae, ut non obstante carnis contagio, in quo fuit deprehensus, et per dominum Morimundi sufficienter de huiusmodi crimine punitus, possit ad omnes Ordinis actus legitimos, officia, voces, gradus et dignitates, etiam abbatiali inclusa, promoveri.

53. Ad idem, pro fratre Mathia, professo monasterii de Bildehusen, pro simili casu.

54. Ad idem, pro sorore Cecilia de Scominburg, professa in monasterio de Ausselaw, peo eodem crimine.

55. Ad idem, pro sorore Isabella Zuth, pro perpetrato carnis contagio, puerperio inde semel subsecuto, abbatiali seclusa dignitate.

56. Ad idem, pro fratre Pontio sacerdote, qui per tres annos quodammodo apostatavit, pluries celebravit et duos infantes baptizavit.

57. Ad idem, pro fratribus Ioanne Machon et Philippo de Lange, monachis de Laude, quorum primus per sex menses et secundus per sex hebdomadas, per saeculum evagando illicentiati apostasiam incurrerunt.

58. Generale Capitulum benigne dispensat cum abbate de Altacumba, ut semel in foro conscientiae possit omnes suos religiosos ab omnibus peccatis, casibus et excommunicationum sententiis Capitulo specialiter reservatis absolvere, ipseque ab uno de suis absolvi, necnon monasteriorum sibi subditorum, videlicet de Bonoloco et de Monte Sanctae Catharinae, idem abbas possit etiam semel absolvere omnes regulares eorumdem personas.

59. Ad idem, pro abbate de Misericordia Dei.

60. Ad idem, pro abbate Caroliloci et suis religiosis.

61. Ad idem, pro abbate de Nigro lacu et suis religiosis, et monasterio monialium de Buxeriis sibi subiecto.

62. Ad idem, pro abbate Cariloci et suis religiosis.

63. Ad idem, pro abbate de Heysterbach.

64. Ad idem, pro abbate de Loco Sanctae Mariae.

65. Examinato et diligenter discusso processu depositionis et destitutionis fratris Petri de Flinis a dignitate abbatiali monasterii Trium fontium, per sententiam novissimi abbatis...' *(locus vacuus)* prolatam, occasione aliquorum incaute et inconsulte verborum prolatorum, ut sibi a suis quibusdam aemulis impositum fuerat, et nullo alio crimine devictus, a quibus regia maiestas quoad exilium illum penitus et totaliter relevavit, et ab omnibus inde secutis et hac de causa Capitulo generali dignatus est scribere idem christianissimus dominus noster rex Francorum. Idem generale Capitulum, visis et attentis omnibus quae attendenda et consideranda erant, matura super his prius habita deliberatione, per suam diffinitivam sententiam, eumdem fratrem Petrum ad praefatam suam dignitatem abbatialem et eius possessionem restituit, et installat et reponit ipsum in ea ut prius confirmando mandans domino abbati Claraevallis, patri abbati eiusdem monasterii, quatinus quantocius poterit ad ipsum monasterium Trium fontium accedens executioni debitae praesentem diffinitionem demandet, in plenaria Ordinis potestate.

66. Generale Capitulum misericorditer dispensat cum abbate de Lutzella, et eum absolvit a via Capituli usque ad immediate sequens quinquennium.

67. Generale Capitulum accepit quod frater Martinus Hamon, per media symoniaca, abbatialem monasterii de Valle nostrae Dominae obtinuit dignitatem, ut fertur ; proinde ipsum Capitulum huic pesti et morbo volens obviare et specialiter de hac nota plene informari, ordinat districte praecipiendo abbati de Curia Dei, patri abbati eiusdem monasterii Vallis nostrae Dominae, quatinus quam cito poterit ad ipsum monasterium Vallis nostrae Dominae personaliter accedat, et de praedicta nota et aliis quibuscumque dictus abbas culpatur se informet, et si ipsum culpabilem aut alias eiusdem monasterii personas culpabiles invenerit, ipsas secundum iuris et Ordinis instituta corrigat et puniat ; et nihilominus pensionem antiquo abbati assignatam, si vide-

rit aut invenerit esse gravem et monasterio importabilem, attento monasterii statu et paupertate, ipsam moderetur et minuat, in ipsius generalis Capituli et Ordinis potestate.

68. Generale Capitulum ad requestam abbatis Longipontis misericorditer dispensat cum fratre Radulpho Paignart, professo dicti monasterii, quod non obstante apostasia quam incurrit per 15 dies per saeculum vagando, pro quo salutarem poenitentiam peregit, ad omnes Ordinis gradus, voces, officia et dignitates, etiam abbatiali dignitate inclusa, promoveri valeat et assumi.

69. Ad idem, ad requestam abbatis Regalis montis pro fratre Ioanne Loquet, qui circa per dimidium annum per saeculum apostatavit.

70. Ad idem, pro sorore Cloranna de Lalchen, moniali de Wunental, quod non obstante quod monasterium et Ordinem exierit, et in carnis contagio lapsa fuerit, ad omnes gradus, etc., abbatiali dignitate seclusa.

71. Ad idem pro sorore Margareta de Couchy, moniali de Salvatorio, ad requestam suae abbatissae, quod non obstante contagio carnis, puerperio inde secuto, ad omnes, etc., abbatiali dignitate inclusa.

72. Die 14 mensis septembris anno Domini 1461, frater Ioannes de Bertrando in manibus et praesentia Capituli, ceterorumque Diffinitorum renuntiavit omni iuri, quod habebat et habere poterat et praetendebat habere in abbatiatu monasterii de Bullione, iurabitque se nunquam venturum contra hanc renuntiationem, et ipsum Capitulum ipsum ab honore et onere absolvit, ac etiam monachos dicti monasterii ab obedientia quam sibi promiserunt ; de novo abbate providet dictum Capitulum de persona fratris Guillelmi de Iusseyo, monasterii de Monte Sanctae Mariae professi et prioris. *Cf. infra n° 79.*

73. Generale Capitulum committit abbatibus de Caritate et de Roseriis, tam coniunctim quam divisim, quatinus se informent de expensis per dictum fratrem Ioannem Bertrand et parentes suos, tam ad causam suae promotionis et pro utilitate monasterii de Bullione rationabiliter factis, et illa quae invenerint, vel alter eorum invenerit rationabiliter esse exposita, eidem fratri Ioanni et suis parentibus refundere per futurum abbatem et conventum dicti monasterii faciant, cum moderatione tamen et ita provide, quod monasterium praedictum non gravetur, in plenaria Ordinis potestate, et quod faciant satisfactionem Ioanni

Pinot, famulo abbatis defuncti, cui servivit spatio 16 annorum.

74. Generale Capitulum debite informatum quod dominus Pontigniacensis et plures provinciae Senonensis abbates, ob defensionem privilegiorum et libertatum ac exemptionum, fuerunt cum satis magnis expensis congregati, praesidente ibi dicto domino Pontigniaci, coram quo iuxta Ordinis nostri antiqua statuta, quotta rationabilis cuilibet abbati et monasterio fuit imposita ; hinc est quod de Curia Dei et de Rigniaco monasteriorum abbatibus et cuilibet in solidum ordinat et mandat generale Capitulum, quatinus omnes abbates et abbatissas ad solvendum quottas pro huiusmodi defensione libertatum Ordinis eisdem abbatibus et abbatissis impositas, vel per ipsos de Curia Dei et de Rigniaco rationabiliter imponendas, per censuras Ordinis viriliter compellant, in plenaria ipsius Capituli et Ordinis potestate.

75. Ad aures Capituli generalis pervenit quod plures de diversis Allemanniae partibus, propter guerrarum discrimina ad ipsum generale Capitulum sine eorum grandi periculo accedere non valuerunt ; idcirco gratiose ac benigne praesens generale Capitulum pro hac vice eos habet excusatos, citando eos ad immediate sequens Capitulum generale comparituros, sicut scripserunt domino Cistercii, et qui se legitime excusarunt et excusari fecerunt.

76. Committitur abbati de Alpibus, quatinus compellat fratrem Antonium Vicedonni, quondam abbatem Chezeriaci ad solvendum et satisfaciendum nobilibus viris Humberto Vicedonni, Pariello Barjon, Arleto Laurentii, Dymoneto Reymundi, et aliis pluribus nobilibus et honorabilibus viris de Sabaudia de summis pecuniarum, in quibus eum invenerit eisdem nobilibus vel eorum alteri debite obligatum, vel de iure teneri, in plenaria Ordinis potestate.

77. Committitur abbati de Alpibus, quatinus per se vel aliam nostri Ordinis personam, cogat fratrem Antonium Vicedonni ad satisfaciendum abbati et conventui monasterii de Cheseriaco de summa 100 florenorum monetae Sabaudiae, data eidem monasterio per Iaquetum Iagnes in eleemosinam pro remedio animae suae et suorum, quam, ut fertur, dictus Antonius recepit, per censuras Ordinis, si ipsum recepisse et non tradidisse invenerit, in plenaria Ordinis potestate, quodque cogat dictum Antonium

ad faciendum professionem in aliquo Ordinis monasterio bene regulato.

78. Ad supplicationem abbatis monasterii Cheseriaci committitur priori eiusdem monasterii, quatinus omnes eiusdem monasterii monachos et subditos in foro conscientiae pro semel possit audire et cum ipsis dispensare super omnibus peccatis et casibus Capitulo generali specialiter reservatis, cum poenitentia salutari, in plenaria ipsius Capituli potestate.

79. Generale Capitulum gratam habens et ratam resignationem sive renuntiationem dignitatis abbatialis monasterii B. M. de Bullione per fratrem Ioannem de Bertrando in Diffinitorio coram omnibus Diffinitoribus factam, cum omni iure per eum in ea praetenso, eidem monasterio de novo abbate et pastore providet de persona fratris Guillelmi de Iusseyo, monasterii de Monte Sanctae Mariae professi et prioris, praecipiendo omnibus eiusdem monasterii de Bullione regularibus personis, quatinus eidem Guillelmo tamquam vero suo pastori et abbati prompte et devote obediant, decretum domini Claraevallis, patris abbatis eiusdem, cui praesens diffinitio annectitur, confirmando.

80. Per generale Capitulum misericorditer ad requestam abbatissae de Sylva benedicta dispensatur cum sorore Ioanna Delphina, moniali eiusdem monasterii, ut ad omnes Ordinis gradus, voces, officia et dignitate, abbatiali dignitate seclusa, admitti valeat et assumi, non obstante carentia natalium legitimorum.

81. Generale Capitulum misericorditer volens providere necessitatibus fratris Petri Troillon, dudum asserti abbatis monasterii de Columna, mandat et ordinat abbati et conventui dicti monasterii de Columna, quatinus annuatim tradant et expediant eidem fratri Petro Troillon procuratoribus suis 20 libras turonenses, nec impediant quin 5 libras turonenses et 26 sc. silig., quas magister Ioannes Brochet protonotarius eidem Troillon super domum de Bonoderousse ad vitam suam assignavit, ita tamen quod ipse Troillon moram trahat in monasterio de Misericordia Dei, vel alio nostri Ordinis monasterio bene regulato, eidem fratri Petro Troillon super iure per ipsum praetenso abbatiatu dicti monasterii de Columna perpetuum silentium imponendo.

82. Abbati de Lucella generale Capitulum committit, quatinus monasterium de Pomerio visitet et reformet, de contemptu citationis eidem factae nomine Ordinis se ad plenum informent, et

secundum sui contemptus ac ceterorum suorum exigentiam vitiorum, ipsum abbatem et ceteros culpabiles corrigat, in plenaria Ordinis potestate.

83. Generale Capitulum ordinat fratrem Iacobum Roiz, monachum monasterii de Populeto, ad legendum ordinarie sententias in collegio Sancti Bernardi Tolosae, in isto praesenti anno, mandans magistro regenti dicti collegii, quatinus eumdem fratrem Iacobum ad praedicta admittat, omni impedimento cessante.

84. Ad aures generalis Capituli pervenit quod contra sancti Benedicti regulam et ipsius Capituli instituta, nonnulli nostri Ordinis monachi Hispaniarum et aliis nonnullis partibus, absque propriorum abbatum licentia monasteria et loca, in quibus sine licentia egredi non licet, in animarum suarum praeiudicio, exire et per mundum vagari non formidant, et quod deterius est abbates ipsarum partium sic exeuntes et vagantes contra nostri Ordinis statuta et regulam non verentur tales recipere, et eos ad divina peragenda admittere, cum tales ipso facto sint excommunicati; quibus abusibus volens ipsum Capitulum obviare, in virtute salutaris obedientiae ac suspensionis a divinis eisdem abbatibus districte praecipitur, ne amodo tales monachos illicentiatos et excommunicatos recipiant, sed ipsos incarcerent et puniant secundum Ordinis instituta, sumptibus et expensis propriorum monasteriorum et abbatum, in plenaria Ordinis potestate.

85. Attenta probitate et honestate sororis Clarae Laude, monialis monasterii de Marquetta, generale Capitulum misericorditer sibi concedit, quatinus pro consolatione sua ac servitio iuvenculam secum tenere possit, cum omni modestia et honestate.

86. Generale Capitulum volens machinantibus contra iustitiam malitiis obviare, et ut sapientia vincat malitiam, mulierum astutiis antidotum remedii providere, per hanc diffinitivam sententiam declarat et concludit, quod quaecumque religiosa Ordinis accusata vel suspecta de sua impregnatione, si iussa per seniores domus servire noluerit in officiis coquinae et refectionis in scapulari, toties quoties visum fuerit expedire abbatissae, an se illicentiata absentaverit aut per parentes licentiam violentam impetraverit, talis de praedictae impregnationis suspicione reputatur et reputabitur convicta et ad Ordinis regulares poenas et punitiones obligata.

87. Committitur monasterium de Pratea et de Fontemorum abbatibus et cuilibet eorum in solidum, quatinus contractus inter abbatem et conventum de Nigro lacu et Petrum Ausort de Meldino, super quodam molendino, prout in copia, cui praesentes annectuntur plenius continetur, factus, pro eodem monasterio sit utilis et fructuosus ; quod si ita invenerint, et super hoc requisiti fuerint, ipsum confirment vel confirmet alter eorum, sin alias ipsum infirment, cassent et annullent, in plenaria Ordinis potestate, servatis in omnibus statutis papalibus et Ordinis.

88. Generale Capitulum mandat abbati de Sanctis Crucibus, quatinus fratrem Bartholomeum Palmex, monachum suum studentem in Perpigniaco, ad studium Tolosanum cum debitis provisionibus per sequens immediate quinquennium infra festum Omnium Sanctorum proxime futurum, sub poenis in statutis papalibus contentis mittere non omittat.

89. Ad supplicationem abbatissae monasterii monialium de Pace Dei, misericorditer dispensatur cum Maria de Villiers, quatinus ad omnes Ordinis gradus, voces, actus et dignitates possit et valeat admitti, non obstante quod lapsa fuerit in carnis contagio, puerperio ter inde secuto.

90. Mandat generale Capitulum abbati de Castellione, quatinus fratrem Iacobum de Laudin, monachum suum, vel alium pro se mittat ad dominum nostrum Papam, pro gratia et rehabilitatione super irregularitatibus per ipsum contractis, ab eodem domino nostro Summo Pontifice obtinendis.

91. Generale Capitulum mandat abbati de Chezeriaco, quatinus indilate post receptionem aut significationem praesentium vadat ad monasterium suum, debitumque suum quoad se et suos monachos facere curet, et iugiter residentiam in eodem faciat.

92. Visitationem et reformationem omnium et singulorum monasteriorum totius generationis et filiationis Pontigniaci, Capitulum generale committit domino Pontigniaci, in plenaria Ordinis potestate.

93. Abbatibus de Orta, s. th. pr., et de Fonte frigido et eorum cuilibet in solidum, per generale Capitulum committitur visitatio et reformatio monasterii de Villa longa, eis iniungendo quatinus viis et modis possibilibus modernum abbatem eiusdem monasterii inducant ad resignandum, et ulterius procedant

rite et canonice ad provisionem eiusdem monasterii, in plenaria Ordinis potestate.

94. Attenta paupertate et necessitatibus monasterii de Fonte frigido, generale Capitulum misericorditer sibi moderat contributiones suas ad medietatem, dehinc ad quinquennium.

95. Ad idem, fit moderatio de Candelio pro quinque florenis, etc. ad quinquennium.

96. Ad idem, pro monasterio Belli prati, ipsum quolibet anno pro quatuor florenis, usque ad triennium quittando.

97. Tractatum passatum et initum inter abbatem et conventum monasterii de Bonis campis, et dominum Vitalem curatum beati Andreae de Alhone, ac alios suos consortes, prout in instrumento et litteris super hoc confectis, quibus praesens diffinitio annectitur plenius continetur, et iam per patrem abbatem dicti monasterii confirmatum, generale Capitulum approbat, ratificat et confirmat.

98. Generale Capitulum dolenter audiens clamores et rumores desolationis spiritualis et temporalis monasterii Prulliaci, committit abbatibus de Pontigniaco et de Morimundo, tam coniunctim quam divisim, quatinus ad ipsum monasterium accedentes, ipsum taliter in spiritualibus et temporalibus, in capite et in membris, debite reforment, quatinus divina maiestas ibidem devote laudetur, Ordinis decus et honor servetur, atque fundatorum intentio per malum regimen personarum non frustretur, et vicinorum scandalum extinguatur, corrigendo, reformando et emendando quae corrigenda et emendanda erunt, instituendo et destituendo, si opus sit, in plenaria Ordinis potestate.

99. Per generale Capitulum praecipitur domino abbati Morimundi, quatinus de monasterio honesto et bene regulato provideat fratri Ioanni Bertholdi, quondam monasterii Charitatis professo, ubi regulariter et honeste sine evagatione vivere queat.

100. Quia monasterium Cariloci multa processuum varietate fuit damnificatum, et in suis redditibus diminutum, per generale Capitulum praecipitur abbatibus de Aceyo, de Altaripa et de Bello loco, de filiatione et generatione ipsius monasterii Cariloci, quatinus ex quo non tenent scolares Parisiis partem solvant et conferant ad continuandum unum scolarem, videlicet fratrem Vincentium Carnificis, in theologia iam baccalarium, de eodem monasterio Cariloci professum, iuxta suam facultatem secundum iudicium executorum huius diffinitionis, et summam sibi

per eosdem impositam solvere teneantur, et dare in principio imbursationis, scilicet in festo beati Remigii quolibet anno, alias per censuras Ordinis ad hoc viriliter compellantur per abbates de Caritate et de Clarofonte, quibus generale Capitulum huius diffinitionis executionem committit et eorum cuilibet per se et in solidum.

101. Generale Capitulum praecipit abbati de Ioyaco, sub poenis et censuris Ordinis, ut suo moderno scolari Parisiis studenti quod provideat absque defectu de pecuniis sui monasterii, quolibet anno de 12 aureis scutis,et illa tradat in principio imbursationis, executionem praesentis diffinitionis committens abbatibus de Morimundo, provisori et cellerario collegii Sancti Bernardi Parisiis, et eorum cuilibet in solidum.

102. Ad idem, pro eodem praecipitur abbati de Noa, non potenti tenere per se scolarem in summa 8 scutorum.

103. Abbati Grandis silvae mandat et praecipit generale Capitulum, quatinus abbati de Gimundo regenti cathedram Sancti Bernardi Tolosae non solvat bursam, regenti solvi consuetam, attento quod ipse est abbas et non residet in collegio, alias si solverit, Capitulum generale exiget ab eo et suo monasterio.

104. Abbati de Bolbona per generale Capitulum praecipitur, quatinus compellat viriliter et exacte abbatem Grandis silvae ad ponendum unum bonum et sufficientem provisorem in collegio Sancti Bernardi Tolosae, alias committit Capitulum generale eidem de Bolbona, quatinus ponat in dicto collegio unum idoneum et bonum provisorem, in plenaria Ordinis potestate.

105. Capitulo generali exponit quaerimoniose abbas monasterii de Fusniaco, s. th. pr., quod cum pro iure suo tuendo plures pecunias exposuit, tempore litigii de abbatiatu dicti monasterii et maneat diversis obligatus, voluitque creditoribus suis satisfacere de bonis monasterii sui, ad quod se opposuerunt prior, cellerarius, procurator et nonnulli alii officiarii ipsius monasterii ; idcirco praesens generale Capitulum mandat citari per primum nostri Ordinis monachum super hoc requirendum omnes contradictores et contradicentes ad comparendum coram Rmo. patre domino Cistercii infra 40 dies a data praesentium et respondendum super his quae ipsis proponentur super materia praedicta et ad causas contradictionis proponendum, ac sententiam dicti

domini Cistercii super auditis et allegatis audiendum, in plenaria Ordinis et ipsius Capituli potestate.

106. Diffinitionem anno novissime praeterito de Signiaco et de Fusniaco monasteriorum abbatibus directam, per quam iudices constituebantur ad recognoscendum et decidendum causam inter abbatem de Igniaco et abbatissam de Monasteriolo dominarum et conventus eorum super altercatione venditionis cuiusdam domus, praesens generale Capitulum renovat, et usque ad decisionem causae prorogat, in plenaria Ordinis potestate.

107. Pensionem per dominum abbatem de Cambrone, commissarium domini Claraevallis, s. th. pr., de 20 flor. flandr. sorori Margaretae Gaymars, moniali professae monasterii B. M. de Pratis iuxta Duacum, dudum abbatissae de Virgulto, et per eumdem dominum Claraevallensem confirmatam, prout in litteris, etc... approbat, mandans et districte praecipiens abbatissae et conventui dicti monasterii de Virgulto, quatinus praesentem diffinitionem irrefragabiliter observent, et dictam pensionem dictae sorori Margaretae solvendo.

108. Committit generale Capitulum abbati de Bodelo, quatinus controversiam motam inter Ioannem Leinit, burgensem Antwerpiensem, et abbatissam et conventum monasterii monialium de Nazareth et domicellam Margaretam, religiosam dicti monasterii de Nazareth, super quibusdam debitis, auditis partibus hinc inde, terminet et sopiat, ei iustitiae complementum ministrando, in plenaria Ordinis potestate.

109. Generale Capitulum concedit plenam participationem bonorum spiritualium quae fiunt et fient in toto Ordine, Domino concedente, vigiliarum scilicet, orationum, missarum, eleemosinarum, et aliorum divini cultus obsequiorum, omnibus pias manus adiutrices porrigentibus et eleemosinas largientibus ad restaurationem et reaedificationem monasterii de Pietate Dei iuxta Ramerum, eiusdem monasterii ruinae et paupertati compatiendo.

110. Generale Capitulum committit reverendis patribus de Morimundo et de Caroliloco monasteriorum abbatibus, quatinus audiant controversias inter sorores Margaretam de Duaco, dudum abbatissam monasterii monialium de Groeningh iuxta Cortracum, et Margaretam Rich, etc. nuper per reverendum patrem dominum abbatem Claraevallis institutam in abbatissam in dicto monasterio, motas audiant et diligenter, partibus hinc inde

auditis, tam super petitorio quam possessorio, iustitiae complementum ministrent et causam usque ad decisionem terminent, in plenaria Ordinis potestate.

111. Generale Capitulum committit abbati monasterii Lucellensis, quatinus cum fratre Henrico Lichtenberg, monacho professo sui monasterii, super irregularitate quam incurrit apostatando et contra voluntatem dicti abbatis extra monasterium quasi tribus mensibus vagando, ac divinis se immiscendo, in plenaria Ordinis potestate, dispensare valeat et possit cum poenitentia salutari.

112. Abbatibus de Boudelo et de Laude committitur per generale Capitulum, ut se debite informent super iniuriis et cesuris famae et honoris eiusdem abbatis de Dunis, per abbatem de Villari apud aliquos principes, ut fertur, quem de Villari, si repererint eidem abbati de Dunis iniuriatum fuisse, puniant et corrigant, in plenaria Ordinis potestate.

113. Generale Capitulum Bonae vallis abbati Viennensis committit, quatinus pacificet et concordet reverendum patrem episcopum Bersabeensem et abbatem de Mansiade super quibusdam iniuriis, controversiis et querelis inter eos motis, et quod quam melius poterit, negotium terminet et finiet, in plenaria Ordinis potestate, et ulterius compellat dictum dominum episcopum ad solvendum contributiones et arreragia earumdem, in eadem Capituli auctoritate.

114. Visitationem et reformationem monasterii de Valle magna, Agatensis dioecesis, tam in capite quam in membris, committit generale Capitulum abbatibus de Orta s. th. pr., et de Fonte frigido, et eorum cuilibet, per se et in solidum, in plenaria Ordinis potestate.

115. Abbati de Petra mandat et praecipit generale Capitulum sub excommunicationis poena, quatinus fratrem Paschasium, fratrem conversum monasterii de Sanctis Crucibus et fugitivum, ad dictum monasterium Sanctarum Crucium remittat infra duos menses a notitia praesentis diffinitionis sibi facta, ut rationem de administratis per eum in dicto monasterio SS. Crucium reddat.

116. Abbati de Rota ob certas causas volenti renuntiare dignitatem abbatialem sui monasterii, praesens generale Capitulum in manibus patris abbatis sui aut alterius, quem duxerit eligendum, cum praesentibus licentiam renuntiandi impertitur.

117. Abbatibus de Petra et de Mataplana et eorum cuilibet, ut fratrem Ioannem de Metina, monachum dudum monasterii de Orta, capiant seu per alium capi et detineri faciant in carceribus, invocato etiam si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, donec abbati dicti monasterii de Orta, s. th. pr., restituerit valorem duorum millium florenorum auri, quae de dicto monasterio rapuit, abstulit et habuit, dum ultimo ipsum monasterium vacaret, si eis debite constiterit.

118. Abbati de Oliva mandat et praecipit generale Capitulum sub excommunicationis latae sententiae poena, quatinus apostolico indulto, quod dicit et asserit se habere super recipiendis fugitivis, non utatur de cetero, et hactenus facta per eum sub illo colore, casset, revocet et annullet, donec se personaliter, et indultum, si quod habet, Capitulo generali aut domino Cistercii praesentaverit, executionem huius diffinitionis abbati de Orta [f], s. th. pr., in plenaria ipsius Capituli potestate committendo.

119. Abbati Bonae vallis Viennensis mandat et stricte praecipit generale Capitulum, quatinus se diligenter et debite informet et inquirat de veritate cuiusdam rumoris scandalosi currentis super morte Durandi Redomel, nuper receptoris monasterii de Monte petroso, quem nonnulli dicunt per fratrem Gilbertum Piote, religiosum eiusdem monasterii fuisse intossicatum aut alias occisum, et si eumdem repererit de eadem morte culpabilem, puniat et corrigat secundum exigentiam casus, seque ulterius informet de vita et moribus praefati Gilberti, et si eumdem dissolutum aut inhonestae vitae invenerit, districte secundum quantitatem et qualitatem casuum puniat et corrigat, in plenaria Ordinis potestate.

120. Abbatibus de Longovado, de Moris et de Bullencuria, et eorum cuilibet in solidum committit generale Capitulum, quatinus omnes et singulas Ordinis personas, tam abbates, abbatissas, quam religiosos et religiosas, quos et quas invenerint abbati et conventui monasterii Claraevallis in aliquibus pecuniarum summis... *etc.*

121. Ad idem, pro abbate et conventu Caroliloci, de Regalimonte, de Vallibus Sernay et de Valle Beatae Mariae.

122. Ad idem, pro abbate et conventu de Frigido monte,

[f] Horta : *M.*

abbatibus de Regalimonte, de Ursicampo, de Bello prato et de Caroliloco, et eorum cuilibet in solidum.

123. Ad idem, pro abbate et conventu de Hesterbach, abbati de Loco Sanctae Mariae, Coloniensis dioecesis.

124. Ad idem, pro priore Montis Sanctae Walburgis, abbati de Heysterbach.

125. Ad idem, pro abbate Cisterciensi, abbatibus de Pontigniaco et de Rigniacō.

126. Ad idem, pro cellerario Sancti Bernardi Parisiensis, abbatibus de Caroliloco, de Bello prato et priori de Penthemont.

127. Ad idem pro collegio Sancti Bernardi Parisiensis, abbatibus de Caroliloco, de Regalimonte, de Vallibus Sernay, de Valle B. M., et eorum cuilibet per se et in solidum.

128. Ad idem, pro abbate et conventu de Berola, abbati de Oliva.

129. Abbati de Bello prato Tullensi, sub excommunicationis latae sententiae poena, districte praecipit generale Capitulum, quatinus infra festum beati Martini proxime futurum cum debitis et sufficientibus provisionibus mittat et interteneat ac continuet Parisiis unum scolarem usque ad triennium ad minus.

130. Unionem et incorporationem monasterii de Perigniaco cum monasterio de Bono fonte, per abbatem Morimundi factas, prout in litteris quibus praesens diffinitio annectitur plenius, continetur, generale Capitulum approbat, ratificat et confirmat, inhibendo fratri Ioanni Violete sub poena excommunicationis, ne amplius de bonis eiusdem monasterii de Perigniaco se aliqualiter intromittat, aut uti praesumat, praecipiendo abbati de Grandi silva, ut hanc praesentem diffinitionem executioni debitae demandet, dictum Violete etiam incarcerando cum auxilio brachii saecularis, si opus sit, nisi praesenti diffinitioni obediat.

131. Committit generale Capitulum abbati de Berola, quatinus diligenti informatione praemissa, de libris acquisitis monasterio Sanctae Fidis per fratrem Bernardum Cardona, tempore quo in dicto monasterio Sanctae Fidis resedit, de bonis et pecuniis suorum parentum, et veritate comperta compellat abbatem, priorem et ceteros officiarios dicti monasterio, sub censuris Ordinis, ad tradendum dictos libros praemisso fratri Bernardo sub cedula de restitutione authentica, ut illis diebus vitae suae uti possit et valeat.

132. Capitulum generale super dissoluto regimine cuiusdam monialis Montis Sancti (?) nepotis honorifici et nobilis viri, Ludovici Peniche, magistri de Montesia, sufficienter informatum, annuit eidem magistro, quatinus assumpto secum aliquo Ordinis abbate vel monacho, dictam neptem suam, dum et quoties casus requiret in suis castris et locis usque ad condignam satisfactionem et emendationem incarcerare possit, ut punitionis timore suam vitam et mores in melius reformare et commutare studeat.

133. Visitationem et reformationem monasteriorum Sancti Bernardi Valentiae et Montis salutis, tam in capite quam in membris, in plenaria Ordinis potestate, generale Capitulum abbati Sanctarum Crucium committit, cum clausulis opportunis.

134. Alcaydiacum chori de vera ad vitam per abbatem et conventum monasterii de Berola Petro Ferreio concessum, propter grata et continua servitia per eum eidem monasterio exhibita, generale Capitulum ratificat, approbat et confirmat, in plenaria Capituli generalis potestate.

135. Visis per Capitulum generale et diligenter inspectis actis, cartis et munimentis in materia dignitatis abbatialis monasterii de Fonteneto, ad quam vehementer per vias sinistras et obliquas anhelebat frater Ioannes Frovart, religiosus professus eiusdem monasterii, idem Capitulum declarat et sententiat ipsum fratrem Ioannem symoniacum et symoniace promotum ; quare declarat ipsum monasterium vacare et esse pastore et abbate destitutum et viduatum, et ne viduitatis diuturnae incommodis idem monasterium detrimentum patiatur, praecipit idem Capitulum domino Claraevallis, patri abbati eiusdem monasterii, quatinus diligenter ad ipsum monasterium accedens, eidem de novo abbate provideat, electione canonica aut alias, ordinaria potestate paterna, prout iuris erit.

136. Visitationem et reformationem omnium et singulorum monasteriorum in regnis et dominiis Hungariae, Bohemiae et Poloniae ac in omnibus provinciis totius nationis germanicae, cuiuscumque generationis existant, et in tota sua generatione ubicumque existat, generale Capitulum committit domino Morimundi, cum clausulis opportunis per dominum Cisterciensem addendis.

137. Quia ad aures praesentis Capituli dolenter pervenit collegium Sancti Bernardi Parisiensis in utroque suo regimine

et conductu fore pene desolatum, et personas regulares eiusdem omnibus honestis et antiquis moribus destitutas, statutaque domini Cisterciensis ibidem pene totaliter corrumpi, generale Capitulum committit abbati Morimundi, quatinus cum attenta cura et studiosissime visitet et reformet ipsum collegium, ipsum ad debitum et ordinatum statum reducendo, corrigendo et reformando, viriliter et debite compellendo eos qui fecerint officium cellerariatus, ut fideles de receptis et expensis reddant computationes, ac bursario de officio bursariae, omnesque et singulos eiusdem collegii scolares constringendo ad statutorum domini Cisterciensis plenam et integram impletionem, in plenaria Ordinis potestate.

138. Generale Capitulum praecipit abbati Caroliloci, s. th. pr., de Oratorio et fratri Yvoni Troucon, in sacra pagina bacc. form., et eorum cuilibet per se et in solidum quatinus viriliter et diligenter compellant sub poenis et censuris Ordinis abbatem monasterii de Bella brancha, ad solvendum fratri Vincentio de Cabilone, cellerario Sancti Bernardi, summam octo scutorum auri eidem debitorum per eumdem abbatem, occasione cuiusdam breviarii eidem per praefatum cellerarium venditi et destinati expresse per unum de religiosis suis, nuncupatum Ioannem Chevrier.

139. Ad aures generalis Capituli pervenit quod frater Petrus Belleville, dudum abbas monasterii de Petris, timore punitionis et correctionis resignavit monasterium suum in favorem domini Ludovici de Borbon, filii domini comitis de Montpensier ; idcirco dictum Capitulum mandat domino abbati de Albis petris, patri abbati dicti monasterii de Petris, quatinus dicti Capituli auctoritate moneatur dictus dominus Ludovicus, et qui monendi erunt, quatinus dignetur dictum monasterium de Petris in manibus Ordinis resignare, attenta paupertate dicti monasterii, et quod si ipsum monasterium teneatur in commenda, divinum servitium minuetur et quia cessabit, et etiam attentis criminibus et defectibus dicti resignantis ; et si ad hoc faciendum dictus dominus Ludovicus induci non posset, quod appelletur per commissarium dicti Capituli de dicta resignatione, novae possessionis adeptione, et quod commissarii [g] loquantur domino duci

[g] commissarius loquatur : *MP*[2].

Borbonii super ista materia, quodque capiatur idem Belleville ubi invenietur et incarceretur, invocato auxilio saeculari, si necesse fuerit.

140. Committitur abbatibus de Villari et de Cambrone quatinus convocatis abbatibus de Bodelo et de Loco Sancti Bernardi ac conventibus eorum, si necesse fuerit, et ipsis hinc inde ad plenum auditis super contentionibus ac altercationibus, quas habent occasione quarumdam pecuniarum per quemdam contendentem ambitiosum monachum dicti monasterii Loci Sancti Bernardi prodigaliter in damnum dicti monasterii de Bodelo, de scitu et consensu, ut fertur, abbatis dicti monasterii Loci Sancti Bernardi expensarum, ipsos abbates et conventus concordent, et iustitiae complementum impendant, si et in quantum potuerint, et quidquid super eadem materia fecerint et invenerint, generali Capitulo anno proximo celebrando mittere non omittant, et ipso audito iudicent in ipsius Capituli potestate super quo idem generale Capitulum conscientias eorum onerat.

141. Capitulum generale committit abbati de Novo castro, quatinus bene et diligenter se informet, an bona immobilia monasterii de Pomerio, quae abbas dicti monasterii pro urgente necessitate ipsius monasterii vult vendere, et petit licentiam vendendi, sint minus utilia pro dicto monasterio, et de necessitatibus, quas praetendit dictus abbas et illa quae invenerit Capitulo generali proxime celebrando fideliter nuntiet et informare non omittat.

142. Generale Capitulum omnia contenta in tractatu cui nostrae praesentes annectuntur, confirmat, ratificat et approbat.

143. Ad idem, pro fratre Philiberto, quondam abbate de Bithania, per dominum Morimundi patrem abbatem ipsius monasterii, super eodem monasterio.

144. Generale Capitulum cupiens providere animae saluti fratris Antonii de Combabessosa, et eum a discursu et vagatione retrahere, districte in virtute salutaris obedientiae, et sub poena non ascendendi ad gradum altaris, mandat abbati monasterii de Valleta, in quo dictus Antonius vovit Altissimo reddere vota sua, quatinus eum benigne recipiat, et tamquam bonus pater filio revertenti misericorditer occurrat, et si dignus est, punitione corrigat, ita tamen quod misericordia semper superexaltet iudicium, et rigori et districtioni iustitiae praeferatur.

145. Tractatum passatum et initum inter abbatem et conven-

tum monasterii Cisterciensis ex una, et magistrum Mongin Coutault, consiliarium domini ducis Burgundiae et auditorem suorum computorum, cui praesens diffinitio annectitur, generale Capitulum tamquam utilem et fructuosum eidem monasterio confirmat, ratificat et approbat.

146. Ad idem, etiam de alio tractatu per eosdem facto cum Petro Chamart, alias Damaut, super venditione cuiusdam domus sitae Divione in loco dicto en la Charbonnerie.

147. Ad idem, etiam de alio tractatu facto inter eos et Petrum Voiturier et Stephanetam eius uxorem, autorizatam sufficienter per eumdem suum maritum.

148. Generale Capitulum zelo domus Dei et observationis morum huius sanctae religionis, de medio tollere cupiens dissolutam et vagabundam evagationem quorumdam religiosorum Ordinis, praetextu quod dicunt se capellanos honoris domini Papae, volentes se per hoc subtrahere et fugere iurisdictionem Ordinis contra [h] ipsius privilegia et salubria instituta, omnibus et singulis abbatibus Ordinis mandat et praecipit, in virtute salutaris obedientiae, quatinus ubicumque tales sciverint et invenerint, strictis carceribus mancipent usque ad plenam et debitam emendationem, in plenaria Ordinis potestate.

149. Abbatem de Chezeriaco et fratrem Antonium de Vicedony, eius monachum expresse professum, personaliter ad hoc praesens generale Capitulum citatos, reponsurosque promotori causarum eiusdem Capituli, per dominum Pontigniaci, et non comparentes, nec aliquis loco eorum, licet debite fuerint vocati et expectati, generale Capitulum reputat et declarat contumaces.

150. Diffinitionem alio anno editam et factam, qua conformiter ad papalia statuta et honorem Ordinis et personarum statuebatur et cavebatur, ne aliqua eiusdem Ordinis persona regularis pro controversiis et querelis quibuscumque ortis inter se et aliam, coram alio iudice praeterquam de Ordine, approbat ratificat et confirmat.

151. Similiter etiam diffinitionem in novissimo Capitulo generali factam et editam, qua statuitur ut in arduis negotiis et necessitatibus Ordinis evidentibus, duo abbates coniunctim vel divisim possint ceteros convocare de provincia, ad tractandum de

---

[h] et : *MP*².

remedio opportuno cum impositione subsidii, si opus sit, et ad hoc committit abbates de Campo et de Heysterbach in provincia Coloniensi, in plenaria Ordinis potestate.

152. Pensionem ac provisionem fratri Bernardo de Cardona, de licentia domini Morimundi per priorem et conventum monasterii B. M. de Sancta Fide, Caesaraugustensis dioecesis, concorditer promissam, assignatam et factam, prout in litteris quibus haea nnectuntur plenius continetur, generale Capitulum ratificat, approbat et confirmat, et si, et in quantum opus est, de novo de illa providendo, committendo abbati de Berola, quatinus sub poena excommunicationis compellat abbatem, priorem, suppriorem, bursarium et cellerarium dicti monasterii Sanctae Fidis ad faciendum realem et integralem solutionem huiusmodi pensionis, terminis assignatis.

153. Capitulum generale praecipit et districte iniungit fratri Martino Aucipi sub poenis carceris, ut infra duos menses se transferat ad aliquod monasterium nostri Ordinis bene regulatum, in quo suam salutem operari valeat et exsequi, omni genere vagandi deposito, praecipiens omnibus abbatibus Ordinis, quatinus si ipsum dictis duobus mensibus elapsis vagabundum et per mundum discurrentem invenerint, arripiant et incarcerent, in plenaria Ordinis potestate.

154. Abbati de Fonte frigido generale Capitulum committit in plenaria Ordinis potestate, quatinus sopiat et terminet discordiam motam inter abbates de Grandisylva et de Bolbona, ratione quingentorum scutorum, quos abbas de Bolbona ab eodem de Grandisylva requirit, tamquam sibi debita, si de iurisperitorum, ipsi de Bolbona non suspectorum, consilio ita invenerit, ad plenam solutionem debite compellat, sique infra proximum mensem augusti non fuerint concordes, citet partes ad proximum Capitulum generale.

155. Facultates et gratias fratri Ioanni Caudela, monasterii B. M. de Sancta Fide quondam abbati, per abbatem Sanctarum Crucium, et deinde per alios commissarios confirmatas, prout in litteris quibus praesens haec diffinitio annectitur, plenius continetur, generale Capitulum ratificat, confirmat et approbat, dempta pensione sua, quam resignavit in manibus domini Morimundi.

1462

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo secundo, statuta sunt haec apud Cistercium, decima quarta die mensis septembris, in eiusdem Cisterciensis Ordinis Capitulo generali.

ORATIONES

1. Pro [b] beatissimo... *etc. ut in anno* 1458.
2. Praeterea pro christianissimo... *etc. ut in anno* 1461.
3. Insuper pro burgensibus... *etc. ut in anno* 1449.
4. Ceterum pro pace... *etc. ut in anno* 1449.
5. Postremo pro felicis ... *etc. ut in anno* 1449.

[DIFFINITIONES] GENERALES.

6. Cum Ordo noster... *etc. ut in anno* 1456.

7. Lamentabilem litteratorum ac sufficientium virorum inopiam, quibus Ordo noster veluti iubare clarissimo illustratus tamquam stella matutina in medio nebulae huius mundi supra ceteros effulsit Ordines, praesens generale Capitulum non absque gravi cordis amaritudine revolvens, attendensque et alta mente considerans, quanta sit ipsi Ordini his diebus malis, quibus ab exteris et aemulis undique insidiose impetitur, et amplius solito verisimiliter impetetur, indita providendi necessitas, quibus quidem salubris et efficax provisio minime posse existimatur adhiberi, nisi probissimos viros salutaribus scientiis eruditos ac inflexibili virtute conspicuos, quorum doctrina et exemplo, personae Ordinis aberrantes ad rectitudinis semitam reducantur exteri propulsentur et Ordo ipse in suis libertatibus et privilegiis protectus et defensus in pulchritudine pacis sedeat, et salutiferis iugiter proficiat incrementis ; ad huiusmodi litteratorum virorum sanctis Ordinis moribus scientiis virtuosis rutilantium

1462. *Fontes* : L^4 : 1-116 ; *M* : 63, 106 ; P^2: 1, 55, 59, 61 *(prima pars tant.)*, 63, 67, 106, 114 ; T^6 : 7 ; *W* : 63.

[a] *Titulus apud* L^4. [b] Sub Pio II... *etc. ut in anno praeced.*, Hymberto abbate Cistercii 41 : P^2.

plantationem, educationem et culturam, praefatum generale Capitulum omnem suam solertiam adhibere, omnesque potestatis suae nervos ad hoc viscerabiliter intendere satagens, statuit, ordinat et diffinit, quod omnia et singula Ordinis monasteria cuiuscumque generationis aut provinciae existant, in quibus sunt vel erunt aut esse poterunt octodecim monachi et supra usque ad triginta, unum, ubi vero sunt vel erunt aut esse poterunt triginta monachi et supra usque ad quadraginta monachos, duos ad Parisiense studium, quod est fons et origo omnium studiorum, transmittere teneantur ; ubi vero aliqua Ordinis monasteria ita forent exilia quod ad huiusmodi octodecim monachos habendos, sicque ad unum monachum Parisius transmittendum et tenendum minime sufficerent, praesens generale Capitulum vult et ordinat duo aut tria ex ipsis coniungi ad mittendum et tenendum communiter et communibus expensis ipsorum huiusmodi unum studentem Parisiis ; vult praeterea, ordinat et statuit praesens Capitulum generale, quod si in quibuscumque aliis a Parisiis generalibus studiis, in quibus collegium aut domus habetur pro studentibus Ordinis specialis, aliqui studentes morigerati studiosi et ad proferendum fructum dispositi inventi fuerint, tales ad perficiendum se et sumendum gradus suos Parisiis transmittantur. Et quia frustra conduntur leges, nisi sit qui eas faciat observari, ne hoc saluberrimum et tam necessarium reparationis et relevationis honoris Ordinis statutum, per incuriam aut negligentiam debitae executionis, optato fructu careat et frustretur, dominum Cisterciensem, s. th. pr., praesens generale Capitulum benigne monet et hortatur et quantum potest praecipit et mandat, quatinus diffinitionem et statutum huiusmodi ad singulas faciat deferri provincias et regiones, eamque per bonos et probos executores, de quibus sibi videbitur expedire, zelum honoris Ordinis habentes, sub poenis et censuris Ordinis debitae executioni faciat et procuret demandari, propriis tamen sumptibus et expensis illorum abbatum, quos sic oportebit per huiusmodi diffinitores compelli, revocando per hanc diffinitionem omnes alias in contrarium factas in favorem nolentium mittere scolares Parisiis, in Normannia aut alibi [c] ; ad cuius quidem, etc.

---

[c] Datum sub sigillo Diffinitorum anno, die et mense et loco supradicto. Hymbertus : *T*[6].

[DIFFINITIONES SPECIALES]

8. Capitulum generale committit abbatibus de Valle regis et de Ellantio, quatinus diligenter et debite se informent de querelis et controversiis motis seu moveri paratis inter abbatem et conventum monasterii de Fusniaco, et abbatem et conventum de Signiaco, et utriusque partis iura inspiciant, vocatis secum iurisperitis et antiquis ac probis viris, et si possibile est, negotium terminent, aut si non possint, proximo generali Capitulo referant, in plenaria Ordinis potestate.

9. Ad idem, pro abbate et conventu Fonteneti, cum nobili viro Hugone de Dampierre commorante à Laignes.

10. Generale Capitulum districte mandat et praecipit omnibus et singulis abbatibus Ordinis, et praesertim domino Firmitatis, in episcopatu Cabilonensi, abbatibus de Regalimonte, de Nigrolacu, de Bellobecco, de Bullencuria, de Misericordia Dei, de Gratia Dei, ... *(locus vacuus)*, quatinus strictissimis carceribus mancipent fratrem Ioannem Maillou, monachum de Gratia Dei, si illum apprehendere valeant, nec eum relaxent sine Capituli generalis, aut saltem domini Cisterciensis licentia.

11. Electionem, installationem et confirmationem domini Theobaldi de Luxemburgo, nuper abbatis Igniaci, in abbatem Morimundi per dominum Cisterciensem, patrem abbatem eiusdem monasterii, prout patet, *etc.* approbat.

12. Ad idem, pro fratre Yvone Troussoni, in s. th. bacc. formato, in abbatem de Claromonte, Senomanensis dioecesis, per dominum abbatem de Begario, s. th. pr., commissarium domini Claraevallis, patris abbatis immediati eiusdem monasterii.

13. Ad idem, pro fratre Iacobi de Fontanis promoto et electo per viam compromissi in abbatem monasterii de Vaucellis, Cameracensis dioecesis, per abbates de Fusniaco et Valle clara, commissarios domini Claraevallis, patris abbatis eiusdem monasterii.

14. Ad idem, pro fratre Ioanne Chaumart in abbatem monasterii de Fontemorum, per abbatem de Nigrolacu, commissarium domini Claraevallis, patris abbatis eiusdem monasterii.

15. Ad idem, pro fratre Ioanne de Baigneux, in abbatem de Fonteneto, Eduensis dioecesis, per dominum abbatem Cisterciensem novissime defunctum.

16. Ad idem, pro fratre Ioanne de Montigny, alias de Came-

raco, religioso monasterii Igniaci, ad dignitatem abbatialem eiusdem monasterii, per abbatem de Bullencuria, commissarium domini Claraevallis, patris abbatis eiusdem monasterii.

17. Ad idem, pro fratre Ioanne de Sancto Gengulpho, religioso monasterii Firmitatis, ad dignitatem abbatialem monasterii Beatae Mariae de Vallibus Sernay, Parisiensis dioecesis, per dominum abbatem de Curia Dei, commissarium domini Cistercii, cum plenaria Capituli generalis potestate.

18. Ad idem, pro fratre Arnaldo de Clavaria, professo monasterii Beatae Mariae de Fullentiis, in dignitatem abbatialem eiusdem monasterii, per dominum abbatem de Bolbona, commissarium domini Cistercii reformatoris totius Ordinis, absque tamen praeiudicio iurisdictionis paternae abbatis de Crista, patris abbatis eiusdem monasterii.

19. Ad idem, pro fratre Ioanne Laisne, professo monasterii de Thorigneyo, ad dignitatem abbatialem eiusdem monasterii, per abbatem de Alneto, patrem abbatem eiusdem monasterii.

20. Ad idem pro fratre Guillelmo Pinolis, monasterii de Fonte frigido professi, ad dignitatem abbatialem monasterii de Valle magna, per abbates de Bolbona, s. th. pr., et de Fonte frigido, commissarios Capituli generalis.

21. Ad idem, pro fratre Arnaldo Guillelmo de Maloleone, in dignitatem abbatialem monasterii Bonifontis, Covennarum dioecesis, per abbatem Fontis frigidi, commissarium domini Morimundi, patris abbatis eiusdem monasterii.

22. Ad idem, pro fratre Ioanne de Vaisseyo, in priorem et administratorem monasterii seu prioratus de Roseriis, per dominum abbatem Claraevallis, s. th. pr., patrem abbatem eiusdem monasterii.

23. Ad idem, pro fratre Ioanne de Rulliaco, abbate Vallium Sernay, electo ac promoto in dignitatem abbatialem monasterii Beatae Mariae de Valle nostrae Dominae, Parisiensis dioecesis, per abbatem de Curia Dei, patrem abbatem eiusdem monasterii.

24. Ad idem, pro fratre Petro de Loir, alias Multoris, monacho de Iardineto, ad dignitatem abbatialem monasterii quondam monialium Beatae Mariae de Boneffia, per abbates de Molinis et de Iardineto, commissarios Capituli generalis.

25. Ad idem, pro fratre Ioanne de Gilbevalle, ad dignitatem

abbatialem monasterii de Claroloco, per dominum abbatem Cistercii, tunc abbatem Morimundi.

26. Ad idem, pro fratre Ioanne de Parisiis ad dignitatem abbatialem monasterii de Rigniaco, per abbatem Longivadi, commissarium domini Claraevallis, patris abbatis eiusdem monasterii.

27. Ad idem, pro fratre Martino de Envilla, professo monasterii Belli prati, electo in abbatem monasterii Altae silvae, Tullensis dioecesis, per abbatem de Theoloco, patrem abbatem eiusdem monasterii.

28. Generale Capitulum benigne compatiens infirmitati abbatis de Nigrolacu, qui hac detentus viagium per eumdem inceptum veniendi ad Capitulum implere non potuit, misericorditer secum dispensat, quatinus ipse a confessore per eumdem eligendo possit absolvi pro semel ab omnibus casibus, peccatis et excommunicationum sententiis, generali Capitulo reservatis, quodque simile beneficium possit suis religiosis pro semel conferre.

29. Abbatibus de Iardineto et de Bullencuria per generale Capitulum praecipitur et mandatur, quatinus quamcitius commode poterunt, se personaliter transferant ad monasterium de Grœninghe prope Cortracum, et ibidem terminent processus graves motos inter sorores Margaretam Strukes, ibidem per dominum Claraevallis institutam abbatissam, et Margaretam de Duaco per eumdem ab abbatiali dignitate destitutam, et ipsas partes ad bonam concordiam reducant et ponant, in plenaria ordinis potestate.

30. Diffinitionem alias per generale Capitulum qua praecipiebatur, ne aliquis religiosus vel religiosa possit rehabilitari, nisi eidem Capitulo constaret de petitione huiusmodi et debita poenitentia peracta, per litteras patentes sub sigillis abbatis vel abbatissae ; idem generale Capitulum certis ex causis renovat, et ipsam diffinitionem ratificat, confirmat et approbat.

31. Abbati de Charitate per generale Capitulum committitur, quatinus compellat abbates de Aceyo et de Altaripa ad solvendum certam quotam et portionem, scilicet quilibet octo scuta auri pro manutenentia studii scolaris de Caroloco, propter egestatem et indigentiam eiusdem monasterii Cariloci, quodque eosdem ad eidem de Caroloco satisfaciendum de eadem portione pro anno praeterito similiter compellat.

32. Visitationem et reformationem omnium et singulorum monasterium in regnis et dominiis Hungariae, Bohemiae et

Poloniae, ac in omnibus provinciis totius nationis germanicae, et cuiuscumque generationis existant, et in Hispaniae, Arragoniae, Navarrae et Cataloniae partibus, et in tota sua generatione, ubicumque existat, generale Capitulum committit domino Morimundi, cum clausulis opportunis per dominum Cisterciensem addendis.

33. Generale Capitulum committit abbati de Mulbruna, quatinus diligenter et debite se informet super quadam permutatione quorumdam praediorum et aliorum bonorum, pertinentium monasterio Campi principium, et ab eodem, ut fertur, longe distantium, cum quodam alio monasterio illis bonis viciniori, et si utrique parti commodam esse repererit, illam confirmet, ratificet et approbet, in plenaria Ordinis potestate.

34. Abbatibus de Regalimonte et de Valle Beatae Mariae, et eorum cuilibet per se et in solidum, per generale Capitulum committitur, quatinus audiant et determinent quamdam contoversiam et querelam quam praetendit frater Ioannes Douchin, religiosus professus monasterii Bellibecci, contra priorem de Penthemonte, praecipiendo tamen primitus et ante omnia ipsi fratri Ioanni Douchin, antequam in hac causa audiatur, quatinus removeat omne impedimentum potestatis saecularis per eum praestitum et appositum ad temporale eiusdem loci, et quod ipsum priorem seu quamcumque aliam Ordinis personam non trahat coram alio iudice qui non sit de Ordine, sub poena excommunicationis.

35. Committitur per generale Capitulum abbatibus de Theoloco, s. th. pr., de Charitate, de Crista, et eorum cuilibet per se et in solidum, quatinus omnes et singulos Ordinis regulares utriusque sexus personas, quos invenerint abbati et conventui monasterii Morimundi, in aliquibus pecuniarum summis, *etc.*

36. Ad idem, pro abbate et conventu monasterii Caroliloci, Silvanectensis dioecesis, abbatibus de Regalimonte, de Vallibus Sernay et de Valle Beatae Mariae.

37. Ad idem, pro abbate et conventu monasterii Frigidi montis, abbatibus de Caroliloco, s. th. pr., de Regalimonte et de Belloprato Belvacensi.

38. Ad idem, pro abbate et conventu Vallium Sernay, Parisiensis dioecesis, abbatibus de Caroliloco, s. th. pr., de Regalimonte et de Valle nostrae Dominae.

39. Ad idem, pro collegio Sancti Bernardi Parisiensis, abbati-

bus de Caroliloco, s. th. pr., de Regalimonte et de Vallibus Sernay.

40. Ad idem, pro abbatissa et conventu monasterii monialium Beatae Mariae de Argensol, abbatibus de Igniaco et de Pietate Dei.

41. Ad idem, pro abbatissa et conventu monasterii monialium Sancti Iacobi ... *(locus vacuus)* abbatibus de Ripatorio et de Moris.

42. Ad idem, pro abbate et conventu monasterii Claraevallensis, abbatibus de Longovado, de Moris, de Vaucellis et de Ursicampo.

43. Ad idem, pro abbate et conventu Ursicampi, abbatibus de Caricampo, de Longoponte, de Gardo et de Fusniaco.

44. Ad idem, pro abbate et conventu Maceriarum, dominis abbatibus de Cistercio et de Firmitate, s. th. pr., ac de Buxeria.

45. Ad idem, pro abbate et conventu de Curia Dei, abbatibus de Eleemosina, et de Valle Beatae Mariae.

46. Generale Capitulum matura deliberatione attendens bonam et ordinatam dispositionem membrorum ex bona dispositione capitis provenire, quodque ex collegio studii Tolosani retroactis temporibus exierunt notabiles et litterati viri in nostro Ordine sicut lilium in domo Domini florescentes, sed proh dolor ! dudum ad aures ipsius Capituli pervenit eiusdem domus in profectu scolastico desolatio ex defectu sufficientis provisionis in eodem, de provisore sufficienti et idoneo, qui scolares eiusdem in moribus et scientia dirigens notabilem formam vivendi inducat ; quare ipsum generale Capitulum abbati de Grandisilva anno elapso districte praecipiendo mandaverat, quatinus diligenter et debite de bono provisore eidem domui provideret, sed quia, auctoritate Ordinis contempta, id facere praetermisit, idem Capitulum ipsum ex nunc privat usque ad eius nutum auctoritate providendi illi collegio de provisore, fratrem Nicolaum, monachum de Gemundo et Parisiis in artibus magistrum, ipsius collegii Tolosani provisorem instituit, praecipiendo abbatibus de Bolbona, s. th. pr., et de Gemundo, quatinus ipsum fratrem Nicolaum in provisorem eiusdem domus instituant in plenaria Ordinis potestate, et ipsum collegium reforment, et in optima dispositione ponere studeant, puniendo malos iuxta eorum demerita, ut ad laudem cedat bonorum, et sub poenis

excommunicationis eidem abbati de Grandisilva inhibendo ne ipsum ab huiusmodi provisoratus officio quovismodo destituat aut deponat, sub eadem poena excommunicationis praecipiendo scolaribus eiusdem collegii ipsi fratri Nicolao tamquam suo vero provisori humiliter et devote obediant.

47. Pensionem per abbatem et conventum monasterii de Valloliis fratri Hugoni Dourvel, dudum eiusdem monasterii abbati, et per abbatem Ursicampi, s. th. pr., commissarium domini Cistercii confirmatam prout in litteris... *etc.* approbat.

48. Praecipitur per generale Capitulum abbati de Aquabella, ut ad minus teneat sex monachos in suo monasterio ad debitae servitutis obsequium Deo praestandum.

49. Generale Capitulum districte praecipit abbati de Fusniaco, s. th. pr., quatinus infra annum a data praesentium computandum solutionem et satisfactionem faciat abbati de Misericordia Dei de summa duodecim scutorum auri, per ipsum eidem de Fusniaco concessorum, alias vendatur thuribulum argenteum propter hoc invadiatum.

50. Abbati et conventui monasteri de Alta crista per generale Capitulum conceditur, quatinus possint et valeant de cetero celebrare officium XII lectionum unius confessoris pontificis ob reverentiam Theodoli, Eduensis episcopi, in crastino festi Assumptionis B. M. V.

51. Generale Capitulum concedit de gratia speciali abbatissae de Oliva, ut non obstantibus diffinitionibus et statutis Ordinis alias in contrarium factis, quamdam iuvenculam ad religionis ingressum satis dispositam, illegitimam, ad professionem regularem ipsam possit et valeat recipere.

52. Generale Capitulum propter excusationes et causas sibi praesentatas hoc anno, a via eiusdem Capituli excusatos habet abbates de Dunis, de Laude, de Cambrone, de Gardo, de Ripatorio, de Ursicampo, de Valle regis, de Valle clara, de Alna, de Villari, de Capella Thosan, de Frigidomonte, de Belloprato Belvacensi, et de Barbello.

53. Abbatibus de Theoloco, s. th. pr., de Charitate et Caroloco, praesens generale Capitulum committit in plenaria eiusdem potestate, quatinus diligenter et debite audiant, sententient et terminent de iure per fratrem Andream de Castellione, monachum de Alpibus, in dignitate abbatiali monasterii de Bullione, virtute certarum litterarum apostolicarum, praetenso; assumpto

ad hoc, si opus est, aliquo iurisperito, et debite coram se vocatis moderno abbate eiusdem loci et eodem fratre Andrea, et partibus ad plenum auditis, ministrent brevis et bonae iustitiae complementum, iuxta Ordinis nostri censuras quibus se quoad hoc plene et totaliter submiserunt, omnis appellationis beneficio renuntiando ; committit praeterea idem Capitulum eisdem commissariis abbatibus, quatinus debite se informent de regimine, vita et moribus praefati fratris Andreae... *(locus vacuus)*, et prout invenerint, iuxta salubria Ordinis nostri instituta, ordinent et faciant, in eadem Capituli potestate.

54. Abbati de Asilio per generale Capitulum committitur visitatio et reformatio omnium et singulorum Ordinis monasteriorum utriusque sexus in provinciis et regnis Daniae, Sueciae et Norvegiae, dehinc ad quinquennium, adiuncto et assumpto secum aliquo Ordinis religiose graduato, eidem etiam in eisdem provinciis collectionem contibutionum committendo, et ad compellendum per censuras Ordinis illarum provinciarum abbates ad solvendum ipsas contributiones, in plenaria Ordinis potestate.

55. Abbati de Nigrolacu per generale Capitulum praecipitur, quatinus per censuras Ordinis compellat abbatem Septem fontium ad mittendum ad Sanctissimum Dominum nostrum Papam, ad obtinendum et impetrandum propriis expensis sui monasterii rescriptum seu provisionem apostolicam pro absolutione et rehabilitatione fratris Petri de Chausseriis, monasterii sui professi, et quorumdam aliorum suorum religiosorum indigentium ab aliquo casu seu casibus reservato seu reservatis Sedi Apostolicae.

56. Ad instantiam et petitionem illustrissimi domini ducis Burgundiae et dominae ducissae seu consortis, praesens generale Capitulum zelo et affectu verae aequitatis et iustitiae motum, visitationem, correctionem et reformationem monasterii monialium Beatae Mariae de Belloprato prope Grandimontem, quam nonnulae... personae regulares et saeculares impedire nitebantur, committit abbati de Iardineto, in plenaria Ordinis et eiusdem Capituli potestate, et ad eidem Capitulo quid super hoc fecerit referendum.

57. Per generale Capitulum praecipitur abbati de Fontemorum, quatinus sufficienter et debite provideat fratri Ioanni... *(locus vacuus)*, suo religioso et scolari Parisiis studenti, ordinato per

Ordinem ad lecturam bibliae in proximo ordinario, nec eum revocet sine licentia Capituli generalis.

58. Generale Capitulum de medio tollere cupiens gravem abusum et damnabilem quorumdam Ordinis religiosorum per mundum evagationem, in suarum grave periculum animarum, districte praecipit et iniungit omnibus et singulis Ordinis abbatibus, ne faciliter et sine causa rationabili licentiam exeundi, et alibi proficiscendi a monasteriis propriis, suis religiosis tribuant, imo et indebite et sine iusta causa petentibus denegent, eos strictis carceribus mancipando.

59. Generale Capitulum committit domino Pontigniaci visitationem et reformationem omnium et singulorum monasteriorum suae generationis utriusque sexus ubicumque existant, dehinc ad triennium, in plenaria Ordinis potestate.

60. Abbatibus de Esrom et Herivado per generale Capitulum committitur, quatinus diligenter et debite se informent, an frater Petrus, quondam abbas Sorensis dum vivebat, esset obligatus fratri Iacobo quondam abbati Regalis Curiae, in summa 20 florenorum renensium, pro venditione unius equi, et comperta rei veritate, si ita repererint, abbatem modernum praefati monasterii ad solvendum praefatam summam compellant, in plenaria Ordinis potestate.

61. Universis praesentes litteras inspecturis, frater Hymbertus de Cistercio, Thomas de Pontigniaco, Philippus de Claravalle, Theobaldus de Morimundo et Guillelmus de Bellobecco monasteriorum Cisterciensis Ordinis, Cabilonensis, Antissiodorensis, Lingonensis et Rothomagensis dioecesium, abbates, salutem in Domino sempiternam et rei gestae notitiam.

Notum facimus quod, cum ad Capituli generalis, hoc anno apud Cistercium celebrati, audientiam, certus satis gravis processus inter abbatem et conventum monasterii de Boudelo, nostri Cisterciensis Ordinis, Tornacensis dioecesis, actores ex una, et abbatem et conventum monasterii de Loco Sancti Bernardi eiusdem Ordinis, Cameracensis dioecesis, defensores, ex altera partibus, per coabbates nostros de Villari et de Cambrone iudices a generali Capitulo novissime lapso deputatos, fuisset destinatus, et propter materiae gravitatem et prolixitatem huiusmodi processus, necnon propter alias arduas et graves materias ipsi Capitulo incumbentes, idem Capitulum prout optabat dictum processum ad plenum visitare et commode terminare minime

valeret ad visitandum et discutiendum praedictum processum et super eos peritos consulendum in Divione nos deputavit, prout per diffinitionem in ipso Capitulo editam potest apparere, cuius tenor sequitur et est talis: Nos, frater Hymbertus, abbas Cistercii, ceterique Diffinitores Capituli generalis Ordinis Cisterciensis, notum facimus universis, quod in eodem generali Capitulo die 14ª mensis septembris, anno Domini 1462 apud Cistercium celebrato, facta fuit quaedam diffinitio, cuius tenor sequitur et est talis: Capitulum generale committit dominis Cisterciensi, Pontigniacensi, Claraevallensi, Morimundensi et de Bellobecco abbatibus processum inter abbates et conventus de Boudelo et de Loco Sancti Bernardi motum in Divione cum iurisperitis visitandum, terminandum et sententiandum, in plenaria auctoritate ipsius Capituli generalis. Datum sub sigillo Diffinitorum eiusdem Capituli anno, die, mense et loco supradictis. Nos vero in Divione existentes et praedicto processu examinato diligenter, et discusso, maturaque super ipso cum iurisperitis deliberatione praehabita, propter graves et pregnantes materias, non repente aut properanter in huiusmodi processu per nos sententiandum visum est, sed vocatis per nos procuratoribus utriusque praedictarum partium ad ipsum Capitulum pro hac re specialiter destinatis, sciscitavimus ab eis, an se nostro iudicio et arbitrio, omni appellatione remota, se submittere vellent; qui procuratores super hoc deliberatione praehabita modo et forma praedictis, nobis nostroque dicto iudicio in praesentia notariorum et testium inferius subscriptorum, se submiserunt per se et procuratorio nomine promittentes, se nullatenus nostro iudicio in aliquo contraire. Quo facto eosdem procuratores ad partem se retrahere et an in aliquam de se vellent pacem aut concordiam condescendere avisarent et meditarentur interrogavimus, qui procuratores ad partem se retrahentes post longam et maturam super his deliberationem habitam, ad nos redeuntes, procurator praefatorum abbatis et conventus de Loco Sancti Bernardi pro se et procuratorio nomine praefato procuratori praedictorum abbatis et conventus de Boudelo coram nobis, notariis et testibus infrascriptis summam duodecim centum coronarum auri de regno Franciae pro damnis interesse ac universis quae ipsi de Boudelo a praedictis de Loco Sancti Bernardi petebant et requirebant, ac petere et requirere possent in futurum ultro et sponte obtulit et praesentavit, dehinc ad sexen-

nium quolibet anno ducentas coronas solvendam, videlicet in duobus terminis, scilicet Nativitatis Christi et beati Ioannis Baptistae, quorum duorum terminorum primus erit in Nativitate Domini proximo venturum; et sic deinceps continuendo de termino in terminum usque ad plenariam solutionem ipsorum mille et ducentorum scutorum aureorum; quam quidem oblationem et procurationem, sic ut praemittitur, per eumdem procuratorem praefatorum abbatis et conventus de Loco Sancti Bernardi praedictus procurator antedictorum abbatis et conventus de Boudelo pro se et procuratorio nomine acceptavit in forma et gratam habuit. Nos igitur, visis et auditis huiusmodi oblatione ex una et acceptatione ex altera partibus, attendentes longe fore melius lites et processus per concordiam partium terminari, quam districtionem subire iudicii, huiusmodi oblationem et acceptationem laudando, eas auctoritate totius Capituli generalis nobis in hac parte commissa ratificavimus, approbavimus et confirmavimus, ipsasque ratificamus, approbamus et confirmamus per praesentes eadem auctoritate, condemnantes praedictas partes et quamlibet ipsarum ad praemissa omnia, prout quamlibet ipsarum concernit inviolabiliter observandum, de Dunis et de Cambrone monasteriorum abbatibus, et eorum cuilibet in solidum dantes in mandatis, quatinus ad omnia et singula praemissa inviolabiliter observanda praedictas partes et quamlibet earum per censuras Ordinis compellant, in plenaria Ordinis potestate. In quorum omnium fidem et testimonium, quia auctoritate Capituli generalis in hac parte fungimur, sigillum Diffinitorum eiusdem Capituli praesentibus duximus apponendum. Acta fuerunt haec in domo habitationis domini Cisterciensis Divione, praesenti die 17[a] mensis septembris, anno Domini 1462, praesentibus ibidem venerabilibus et discretis magistris Ioanne de Vandenesse et Petro Bouffeau iurisperitis, et fratre Guidone de Laude, religioso professo Cistercii, testibus ad praemissa vocatis specialiter et rogatis.

62. Committitur abbati de Sconavia per generale Capitulum, quatinus diligenter se informet de facultate monasteriorum de Bildhusen, Brombach, Speciosae vallis, Bebenhusen, Salem,... *(locus vacuus)* Erbacoh, Veteris montis quorumcumque, Montisbodi et Heggena, et ubi illa invenerint ad mittendum scolares in collegium Edelbergense potentia, abbates eorumdem monas-

teriorum ibidem, auctoritate Capituli generalis celeriter compellat ad mittendum [*cf.* Cist.-Chronik, *t. 48, p. 108*].

63. Capitulum generale committit abbati de Heymelrode, ut possit inter suos religiosos Willermum, ordinis Eremitarum Sancti Augustini professum, recipere, dummodo ipse Willermus ad hoc licentiam a Domino nostro Sanctissimo Pontifice obtineat.

64. Capitulum generale, cassata et annullata quadam appellatione per abbatem Sancti Ioannis Baptistae in Stams, Brixinensis dioecesis, occasione compulsionis ad mittendum scolarem ad collegium Sancti Nicolai in Vienna, emissa, statuit, praecipit et ordinat, quatinus infra dimidium annum a die intimationis praesentis diffinitionis compellatur realiter et de facto per censuras Ordinis ad mittendum scolarem ad dictum collegium, cuius diffinitionis executionem idem Capitulum committit abbati Sanctae Crucis in Austria.

65. Committit generale Capitulum dominis Claraevallis, s. th. pr., et de Bullencuria, quatinus informatione facta super debato et controversia motis inter abbates et conventus de Tribus fontibus, et de Caherio, et Henricum Le Bruc, mercatorem de Reigny les Vaiches, et eos concordent, praefatasque controversias pacificent, sententient, et cum plenaria Ordinis potestate finaliter iudicent et determinent.

66. Capitulum generale praecipit abbati de Valleta, quatinus sub censuris Ordinis recipiat Antonium Combabessosa monachum suum, cum nil eorum probet quae praefato Antonio ad negandum ingressum imponit, maxime cum iam eidem abbati id idem fuerat per generale Capitulum retroacto anno iniunctum.

67. Domino Claraevallensi, s. th. pr., per generale Capitulum committitur visitatio omnium et singulorum monasteriorum utriusque sexus suae generationis, usque ad triennium, in totius ipsius generalis Capituli plenaria potestate.

68. Capitulum generale, salvo iure patris abbatis, praecipit abbati Caroliloci, vocato secum alio abbate, quatinus se transferat ad monasterium Vallis Beatae Mariae, ut illud auctoritate Capituli generalis visitet et in spiritualibus et temporalibus universaliter, secundum constitutiones Ordinis reformet et ordinet, compellatque fratrem Martinum Hamon, ut sub censuris Ordinis bona ad dictam Vallem Beatae Mariae, si quae inde tulerit, referat, ad plenum satisfaciat, idemque et eodem

modo praefato abbati respectu abbatiae Vallium Sernay, ubi prius abbatiali dignitate fungebatur, per idem Capitulum districte praecipitur, ut praefatus commissarius, si alium secum commode commissarium habere nequiverit, solus poterit negotium terminare.

69. Capitulum generale explusionem fratris Martini Mancipi a monasterio de Grandisilva per dominum... *(locus vacuus)* factam propter casus contentos in litteris suis patentibus, quibus haec praesens diffinito annectitur, ratificat et approbat, et si opus est renovat.

70. Generale Capitulum benigne dispensat cum abbate de Sancto Sulpitio, quatinus semel hoc anno possit in foro conscientiae absolvere suos religiosos ab omnibus casibus generali Capitulo reservatis ; illum etiam a via huius Capituli excusando, et nihilominus eidem in virtute salutaris obedientiae et per censuras Ordinis eidem praecipiendo, ut illico dimisso studio, ubi in praeiudicium sui monasterii residet, ad regendas animas sibi commissas revertatur.

71. Capitulum, domino Ioanni de Chamlito, quondam abbati Theoloci, pensionem sibi per dominum Morimundi, ut in suis patentibus... *etc.* approbat.

72. Capitulum generale per supplicationem abbatis de Alna misericorditer dispensat cum fratribus Ioanne de Gravio, Ioanne de Monte, Ioanne de Binchio, Nicolao Tibal, et Henrico de Tudinio, suis monachis expresse professis, quatinus non obstante contagionis carnis vitio in quo convicti reperti sunt, et de quo salutarem egerunt poenitentiam, dignitate abbatiali seclusa, etiam ad omnes Ordinis gradus, dignitates et officia promoveri valeant.

73. Ad idem, pro fratre Hugone Ioux, qui per sex menses, per mundum apostatice non timuit evagari.

74. Ad idem, pro fratre Nicolao Mahe, diacono monacho Ioyaci, qui in contagio carnis convictus est.

75. Ad idem, pro fratre Guillelmo Ogier, monacho Bellibecci sacerdote, pro carnali contagio.

76. Ad idem, pro fratre Leone Cauteleur, sacerdote eiusdem monasterii, qui occasione apostasiae et descriptione libelli infamiae, infamiam suam non timuit denigrare.

77. Ad idem, pro fratre Ioanne Scheny, religioso de Dunis, qui per sex menses in habitu saeculari apostasiam incurrit.

78. Ad idem pro sorore Cornelia, professa monasterii de Westines, cognomine Moenaca, quae de puerperio convicta est.

79. Ad idem, pro fratre Vincentio Gravier... monacho monasterii de Fontemorum, super apostasia et irregularitate contracta celebrando in saeculo, in habitu saeculari.

80. Ad idem, pro fratre Philippo de Barlin, monacho monasterii Ursicampi, qui tribus vicibus, qualibet vice per quatuor menses, non relicto habitu, apostatavit evagando per saeculum.

81. Ad idem, pro fratre Arnulpho, monacho Ursicampi, qui tribus vicibus, per quatuor menses vice qualibet, per mundum evagando apostatavit.

82. Ad idem, pro fratre Gerardo de la Raye, professo Ursicampi, qui convictus est inter septa monasterii mulierculam suspectam introduxisse, qui ea de causa per abbatem suum denuntiatus est infamis.

83. Ad idem, pro fratre Guillelmo Daudayne, religioso de Valloliis, qui per quinquennium, habitum relinquendo, per saeculum continuo apostatavit.

84. Ad idem, pro fratre Ioanne Breot, monacho monasterii de Boudelo, qui fractis carceribus apostasiam incurrit.

85. Ad idem, pro fratre Matheo Lamorry, religioso Frigidi montis, qui illicentiatus octo diebus mansit extra monasterium suum, non dimisso habitu regulari, inclusa dignitate abbatiali.

86. Ad idem, pro fratre Egidio Colet, eiusdem monasterii professo, qui nocte exivit monasterium, et in habitu saeculari per octo dies apostatavit.

87. Ad idem, pro fratre Ioanne de Puteolis, monasterii Signiacensis professo, qui apostatando per tres menses, etiam de conspiratione convictus est, seclusa dignitate abbatiali.

88. Capitulum generale audita reclusione monialium monasterii Beatae de Mariae Succursu Nostrae Dominae facta per abbatem de Alna illam habet ratam et gratam et ipsam confirmat, approbat et ratificat.

89. Idem Capitulum confirmat et approbat translationem monialium monasterii Beatae Mariae de Felici prato et introductionem monachorum in eodem monasterio per abbatem de Alna factam, patrem abbatem eiusdem monasterii.

90. Idem Capitulum committit abbatibus de Grandi prato et de Iardineto, quatinus diligenter et debite se informent super quadam commutatione terrarum et reddituum inter ecclesiam

de Alna et ecclesiam monialium de Marchia dominarum, per dictas partes requisita, et si illam utrique parti fore utilem invenerint, Capitulo generali proximo fideliter referant.

91. Idem Capitulum confirmat et approbat translationem monialium monasterii de Claromarisco Remensi, et introductionem monachorum per dominum Igniacensem factam.

92. Generale Capitulum, visa quadam concordia habita de consilio proborum virorum inter abbatem monasterii Igniacensis, et monasterium monialium de Monasteriolo, per abbates Fusniaci ... *(locus vacuus)* commissarios Capituli generalis in hac parte, facta, ut patet in litteris... *etc.* approbat.

93. Abbatibus de Pigno et de Valentia committit praesens generale Capitulum, quatinus diligenter et debite se informent super debatis, querelis et controversiis motis seu moveri paratis inter abbates de Sancto Leonardo et de Gratia Dei, et illas gratiose et amicabiliter pacificent et sedare studeant, in plenaria Ordinis potestate.

94. Generale Capitulum considerata et attenta paupertate monasteriorum de Dulci valle et de Bello loco, Lingonensis dioecesis, per triennium, eorum contributiones pro dimidia parte dumtaxat remittit.

95. Generale Capitulum per abbatem Caritatis commissarium in hac parte debite informatum super damno, quod occasione manus mortuae et excessivarum decimarum super vineas Vallis Bethaniae ab antiquo existentium, monasterio de Bethania accidit, statuit, diffinit et ordinat quod manu mortua ab eisdem vineis sub certis conditionibus omnimodum dominium supra praefatas vineas ad utilitatem eiusdem monasterii illibatum conservantibus remota, decimae ipsae, quae prius erant ad octavum transeant in decimum.

96. Capitulum generale confirmat et approbat pensionem fratri Symoni Evrardi, quondam de Fonteneto abbati per dominum Cisterciensem ultimo defunctum assignatam, salvis tamen manu mortua et dominio et iustitia temporali, quas relinquit ei qui nunc in praedicto monasterio praesidet.

97. Capitulum in plenaria Ordinis potestate committit domino Morimundi, quatinus super quibusdam contractibus inter abbatem et conventum monasterii Theoloci, parte... *(sic desin. stat.)*

98. Generale Capitulum lamentabiliter et ultra quam fari

possit doloroso corde considerans enormitatem pariter et criminositatem atrocissimam cuiusdam fratris Ioannis Theobaldi, monasterii Beatae Mariae de Lanneyo professi, qui diabolico spiritu accensus, proprium abbatem vita privare satagens, manus sacrilegas adeo enormiter in eumdem suum patrem spiritualem iniecit, quod privatus usu suorum digitorum unius manus, atque laetabiliter in latere confossus, debilis et mutilatus in aevum permanebit, ideo ipsum attentis una cum suis aliis criminibus, quibus pluries convictus fuit, conformiter ad *Antiquas* et *Novellas Diffinitiones*, perpetuis carceribus, pani doloris et aquae tristitiae sententiat et condemnat mancipandum, ulterius committendo et stricte praecipiendo abbatibus de Bello becco, eiusdem monasterii patris abbatis, et de Caroliloco, s. th. pr., quatinus diligenter et debite se informent de omnibus et singulis eiusdem monasterii regularibus personis seu de aliis quibuscumque de huiusmodi criminoso horrendoque scelere suspectis et complicibus, et quidquid damnosi scandalosi casus complices fautores, aut quomodolibet culpabiles repererint, puniant et corrigant, in plenaria Ordinis potestate.

99. Praesens generale Capitulum praecipit abbati de Tribus fontibus in virtute salutaris obedientiae, quatinus cum primum venerit ad suum monasterium, strictis carceribus mancipet fratrem Robertum de Terines, repertum culpabilem in mutilatione nuper et per fratrem Ioannem Theobaldi abbati de Lanneyo inflicta.

100. Praesens generale Capitulum praecipit abbati de Fonte Danielis in virtute salutaris obedientiae, quatinus cum primum venerit ad suum monasterium, strictis carceribus mancipet fratrem Ioannem Fruffier... *etc. ut supra.*

101. Capitulum generale praecipit et mandat omnibus et singulis Ordinis abbatibus, quatinus quotquot religiosos Ordinis invenerint per saeculum vagari, apostatare, seu quomodolibet irregulariter et sine licentia propriorum abbatum seu superiorum incedere, capiant, detineant et carceribus mancipent, talesque ut alias propriorum abbatum expensis puniant, quod ceteris cedat in terrorem.

102. Capitulum generale praecipit abbati monasterii de Petris, ut fratrem Ioannem Bernardi, monachum sui monasterii, non obstante professione per eum abbati Aquaebellae apostatice facta, inter suos benigniter recipiat.

103. Capitulum generale committit dominis Cisterciensi, Pontigniacensi, Claraevallensi, Morimundensi et de Bellobecco abbatibus processum inter abbates et conventus de Boudelo et de Loco Sancti Bernardi motum in Divione cum iurisperitis visitandum, terminandum et sententiandum, in plenaria auctoritate ipsius Capituli generalis.

104. Capitulum generale attenta gravitate criminis fratris Ludovici de Monasterio, alias de Calsino, Montis Sanctae Mariae monachi, qui litteris apostolicis falsificatis eisdem conatus est, et ulterius conabatur uti indebite, sub inobedientiae poena praecipit abbati praescripto, ut cum is criminator suus primo extitit professus, cum sufficienti quam meruit victus provisione, diligenter et stricte ad nutum Capituli generalis carceribus recludat, domino Cisterciensi iniungendo, quatinus ipsas litteras falsificatas procuratori Ordinis in Curia romana transmittat, ut casu comperto Sedes Apostolica Capitulo interim praecipiat quid in re hac sit agendum.

105. Capitulum generale attento quod frater Iacobus Ioannis, quondam abbas Regalis curiae, ex pacto symoniam redolente, suum monasterium resignavit, decernit illum absque provisione remanere, et quia abbas de Sora huic pacto, sic ut dictum est, indecenti consensit, Capitulum praefatum eumdem abbatem de Sora proprio stallo per mensem privat.

106. Capitulum generale consideratis senio [d] et gravissimis infirmitatibus fratris Petri de Pontisara, quondam abbatis Vallis Sanctae Mariae, praecipit sub poenis in statutis Ordinis contentis, abbati eiusdem Vallis ut praefato (Ioanni) Petro cum portione conventuali duodecim scuta absque difficultate annuatim tradat et solvat, cassando et annullando aliam pensionem sibi alias indebite assignatam.

107. Capitulum generale benigniter dispensat cum abbate de Callovio de via praesentis Capituli, largiturque eidem potestatem ut semel hoc anno omnes et singulos suos religiosos de casibus Capitulo generalis reservatis absolvere possit et valeat.

108. Capitulum generale praecipit abbatibus Claraevallis, Theoloci et de Moris, ut auctoritate ipsius Capituli plenaria omnes personas Ordinis et alias cuiuscumque conditionis, quae

[d] seriis *M* ; serio : P^2.

iocalia, bona mobilia, fructus et proventus ad monasterium Trium fontium pertinentia, citra reversionem nuper abbatis eiusdem monasterii per Capitulum generale aspotaverint, invadiaverint, vendiderint, receperint, aut quomodolibet a dicto monasterio alienaverint, ad restituendum iuridice compellant [*sic. cf. 1463, nº 121*].

109. Capitulum generale contributiones monasterii Sacrae cellae, Senonensis dioecesis, pro uno franco annuatim solvendo per quinquennium misericorditer relaxat.

110. Capitulum generale praecipit abbati de Iardineto commissario monasterii de Marchia, ut se de valore fundationis cuiusdam missae per hebdomadam quamlibet in praedicto monasterio de Marchia celebranda, diligenter se informet, et quod invenerit, proximo generali Capitulo fideliter referat.

111. Capitulum generale contributiones monasterii Ioyaci pro hoc anno, pietatis intuitu, ad unum francum moderatur.

112. Generale Capitulum praecipit et ordinat commissario futuro monasterii monialium de Biache, quatinus Ioannam Warine, ipsius monasterii professam, cum religiosa sit atque plurimum inquieta, ad aliud monasterium regulatum, auctoritate Capituli transmittat.

113. Abbatibus de Bellobecco et de Claromonte praecipit generale Capitulum, quatinus ad monasterium Sancti Andreae accedentes, se de rebellionibus, dissensionibus, controversiis, aliisque insolentiis in eo monasterio per quoscumque perpetratis diligenter et studiose informent, et quidquid invenerint ibidem corrigendum, tam in capite quam in membris, iuridice et districte corrigant et reforment, cum plenaria Ordinis potestate.

114. Pensionem 40 scutorum auri anno praeterito, intuitu pietatis et gradus doctoratus, magistro Egidio de Roya, s. th. pr., super monasterium Regalismontis concessam et assignatam, praesens generale Capitulum confirmat et approbat, et praesentis diffinitionis executionem abbatibus de Ursicampi et de Bellobecco, s. th. pr., et cuilibet eorum in solidum, idem generale Capitulum committit, in plenaria Ordinis potestate.

115. Quia venit ad notitiam generalis Capituli quod dominus Morimundi et alii Ordinis abbates quosdam conspiratores criminosos, et ovium Christi turbatores a monasterio Campi principum expulerunt, et praedictum Capitulum abbati nunc in dicto monasterio praesidenti, cum sit novella plantatio sibi

commissa, districte mandat talibus criminibus implicatos ne audeat praescriptos conspiratores et criminosos, aut alios quoscumque inter sibi commissos Christi servulos quomodolibet recipere.

116. Per generale Capitulum abbati de Bolbona, s. th. pr., committitur, quatinus citet personaliter et peremptorie ad secundam diem Capituli generalis proxime futuri abbatem de Grandisilva, ad plenius informandum dictum generale Capitulum super certis rebus et negotiis in praesenti Capitulo tractatis, respondendumque ad omnia et singula quae per promotorem causarum ipsius Capituli sibi tunc proponentur. Datum, etc.

1463

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo tertio, decima quarta die mensis septembris, apud Cistercium statuta sunt haec in eiusdem Ordinis Cisterciensis Capitulo generali.

1. Cum obedientia ceteris virtutibus moralibus non immerito praepolleat, et iuxta propheticam eruditionem atque Gregorii sententiam in ultimo moralium, iure victimis praeponatur, hinc est quod Capitulum generale attendens pro conservatione sacrae religionis, quam sponte suscepimus inter cetera hanc scilicet obedientiam, sine qua omnis disciplina regularis corruit, votis praecipuis profitemur obedientiae vinculum esse praecipue observandum. Eapropter communi voto parique consensu Capitulum congregatum statuit et ordinat quod tam maior quam omnes et singuli alii praeceptores, necnon milites et fratres, et beneficiati et quicumque alii de Avis in regnis Portugalliae et Algarbiae constituti, qui nostrum Cisterciensem Ordinem profitentur, ac nobis iure ordinario subesse noscuntur generali magistro, sive gubernatori moderno dictae Militiae et pro tempore existenti humiliter parere et intendere, ac sibi tamquam praecipuo dictae Militiae in ipsis regnis superiori reverentiam

---

1463. *Fontes* : *Du*[1] : 131 : *L*[4] : 1-130 ; *M* : 53, 79, 89, 128 ; *P*[2] : 1, 2, 3, 4, 18, 35, 53, 79, 89, 128 ; *U, W* : 131, *cf. ann. 1483, nota.*

[a] *Titulus apud L*[4].

et honorem congruentes exhibere, ac secum sub vexillo dictae Militiae, quotiescumque ipsum ad res bellicas accedere, vel in eis interesse contigerit, aut cum capitaneo, quem ad hoc cum dicto vexillo deputaverit, militare teneantur et debeant ; et quoniam regulares personae a consortio principum et aliarum personarum saecularium, in quantum possunt, abstinere debent, eisdem praeceptoribus, militibus fratribus, et professoribus districtius inhibendo, ne quibusvis regibus, ducibus sive aliis principibus quovis quaesito colore adhaerere, ut hanc sanctam obedientiam subterfugere quoquomodo praesumant. Et si contra huiusmodi inhibitionis, statuti et ordinationis tenorem venire praesumpserint, postquam praesentium notitiam habuerint specialem, eo ipso omnibus et singulis praeceptoriis, dignitatibus, officiis et beneficiis eiusdem Militiae, quae obtinuerint, privati existant, liceatque magistro sive gubernatori praedicto de ipsis praeceptoriis, dignitatibus, officiis et beneficiis auctoritate praesentis constitutionis vacantibus, absque alia causae cognitione aliis personis idoneis providere. Item ,quia nonnulli ex praedictis praeceptoribus, militibus et fratribus, antequam religionem huiusmodi profiterentur aliorum dominorum familiares erant, alii vero etsi aliorum familiares non fuerint, tamquam inobedientiae filii, ut superiori suo non obediant, ut tenentur, regi et aliis principibus et dominis adhaerent, ac suos se nominant ; ad eorum igitur temeritatem compescendum idem Capitulum statuit et ordinat, quod unusquisque praeceptor, miles, sive frater dictae Militiae, postquam habitum ipsius susceperit nullum alium in praecipuum dominum praeter magistrum sive gubernatorem praedictum habeant, ipsumque omnibus postpositis venerari, et dum in eodem loco sive curia sive extra eam residerint associare teneantur ; si qui vero contrarium fecerint, liceat magistro sive gubernatori pro tempore existenti eosdem in conventu recludere, ac alias secundum rei exigentiam corrigere et castigare. Item, quia nonnulli eiusdem Militiae, postquam praeceptorias, dignitates, officia et beneficia praedicta assecuti fuerint, regularem professionem, per alios milites seu fratres dictae Militiae emitti solitam, emittere negligunt vel recusent ; similiter idem Capitulum generale statuit et ordinat quod omnes et singuli eiusdem Militiae praeceptores, milites et fratres, qui praeceptorias, dignitates, officia seu beneficia huiusmodi pro tempore obtinebunt, infra annum a die pacificae possessionis adeptae ; alii

vero qui iam praeceptorias, officia et beneficia ad praesens possident, a die qua praesentium notitiam habuerint specialem, usque ad tres menses immediate sequentes, expressam professionem, ut praefertur, emitti solitam omnino emittere teneantur ; alioquin dictis terminis elapsis, praeceptoriis, dignitatibus, officiis et beneficiis praedictis eo ipso privati existant, illaque tamquam vacantia possit magister seu gubernator praefatus idoneis conferre personis, prout discretioni suae videbitur expedire. Item, quia nonnulli ex praefatis praeceptoribus, militibus et fratribus sibi et dictae religioni inutiles suis negligentia vel malitia bona praeceptoriarum, dignitatum, officiorum et beneficiorum suorum dissipant, et tamquam infructuosa membra universo corpori Ordinis et Militiae praedictorum damnosi existunt, statuit et ordinat idem Capitulum, ut magister sive gubernator nunc et pro tempore existens tales dissipatores salubriter moneat, et si infra certum eis per eumdem magistrum sive gubernatorem praefigendum terminum se non emendaverint, dictos praeceptores, milites sive fratres dissipatores in conventu recludat, et ibi poenitentiam, de qua sibi videbitur, adimplere compellat. Si quis vero propterea se a dissipatione huiusmodi non emendaverint, liceat tunc eidem magistro sive gubernatori praefato dissipatori aliquem coadiutorem decernere religionis professum, cuius consilio et auctoritate beneficia et bona praedicta regere et meliorare possit ad certum tempus deputare ; et nihilominus si post praedicta idem praeceptor, miles sive frater dissipator, aut eiusdem magistri seu gubernatoris salubribus monitis inobediens et rebellis repertus fuerit, praeceptoriis, dignitatibus, officiis et beneficiis, quae in dicta religione obtinuerit, perpetuo privetur, faciatque sibi magister sive gubernator pro tempore existens de victu et vestitu aliisque necessariis in dicto conventu caritative provideri, necnon aliis idoneis personis de praeceptoriis, dignitatibus, officiis sive beneficiis praedictis libere et licite valeat providere.

2. Item, quia nonnulli praeceptores, milites et alii fratres dictae Militiae in animarum suarum periculum, perniciosum exemplum, et scandalum plurimorum, contra castitatis votum per eos emissum, focarias seu concubinas publice tenere et cum eis cohabitare non verentur, ab huiusmodi perpetrandis excessibus cohibere cupientes, statuimus et ordinavimus, quod nullus ex praeceptoribus, militibus et fratribus dictae Militiae tam prae-

sentibus quam futuris focariam seu concubinam, palam et publice, vel intra domum habitationis suae occulte, secum cohabitando tenere praesumat ; si quis vero contra statutum et ordinationem, atque prohibitionem nostram huiusmodi temere venire praesumpserit, monitione praemissa, praeceptoriis, dignitatibus, officiis et beneficiis, quae obtinent et pro tempore obtinuerint, privati existant, possitque ipsius Militiae magister seu gubernator pro tempore existens personis idoneis de illis libere ac licite providere, ac si formaliter privati existerent. Item, quia nonnulli ex praedictis praeceptoribus, militibus et fratribus et antequam religionem ipsam profiterentur, vel postea voti castitatis immemores filios et filias procrearunt, cum quibus et eorum matribus praeceptoriarum, dignitatum, officiorum ac beneficiorum huiusmodi bona turpiter consumere praesumpserunt, pariformiter statuit et ordinat praefatum Capitulum, quod nullus praeceptor, miles, frater, seu religiosus eiusdem Militiae possit filio seu filiae aut concubinae suis quaecumque bona immobilia ad praeceptorias, dignitates, officia seu beneficia dictae Militiae spectantia arrendare, seu ad firmam vel annuam pensionem, sive in emphiteosim concedere ; quod si secus fecerit, arrendatio seu firma, vel annua pensio sive emphiteosis bonorum praedictorum non tenebit ; ipse vero praeceptor, miles, frater vel religiosus, si canonica praemissione praemissa, arrendationem seu concessionem huiusmodi non revocaverit et dicta bona ad ius, usum et fructum dictae Militiae non restituerit, praeceptoriis, dignitatibus, officiis et beneficiis, quae obtinuerit, privatus existat, possitque ipsius Militiae magister seu gubernator pro tempore existens de illis personis idoneis libere et licite providere, ut praefertur, etc.

3. Item, quia super observatione statutorum, stabilimentorum et constitutionum Ordinis et Militiae praedictorum, et correctione personarum eiusdem Militiae ac pluribus aliis rebus nonnulli praeceptores, milites et fratres praedicti iugum servitutis et obedientiae respuentes, a magistro sive gubernatore et aliis dictae Militiae officialibus, ad regem, duces, principes et alios dominos temporales eorumque officiales appellant et provocant, necnon ab eisdem litteras, cedulas appodixas et alnareta impetrent, propter quae rex, duces, et domini ac eorum officiales praedicti de negotiis et causis religiosarum personarum huiusmodi, eorumque subditorum et vassallarum contra iuris dispositionem cognoscere nituntur, unde plura scandala orta sunt, ac nisi de oppor-

tuno remedio provideatur, possent maiora in posterum verisimiliter exoriri ; ad obviandum igitur scandalis antedictis idem Capitulum statuit et ordinat, quod nullus praeceptor, miles seu frater dictae Militiae praemissa de cetero facere praesumat ; si qui vero contra statutum et ordinationem atque prohibitionem nostram huiusmodi venire praesumpserit, monitione praemissa, praeceptoriis, dignitatibus, officiis et beneficiis, quae obtinent et pro tempore obtinebunt, perpetuo privati existant, possitque ipsius Militiae magister seu gubernator pro tempore existens de illis personis idoneis libere et licite providere. Ipsi vero generali magistro sive gubernatori moderno et omnibus qui pro tempore fuerint, per generale Capitulum districte in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis poena praecipitur, quatinus omnes et singulas supradictas regulas, constitutiones et ordinationes personis regularibus dictae Militiae salutares observent et observari faciat, omni dissimulatione semota ; omnibus insuper regularibus personis dictae Militiae eidem magistro sive gubernatori subditis per censuras Ordinis et sub poenis excommunicationis latae sententiae praecipiendo et mandando, ut eidem magistro in executione omnium et singulorum praemissorum humiliter pareant et devote obediant ; ceteros autem ipsi Ordini nostro subiectos ex affectu rogando, ut in favorem iustitiae in singulis praemissis favorabiles et adiutores se exhibeant.

4. Translationem et mutationem monialium monasterii Beatae Mariae de Curia Nostrae Dominae, Senonensis dioecesis, in monachos, et institutionem, promotionem et provisionem fratris Ioannis de Blandinco, monasterii de Sacro portu, alias de Barbello professi, in priorem, rectorem et administratorem perpetuum dicti loci, per abbatem Caroliloci, commissarium domini Cisterciensis, patris abbatis immediati eiusdem monasterii, prout in litteris... *etc.* approbat.

5. Electionem, promotionem et institutionem fratris Conradi Fogel de Lore, monasterii Beatae Mariae de Brunbach, Herbipolensis dioecesis, expresse professi, in abbatem et dignitatem abbatialem eiusdem monasterii, per abbatem de Speciosa valle commissarium abbatis Mulbrunnensis, patris abbatis immediati... *etc.* confirmat.

6. Ad idem, pro fratre Ioanne... *(locus vacuus)* monasterii Beatae Mariae de Cella principum, Pataviensis dioecesis, expresse

professi in dignitatem eiusdem monasterii, per abbatem de Alderspach, patrem abbatem immediatum eiusdem monasterii.

7. Ad idem, pro fratre Georgio, monasterii Beatae Mariae de Sancta Cruce in Austria, Pataviensis dioecesis, expresse professi, in dignitatem abbatialem eiusdem monasterii, per abbatem de Runa, commissarium domini Morimundi, patris abbatis immediati eiusdem monasterii.

8. Ad idem, pro fratre Ioanne Sellatoris, monasterii Beatae Mariae de Sancta Trinitate in Nova civitate, Salzburgensis dioecesis, in abbatem dicti loci, per abbatem de Runa, patrem abbatem immediatum eiusdem monasterii.

9. Ad idem, pro fratre Ioanne de Bodenhemi, religioso monasterii de Langenstembach, ad dignitatem abbatialem monasterii de Alba dominorum, per abbates de Schonaugia, s. th. pr., et de Mulenbruna, commissarios generalis Capituli, una cum auctoritate abbatis de Novo castro, patris abbatis immediati eiusdem monasterii.

10. Ad idem, pro fratre Ioanne de Sirck, priore monasterii de Villereyo, ad dignitatem abbatialem de Fristorf, Metensis dioecesis, per dominum Morimundi, patrem abbatem immediatum eiusdem monasterii.

11. Ad idem, pro fratre Ioanne de Wurssch, in th. lic. monasterii Beatae Mariae Mulbrunnensis, Argentinensis dioecesis, in abbatem dicti monasterii, per abbatem monasterii de Alba dominorum, Spirensis dioecesis, commissarium abbatis de Novo castro, immediate patris abbatis eiusdem monasterii.

12. Ad idem, pro fratre Guillelmo Acherii, religioso monasterii Beatae Mariae de Bella pertica, Montisalbani dioecesis, in abbatem eiusdem monasterii, per abbates de Grandisilva et de Calercio, commissarios domini Claraevallis, patris abbatis immediati eiusdem monasterii, prout in processu confirmationis, in quo copia processus electionis est inserta, super his confecto, cui haec praesens *etc.* approbat.

13. Ad idem, pro fratre Albrecto Stas, religioso professo monasterii de Maris stella, Constantiensis dioecesis, in abbatem dicti monasterii Maris stellae, per abbatem monasterii de Salem, patrem abbatem eiusdem monasterii.

14. Ad idem, pro fratre Michaele de Fonte, religioso Beatae Mariae de Barzella, Bituricensis dioecesis, in abbatem dicti

monasterii, per abbatem de Landesio, eiusdem monasterii immediatum patrem abbatem.

15. Ad idem, pro fratre Petro de Wegel, s. th. pr., religioso professo monasterii Beatae Mariae de Fonte salutis, in abbatem eiusdem monasterii, per abbatem Eberbacensem, patrem abbatem immediatum eiusdem monasterii.

16. Ad idem, pro fratre Arnoldo etc. instituto et proviso, etc. Provisionem et institutionem fratris Arnoldi de Novadomo, religioso de Iardineto, in abbatem monasterii quondam monialium Felicis prati, Leodiensis dioecesis, per abbatem de Alna, patrem immediatum eiusdem monasterii.

17. Ad idem, pro fratre Ioanne de Longoprato, religioso Claraevallis, in abbatem monasterii de Charmeya, Catalaunensis dioecesis, per abbatem de Bullencuria, commissarium abbatis de Valle clara, patris abbatis eiusdem monasterii.

18. Ad idem, pro fratre Guillelmo Regis, alias de Sagiaco, religioso monasterii de Septem fontinus, Eduensis dioecesis, ad dignitatem abbatialem eiusdem monasterii, per abbatem de Charitate et priorem Cistercii, a domino Cisterciensi Capituli generalis auctoritate fungente, commissarios.

19. Ad idem, pro fratre Hugone de Bremundam, religioso monasterii de Gratia Dei, Bisuntinensis dioecesis, in abbatem dicti loci, per abbatem Charitatis, patrem abbatem immediatum dicti monasterii.

20. Ad idem, pro fratre Wernerio, religioso professo monasterii de Caherio, in abbatem dicti monasterii, per abbatem Trium fontium, eiusdem monasterii immediatum patrem abbatem.

21. Ad idem, pro fratre Ioanne de Slebussch, monasterii Beatae Mariae de Veteri monte, Coloniensis dioecesis, ad dignitatem abbatialem dicti monasterii, per dominum abbatem Morimundi, patrem abbatem immediatum eiusdem monasterii.

22. Ad idem, pro fratre Nicolao de Sancto Gengulpho, monasterii Beatae Mariae de Bona valle Viennensi, in priorem [de] Penthemont, per abbatem Caroliloci, commissarium Rmi. domini Cisterciensis.

23. Generale Capitulum misericorditer dispensat cum abbate Burkardo Ebracensi, quatinus possit semel eligere confessorem de Ordine, qui eum possit absolvere a casibus generali Capitulo reservatis, atque excommunicationum sententiis, apostasiis, irregularitatibus contractis, atque pro una vice simile

beneficium suis religiosis conferre possit ; insuper propter timores guerrarum benedicere novitios suos infra annum, dum monstrant bene et complete scienda.

24. Ad idem, pro abbate de Bildhusen.

25. Ad idem, pro abbate Lanckheim, excepto de benedictione novitiorum infra annum non benedicendorum.

26. Abbatibus de Mulbruna, de Fonte salutis, de Lanckheim et de Ebraco, per generale Capitulum committitur, quatinus cum abbate de Sconovia visitent et reforment collegium Heydelbergense, et illi de sufficienti et idoneo provisore de Ordine, ubicumque inveniatur, provideant in plenaria Ordinis potestate.

27. Attenta paupertate et desolatione monasterii Beatae Mariae de Fonte salutis occasione guerrarum, unde maximam incurrerat damnationem, praesens generale Capitulum benigne cum abbate et conventu dicti loci dispensat, quatinus iuxta et secundum formam *Benedictinae* possit facere contractus, mutuationes, venditiones et alienationes aliquorum bonorum et possessionum eidem monasterio non multum utilium, quae tamen alienatio aut commutatio, iudicio, arbitrio et discretione abbatum de Ebraco et de Lanckheim, quos coniunctim vel divisim deputat ad hoc commissarios in plenaria Ordinis potestate ; eidem abbati de Fonte salutis misericorditer annuentes, ut ipse pro semel unum de Ordine valeat eligere confessorem, qui eum ab omnibus casibus et excommunicationum sententiis generali Capitulo reservatis absolvere valeat, et hoc idem beneficium possit suis religiosis pro una vice conferre.

28. Generale Capitulum specialem profectum monasterii Beatae Mariae de Stapharda, Taurinensis dioecesis, dati in commendam, ex affectu desiderans, confirmat fratrem Hilarium de Revello in priorem claustralem dicti monasterii, dando sibi potestatem novitios recipiendi, et eidem committendo et praecipiendo, quatinus coenobia quaedam monialium eidem monasterio subiecta, visitet et reformet, et si opus sit, auctoritate Capituli et Ordinis corrigat et puniat secundum formam et ordinationes regulares Ordinis ; si autem, ut ad aures praesentis Capituli pervenit, abbatissase et moniales monasteriorum Pogoliae apud Montemregalem, et Cellaenovae apud Fossanum eidem monasterio Staphardi immediate subiectorum citra modica tempora indebite ab obedientia, humilitate et reverentia dicti monasterii se substraxerunt, per ipsum priorem reducantur et compellantur

per censuras Ordinis humiliter redire ad praefatum gremium, quodque tam ipse prior quam ceteri religiosi professi de eodem monasterio confessorem de Ordine pro una vice possint eligere, qui eos et quemlibet eorum ab omnibus casibus et excommunicationum sententiis aut irregularitatibus generali Capitulo reservatis possit absolvere ; insuper gratam et acceptam habet generale Capitulum provisionem illorum quingentorum ducatorum per Sanctissimum Dominum nostrum Papam assignatam ipsis religiosis pro mensa et necessariis ipsorum, per manus ipsius prioris recipiendam et distribuendam.

29. Abbati de Villari per generale Capitulum committitur, quatinus se informet super controversiis et differentiis, occasione quarumdam terrarum de novo culturam, aut alias, inter abbatem et conventum de (Memla) [*Nizella*] et abbatissam et conventum monasterii monialium de Walteribrania, Cameracensis dioecesis, et huiusmodi controversiae pacificet, terminet et diffiniat, in plenaria Ordinis potestate.

30. Fratrem Robertum de Prulliaco, dictum Beaupère, religiosum monasterii Beatae Mariae de Misericordia Dei, per dominum Pontigniaci personaliter ad secundam diem praesentis Capituli citatum, promotori causarum ipsius Capituli, quod iustum foret responsurum, prout per litteras rescriptionis et relationis super hoc confectas legitime constitit et constat, et debite vocatum et excommunicatum, sed nec per se, nec per procuratorem comparentem, praefatum generale Capitulum reputat et declarat contumacem et excommunicatum, omnibusque et singulis abbatibus et religiosis super hoc requirendis mandando et praecipiendo, quatinus palam et publice tamquam talem ab omnibus devitandum declarent et publicent, in plenaria Ordinis potestate.

31. Ad idem, contra fratrem Ioannem, abbatem Sancti Leonardi.

32. Ad idem, contra fratrem Odoynum, monasterii Palacii Beatae Mariae, Lemovicensis dioecesis.

33. Generale Capitulum sub poena excommunicationis latae sententiae praecipit abbati de Fontemorum, quatinus infra proximum festum Nativitatis Domini solvat et satisfaciat tam in bursaria collegii Sancti Bernardi quam alibi Parisiis in multis locis, de summa 30 flor. 2 solid. et 5 denariorum parisiensium, per fratrem Ioannem Guichardi, nuper suum scolarem in eodem

collegio debitorum et contractorum ; alioquin praefato elapso termino generale Capitulum committit abbatibus de Caroliloco et de Regalimonte, s. th. pr., et eorum cuilibet, quatinus per censuras Ordinis dictum abbatem de Fontemorum ad hoc compellant, in plenaria Ordinis potestate.

34. Domino Morimundi per generale Capitulum committitur, quatinus quantocius commode poterit ad monasterium de Castellione personaliter accedat, et processus, discordias, lites et controversias in eodem monasterio occasione dignitatis abbatialis ortas et motas, audiat, pacificet, terminet, diffiniat et sententiet, religiosos rebelles et inobedientes, iuxta suorum exigentiam delictorum, puniat et corrigat, in plenaria Ordinis potestate.

35. Dominis abbatibus Cistercii, de Pontigniaco, de Claravalle et de Morimundo praesens generale Capitulum causarum praesentis Capituli discussionem et determinationem, quas propter earum gravitatem et multitudinem terminare non valuit, committit in plenaria Ordinis potestate.

36. Abbatibus de Monte Sanctae Mariae et de Roseriis committit generale Capitulum, quatinus diligenter et debite se informent super commoditate et incommoditate venditionis cuiusdam domus sitae in Ledone Salinarii, per abbatem et conventum monasterii de Balerna, et prout repererint, in proximo generali Capitulo aut domino Cisterciensi referant.

37. Provisori collegii de Vienna per generale Capitulum praecipitur, quatinus omni dissimulatione semota, pareat et obediat abbati de Sancta Cruce in his, quae concernunt regimen et reformationem dicti collegii, et quod ipse provisor una cum praefato abbate compellant per censuras Ordinis omnes et singulos abbates debentes mittere scolares, ad mittendum ad praefatum studium, in plenaria Ordinis potestate.

38. Capitulum generale magno compassionis affectu considerans ruinam et paupertatem monasterii de Sancta Cruce in Austria propter guerras, sibi remittit et moderatur contributiones suas usque ad triennium ad sex florenos renenses, pro quolibet anno.

39. Abbatibus de Fontibus et de Wardona in Anglia committit generale Capitulum visitationem et reformationem omnium et singulorum utriusque sexus, in provinciis Cantuariensi et

Eboracensi, cum clausulis opportunis per dominum Cisterciensem addendis.

40. Generale Capitulum, ob gravia detrimenta et onera guerrarum Allemaniae, misericorditer dispensat cum abbate Mulbronensi, ut a missione studentis extra monasterium ex nunc usque ad biennium absolvatur et supportetur, secum etiam dispensando, ut pro una vice possit eligere confessorem qui eum absolvat a casibus generali Capitulo reservatis cum poenitentia salutari, et hoc idem beneficium suis religiosis semel impendere possit ; ulterius secundum *Benedictinam* sibi annuendo, quatinus in sublevationem onerum sibi et suo praefato monasterio importabilium possit vendere et alienare certa bona mobilia, iuxta tamen consilium et ordinationem abbatum de Schonauwia, et de Alba dominorum, quibus huiusmodi rei cognitionem committit generale Capitulum, in plenaria Ordinis potestate.

41. Excambium factum, et passatum inter abbatissam et conventum monasterii monialium de Solismonte, Leodiensis dioecesis, ex una, capitulum et decanum et collegium Sancti Bartholomei in civitate Leodiensi, prout plenius in litteris super hoc confectis continetur, praesens generale Capitulum secun formam et tenorem confirmat, ratificat et approbat.

42. Tractatus, commutationes et conventus factos et factas per abbatissam et conventum de Soleriis et Ioannem Badrion burgensem de oppido Huyense, per abbates de Grandiprato et de Iardineto Capituli generalis commissarios, examinatos et examinatas, de quibus in litteris... *etc.* approbat.

43. Generale Capitulum ordinat et praecipit et mandat abbati et conventui monasterii de Capella Thosan, quatinus si per commissarios, arbitros et amicabiles compositores in materia et causa decimarum, inter praefatum abbatem et conventum ac capitulum et ecclesiam Tornacensem mota... *(locus vacuus)* ab eorum sententia ad Curiam romanam appellent, ubi etiam sumptibus et expensis communibus provinciae in qua est situm ipsum monasterium de Capella, eiusdem processus prosecutio fiet cum favore et assistentia Ordinis et procuratione et sollicitatione procuratoris generalis Ordinis in eadem Curia romana ; executoremque huius diffinitionis ad supradicta, quoad quotas pecuniarum per abbates provinciae, si opus sit, tradendarum, abbatem de Dunis constituendo, in plenaria Ordinis potestate.

44. Generale Capitulum cum magna animi displicentia considerans quorumdam abbatum desidiam et incuriam suis scolaribus tempore debito non mittentium, unde bursaria ipsius collegii apud varios creditores in multis pecuniarum summis est obligata, scolaresque huiusmodi occasione materiam discurrendi habent, districte et sub inobedientiae et excommunicationis poena praecipit et mandat abbatibus de Caroliloco et de Regalimonte, s. th. pr., ac provisori ipsius collegii, quatinus per censuras Ordinis, omni dissimulatione postposita, realiter et de facto compellant abbates Parisiis habentes et illuc destinare debentes ad mittendum praefatis suis scolaribus suas bursas et provisiones decentes pro toto anno, ne occasionem vagandi per civitatem Parisiensem et tempus perdendi habeant, et ne pecunias suas, sicut saepe compertum est, inutiliter exponant, cogantur etiam ipsi eorum abbates ad scribendum provisori summam pecuniarum quam eis mittunt aut ipsis tradunt, qui Parisiis destinantur, et ipse provisor easdem pecunias recipiet, fidelem computum ipsis scolaribus de earum pecuniarum expositione reddendo ; fiet autem huiusmodi coercitio expensis et sumptibus monasteriorum et abbatum ipsorum scolarium, ad quarum plenam refusionem per censuras Ordinis compellantur ; ordinatque insuper ipsum Capitulum, ut pensata diligentia et sollicitudine laboriosa servienti et vigilanti affectu moderni provisoris ipsius collegii in profectu morum et scientiae ipsorum scolarium, quamdiu ipse manserit provisor super quantitatem et bursas communes scolarium percipiat quolibet anno 20 flor. pro una bursa loco duarum, quas antiquitus solebat percipere ad supportationem onerum et expensarum, quas dietim pro conservatione honoris Ordinis et personarum facere cogitur, districteque scolaribus de dormitorio prohibetur, ne aliqua dissoluta iura noviter venientibus requirant, aut fieri permittant aut procurent, seu extremas in suis actibus dissolutiones faciant, de quibus rumor ad audientiam praesentis Capituli contra religiosae honestatis morem pervenit.

45. Tractatum factum et passatum inter abbatem et conventum de Eleemosina, Carnotensis dioecesis, et Ioannem et Stephanum les Malevaux, mercatores Aurelianis commorantes, prout in litteris super hoc confectis... *etc.* approbat.

46. Generale Capitulum committit domino Pontigniacensi, quatinus se diligenter informet super commoditate vel incommoditate cuiusdam tractatus inter abbatem et conventum de Bono-

radio ex una, et Guillelmum Vannier agricolam et alios nominatos ex altera, prout in litteris... *etc.* si eum utilem monasterio praefato reperiat, ipsum confirmet... *etc.*

47. Audita et cognita relatione ferventis et integrae devotionis et praepotenter commendatae iuvenculae Mariae de Houchyn ex illegitimo thoro procreatae, et per Sanctissimum Dominum nostrum Papam rehabilitatae, generale Capitulum ipsam benigne admittit et recipit, ad habitum et conversionem nostrae religionis in loco, quem ex suae devotionis affectu duxerit eligendum.

48. Attenta paupertate graduatorum nunc in collegio Sancti Bernardi existentium, generale Capitulum retinet in eodem studio tamquam bene ad scientiam dispositos, morigeratos et meritos, usque ad gradum doctoratus inclusive, dummodo in moribus et scientia perseverando continuent, certos nunc nominatos et recommissos per provisorem et ceteros de consilio eiusdem collegii, videlicet de Camberone, de Claromonte, de Caricampo, secundum de Bella brancha, de Insula, de Mortuomari, de Morimundo, secundum de Boudelo, de Villa nova, de Pontigniaco, de Monte Sanctae Mariae, de Firmitate, de Savigniaco, de Alna, de Begar, de Maceriis, de Oratorio.

49. Abbatibus de Caesarea et de Campo principum per generale Capitulum committitur, quatinus quam citius commodius poterunt, personaliter se transferant ad monasterium monialium Felicis vallis in Laudeshueta, Ratisbonensis dioecesis, et ibidem in plenaria Ordinis potestate visitent et reforment, quae visitanda invenerint et reformanda, realiter et de facto compellendo omnes et singulas eiusdem monasterii religiosas resignare et renuntiare vitalitia sua et peculia, et ne personae saeculares intrare valeant aut accessum indebitum ad eas habere, illas tamen faciant sub firmissima clausura, et abbatissam et confessorem dicti loci districte cogant ad eas sic manendum secundum formam et regulares Ordinis observantias.

50. Abbatibus de Bolbona, s. th. pr., et de Fonte frigido coniunctim committitur per generale Capitulum, quatinus quam cito commodius poterint, se transferant ad monasterium de Bello loco Ruthenensi, et ibidem visitationis et reformationis officium exercentes se diligenter informent de moribus, vita et religione abbatis praedicti monasterii, et qualiter observat et observari facit puncta cartae visitationis sibi factae per dominum tunc

Morimundi et modo Cisterciensem, et si eum reperiant culpabilem, puniant et corrigant, etc. usque ad depositionem inclusive, in plenaria Ordinis potestate ; eidem monasterio in casu vacationis de persona Ordinis sufficienti et idonea, electione canonica praemissa, aut alias debite secundum papalia et Ordinis statuta providentes.

51. Tractatum passatum et initum et factum inter abbatem et conventum monasterii Beatae Mariae de Firmitate, Cabilonensis dioecesis, et Ioannem Loppin et Ioannetam eius uxorem, Belnae commorantes, et eorum liberos, prout in litteris, *etc.* approbat.

52. Ad idem, pro eisdem dominis abbate et conventu cum Hugone Radondeaut, mercatore, cive Cabilonensi et Stephaneta eius uxore cum liberis, etc.

53. Generale Capitulum non sine gravi mentis displicentia considerans quorumcumque [b] perversorum monachorum cordis duritiam et obstinationem, qui spretis statutis, regulari Ordinis observantia et diffinitionibus pluribus [c] annis super hoc editis, dissolutissimi in habitu vel cum diploidibus, caligis nigris, biretis rubeis etiam discoopertis, sotularibus rostratis, ceterisque habitibus varii coloris inverecunde contra Ordinis disciplinam incedunt [d], praecipitur omnibus Ordinis abbatibus, ut quicumque tales invenerint huiusmodi inordinatos habitus gerentes [e], omni dissimulatione semota, eis removeant et in eleemosinam pauperibus exponant ; prohibeant etiam iidem abbates et caveant, ne suos religiosos talibus vestibus inordinatis aut biretis discoopertis uti permittant, et suis servitoribus et familiaribus, ne intrando Cistercium tempore Capituli, aut quocumque tempore cantent, aut disputationes faciant, sed honeste et composite se habeant ; ulterius priori et suppriori Cistercii mandando et iniungendo, quatinus quoties tales in Cistercio repererint ac omnes apostatas, amotis, ut praemittitur, talibus dissolutis habitibus, pertinaces [f] et apostatas huiusmodi carceribus mancipent.

54. Super materia et facto appellationis emissae ad praesens generale Capitulum per religiosas abbatissam et conventum

---

[b] quarumdam personarum : *M* ; quarumcumque : *P*² [c] praeteritis : *M*. [d] incederunt : *MP*². [e] gestantes : *MP*². [f] portantes : *M*.

monasterii monialium Beatae Mariae de Marqueta, Tornacensis dioecesis, appellantes ab abbate de Iardineto, commissario domini Claraevallis, patris abbatis eiusdem monasterii, propter iniurias et gravamina sibi, ut asserunt, per ipsum illatas et illata, praefatum Capitulum ipsius causae, et omnium inde secutorum cognitionem, decisionem et terminationem vocatis partibus secundum antiqua et hactenus observata regularia nostri Ordinis statuta, eidem domino Claraevallis committit in plenaria Ordinis potestate; eidem abbati de Iardineto nihilominus inhibendo, ne in praeiudicium huiusmodi appellationis, lite pendente, aut alias aliquid indebite intentet, aut innovet seu innovari faciat, permittat aut procuret, nec potestatem saecularem requirendo praefatas abbatissam et religiosas coram quocumque iudice, qui non sit de Ordine, trahat, tractet, seu alias indebite molestet, sub excommunicationis, inobedientiae et gravis punitionis poena.

IUDICES

55. Abbatibus de Longovado et de Albaripa, tam coniunctim quam divisim, praesens generale Capitulum committit, quatinus omnes et singulas Ordinis personas utriusque sexus, et earumdem monasteria, seu quaecumque loca, quas et quae per testes fide dignos, litteras obligatorias, acta seu alia legitima documenta invenerint domino Claraevallis, eiusdem conventui, singulis religiosis aut monasterio suo debite teneri obligatas sive obligata esse, sive quaecumque eorum bona detinentes, aut indebite occupantes, tam in pecuniarum summis, redditibus, seu quibuscumque aliis bonis aut debitis, ad eisdem plenarie, realiter et de facto satisfaciendum astringant et compellant, in plenaria Ordinis potestate.

56. Ad idem, abbatibus de Regalimonte, s. th. pr., de Vallibus Sernay et de Valle Beatae Mariae, Parisiensis, Belvacensis dioecesium, et eorum cuilibet per se et in solidum, pro abbate et conventu Beatae Mariae Caroliloci, Silvanectensis dioecesis.

57. Ad idem, pro abbatissa de Lilio Nostrae Dominae, Senonensis dioecesis, abbatibus de Caroliloco, s. th. pr., de Valle Beatae Mariae et de Vallibus Sernay, divisim et cuilibet in solidum.

58. Ad idem, pro provisore, cellerario et ceteris scolaribus collegii Sancti Bernardi Parisiensis, abbatibus de Caroliloco, de

Regalimonte, s. th. pr., de Valle Beatae Mariae, et de Vallibus Sernay, et eorum cuilibet per se et in solidum.

59. Ad idem, pro fratre Ioanne de Waisseyo, priore monasterii de Roseriis, ad sopiendum et fine debito terminandum quamdam controversiam inter ipsum abbatem Trium fontium, abbatibus de Bullencuria et de Altofonte, eidem abbati Trium fontium per censuras Ordinis praecipiendo et prohibendo, ne personas quascumque regulares Ordinis trahat coram aliquo iudice, qui non sit de Ordine nostro.

60. Ad idem, pro fratre Ioanne Fournier, nuper monasterii de Lanneyo abbate, super litteris suae pensionis contra modernum abbatem dicti loci, domino Claraevallis, s. th. pr., et abbati de Longoponte, et eorum cuilibet per se et in solidum.

61. Ad idem, pro abbate et conventu de Rigniaco, domino Pontigniacensi et abbatibus de Fonteneto et de Quintiaco, et eorum cuilibet per se et in solidum.

62. Ad idem, pro abbate et conventu monasterii de Caritate, abbatibus de Aceyo, s. th. pr., de Caroloco et de Bitania, et eorum cuilibet per se et in solidum.

REHABILITATIONES

63. Ad instantiam et humilem supplicationem abbatis de Frigido monte, Belvacensis dioecesis, cum fratre Ioanne Sigard, religioso professo eiusdem monasterii, per praesens generale Capitulum misericorditer dispensatur, ut non obstante inhabilitate ac infamiae nota, quam ultra triennium sibi per viaticum dicti abbatis sui extra monasterium vagando et manendo incurrit, ad omnes Ordinis actus legitimos, gradus, voces et officia, abbatiali dignitate seclusa, promoveri valeat.

64. Ad idem, pro fratre Tossano de Duaco, religioso professo eiusdem monasterii, qui illicentiatus, non dimisso tamen habitu regulari, pluribus diebus fuit et mansit extra monasterium praedictum.

65. Ad idem, ad supplicationem abbatis Caroliloci pro fratre Ioanne de Sancto Patusio eiusdem monasterii religioso expresse professo, qui relicto castitatis per votum promissae freno, lascivias carnis insequendo pluries in vitio incontinentiae deprehensus fuit, super quo tamen impositam salutarem egit poenitentiam.

66. Ad idem, pro fratre Philippo Rousseti, religioso monasterii Maceriarum et nuper priore Penthemont, etc. de carnis contagio sufficienter convicto.

67. Ad idem, pro sorore Antonia de la Court, nuper abbatissam de Curia Nostrae Dominae, Senonensis dioecesis, in contagio carnis deprehensa, puerperio iteratis vicibus inde secuto.

68. Ad idem, pro sorore Perina Lesthallate, religiosa monasterii de Ponte Nostrae Dominae, Meldensis dioecesis, quae contra nostrae religionis sacra instituta, magnam rebellionem contra dominum Cistercii, patrem abbatem eiusdem monasterii, ibidem visitantem committendo a sua iusta ordinatione ad curiam Parlamenti appellavit.

69. Ad idem, pro sorore Ioanna Drouyne, religiosa monasterii Beatae Mariae de Maloduno, regalis alias, et quae dimisso suae Professionis regulari habitu, ipsum monasterium de nocte exeundo ultra octo dies, cum duobus viris laicis apostatavit, vitium carnis in quo tunc et alias pluries deprehensa fuit committendo.

70. Ad idem, cum fratre Ioanne Frouert, religioso monasterii de Fonteneto, Eduensis dioecesis, qui propter symoniam ad dignitatem abbatialem eiusdem monasterii promotus, et ideo per generale Capitulum ab ea destitutus, ab ipsius Capituli sententia indebite appellaverat, abbatiali dignitate seclusa.

71. Ad idem, pro fratre Ioanne le Marc, religioso de Recluso, eo quod per spatium novem dierum apostatavit, habitu tamen regulari non dimisso.

72. Ad idem, pro fratre Ioanne Granart, religioso Beatae Mariae de Valle Dei, quia violenter exivit carceres, et relicto habitu regulari mansit in saeculo per annum.

73. Ad idem, pro fratre Gullielmo Rose, alias monasterii de Barbereyo professo, qui per quadriennium, habitu regulari dimisso, apostatavit per saeculum vagando.

74. Ad idem, pro fratribus Martino de Leirs et Nicolao Dail, religiosis professis monasterii Villeriensis, Metensis dioecesis, de contagio carnis convictis, dignitate abbatiali seclusa.

[DIFFINITIONES] SPECIALES

75. Ad instantiam... *etc. ut in anno* 1462, nº 56.

76. Per generale Capitulum... *etc. ut in anno* 1462, nº 57.

77. Generale Capitulum committit domino Pontigniacensi,

quatinus se diligenter et debite informet super contentis in quodam tractatu seu accordo passato inter abbatem et conventum monasterii de Quinciaco et Ioannem Richome et Clementiam eius uxorem, Ioannem Sirede, Margaritam eius uxorem, et Christianum, cui praesens diffinitio annectitur, si eidem monasterio utilem fore invenerit, confirmet et approbet, in plenaria Ordinis potestate.

78. Provisionem quinque florenorum per dominum Cistercii in favorem studii concessam et assignatam fratri Ioanni Trovart, religioso professo et nuper electo monasterii de Fonteneto, cui praesens diffinitio annectitur, de consensu moderni abbatis eiusdem monasterii Fonteneti, tamquam iustam et rationabilem praesens generale Capitulum ratificat, confirmat et approbat, praecipiendo eidem suo abbati, quatinus illam diligenter et sollicite persolvat, aut persolvi faciat in duobus terminis, videlicet mediam partem in festo Sancti Remigii et aliam mediam partem in Pascha ; huius praesentis diffinitionis domino Claraevallis, s. th. pr., magistro regenti, provisori et cellerario collegii Sancti Bernardi et eorum cuilibet in solidum executionem committendo, in plenaria Ordinis potestate.

79. Generale Capitulum... *etc. ut in anno* 1462, *n*° 58.

80. Generale Capitulum... *etc. ut in anno* 1462, *n*° 59.

81. Capitulum generale... *etc. ut in anno* 1462, *n*° 8.

82. Generale Capitulum... *etc. ut in anno* 1462, *n*° 10.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

83. Electionem ... *etc. ut un anno* 1462, *n*° 11.

84. Ad idem, pro fratre Yvone Trousson, *etc. ut in anno* 1462, *n*° 12.

85. Ad idem, pro fratre Iacobo de Fontanis... *etc. ut in anno* 1462, *n*° 13.

86. Abbatibus de Iardineto et de Bullencuria... *etc. ut in anno* 1462, *n*° 29 ; *cui additur* : In casu vero quo alter ipsorum legitime praepeditus fuerit et circa praemissa vacare nequiverit, poterit alter ipsorum alium Ordinis abbatem secum vocare et assumere, qui pro terminatione huiusmodi negotii consimilem habeat potestatem.

87. Abbati de Charitate... *etc. ut in anno* 1462, *n*° 31.

88. Generale Capitulum attentis et pensatis rebellionibus,

irregularitatibus, ceterisque criminosis defectibus fratris Guillelmi de Cultreyo, nuper monasterii de Castellione abbatis, per dominum Claraevallis propter huiusmodi sua demerita destituti et depositi a sua dignitate abbatiali, huiusmodi destitutionem et depositionem confirmat, ratificat et approbat, et provisionem, installationem et institutionem ad dignitatem abbatialem eiusdem monasterii factam per dominum Claraevallensem, s. th. pr., de persona fratris Iacobi de Tornaco, bacc. in th., religiosi professi de Claravalle, quem hodie in Diffinitorio idem Capitulum ex abundanti installavit, ipsum tamquam verum abbatem recipiendo et in veram et realem possessionem eiusdem monasterii, tam spiritualem quam temporalem, posuit, contumaces irregulares et excommunicatos declarando illos quatuor religiosos eiusdem monasterii professos, Walterum de Arenceyo, Iacquinum Laudin, Moreginum de Cortreyo et Petrum de Spincuria ad praesens Capitulum personaliter citatos, debite vocatos, expectatos, sed nec per se, nec per procuratorem comparentes, committendo in plenaria Ordinis potestate abbatibus de Theoloco, s. th. pr., et de Vallibus in Ornesio, quatinus quam citius commode poterunt se personaliter transferant ad ipsum monasterium et ipsos irregulares carceribus mancipent in eodem monasterio, aut alibi ubi securius et commodius poterunt, requisito et invocato auxilio potestatis saecularis et praesertim reverendissimi in Christo patris domini episcopi Verdunensis, bonum et honorem Ordinis plurimum zelantis.

89. Praecipitur... *etc. ut in anno* 1462, *n*° 48.

90. Generale Capitulum districte praecipit abbati de Fusniaco... *etc. ut in anno* 1462, n° 49.

91. Abbatibus de Esrom et de Herivado... *etc. ut in anno* 1462, *n*° 60.

92. Lamentabilem litteratorum... *etc. ut in anno* 1462, *n*° 7.

93. Universis praesentes litteras... *etc. ut in anno* 1462, *n*° 61.

94. Capitulum generale praecipiendo committit abbati de Lucella, patri abbati monasterii de Salem, et abbati de Capella, quatinus se informent super terris dictae abbatiae de Salem per guerras combustis, si sit utilitas dicti monasterii de Salem, quod dentur perpetuo vicinis rusticis pro illis excolendis et proventus aequales prioribus reddendis et solvendis, et ubi invenerint utilitatem dicti monasterii esse, id consentiant et auctoritate Capituli approbent et confirment.

95. Capitulum generale vult et praecipit abbati monasterii Morimundi, quatinus auctoritate sua et privilegiorum Ordini a Sancta Sede Apostolica indultorum, quod monasterium Bellaevallis eidem immediate subiectum in spiritualibus et temporalibus, secundum dicti Ordinis statuta visitet, reordinet et reformet.

96. Capitulum generale committit abbati de Alpibus, quatinus citius quam poterit, se ad monasterium monialium de Bons transferat, et se de differentibus et controversiis inter abbatissam et conventum dicti monasterii et abbatem et conventum Sancti Sulpitii se informet, et eisdem cognitis, illas auctoritate Capituli terminet et concordet, praecipiatque sub poenis consuetis eidem abbati, ne dictam abbatissam vel alias Ordinis personas coram iudicibus saecularibus trahat.

97. Capitulum generale monet abbatem de Tribus fontibus sub poena depositionis, ne trahat et molestet quomodocumque, coram quibuscumque iudicibus saecularibus extra Ordinem, personas quascumque Ordinis nostri.

98. Capitulum generale pro hac vice abbatem de Tribus fontibus de provisione in monasterio de Castellione sibi immediate subiecto fienda privat, praecipitque ne se de ea quomodolibet intromittat, nisi velit depositionis poenas sustinere.

99. Capitulum generale praecipit abbati de Belloprato et sub poena depositionis iniungit, quatinus contenta in carta visitationis, et eius annexa per dominum Cistercii, cum abbatiali dignitate in Morimundo fungeretur, peracta quibus haec diffinitio annectitur, de puncto ad punctum et integro observet, et per sibi commissos observari et custodiri faciat, alias domino abbati Morimundi ordinat et praecipit, ut eos taliter puniat quod audientes terreantur, et abbas, ut diffinitum est, deponatur.

100. Capitulum generale mandat et praecipit abbati et conventui monasterii de Fonte salutis, quatinus Petrum Peerner, monachum professum dicti monasterii, fratrem eorum in monasterio de Lucella incarceratorum, ne propter huiusmodi incarcerationem detrimentum animae suae consequatur, recipiant, et ut haec diffinitio effectum consequatur, idem Capitulum abbati dicti monasterii de Lucella in plenaria Ordinis potestate executionem committit.

101. Ad idem, abbati et conventui monasterii de Albiniaco, quatinus fratrem Ioannem de Bellomonte, qui diu per saeculum

vagans locum mansionis suae reperire non potest, unde magnum animae suae incurrit detrimentum, inter se recipiant, et ut id fiat plenarie, onus executionis abbati de Albis petris committit.

102. Capitulum generale committit abbatibus de Lucella et de Capella Constantiensi, quatinus se personaliter transferant ad monasterium monialium de Bund, et diligenter se informent de rebellionibus et inobedientiis per moniales dicti monasterii factis abbati de Salem, patri abbati eiusdem monasterii de Bund, et illas secundum casuum qualitatem et quantitatem puniant et corrigant, in plenaria Ordinis potestate, etiam, si opus sit, ad hoc invocato brachio saeculari.

103. Capitulum generale sub poenis inobedientiae et gravis punitionis praecipit fratri Yvoni Trousson, monasterii de Begario professo, se pro abbate de Claromonte gerenti, quatinus stet et resideat quamdiu fuerit Parisiis in collegio Sancti Bernardi, et se regulariter secundum statuta Ordinis reformet, taliter quod, ut nuper accidit, ab eo amplius dissolutionis rumor aures Capituli non irritet ulterius, sub poena excommunicationis eidem inhibendo, ne contra Ordinis privilegia et statuta quascumque personas regulares ipsius Ordinis coram quocumque iudice, qui non sit de Ordine, conveniat aut trahat, sique aliquas iam traxerit, totum revocet, annullet, revocarique faciat et procuret, praecipiendo abbatibus de Regalimonte, s. th. pr., ac provisori Sancti Bernardi Parisiis, quatinus ipsum ad praemissa implenda diligenter et debite per censuras Ordinis compellant, in plenaria Ordinis potestate.

104. Capitulum generale mandat abbati monasterii Fontis regis, quatinus recipiat fratrem Ulricum Ottonis monachum dicti monasterii, nec patiatur repulsam.

105. Capitulum generale reputat et tenet contumaces et excommunicatos fratres Nicolaum de Fintevilla, alias Ponart, per dominum Claraevallensem et Odoynum abbatem monasterii Palatii Beatae Mariae, Ioannem abbatem Sancti Leonardi, et Robertum dictum Beaupère, professum monasterii de Misericordia Dei per dominum Pontigniaci ad praesens Capitulum citatos, qui ibidem non comparuerunt.

106. Tractatum passatum de alienatione redditus octo librarum parisiensium nuper facta monasterio de Pruliaco per abbatem et conventum de Sacro portu, alias de Barbello, prout in litteris, etc... approbat.

107. Capitulum generale committit abbati de Loco Sanctae Mariae visitationem monasterii monialium in Rubo Sancti Georgii Coloniensis, perpetuis temporibus exercendam.

108. Attenta poenitentia, quam devote per longa tempora frater Nicolaus de Munster, professus monasterii de Sturzelbrum, tulit, ad preces abbatis sui, illum ad omnes Ordinis dignitates Capitulum generale rehabilitat.

109. Ad idem, pro fratre Dominico, sacerdote professo monasterii Caritatis, qui bis ante eius sacerdotium et semel post, per saeculum in habitu saeculari, satis longo tempore apostatando, infamiam incurrit, seclusa dignitate abbatiali.

110. Ad idem, pro fratre Pontio, professo dicti monasterii, qui per triennium, non tamen relicto habitu, celebrando, baptizando, aliaque sacramenta saecularibus ministrando, etiam apostatavit.

111. Ad idem, inclusa dignitate abbatiali pro fratre Vincentio, professo monasterii Caritatis, qui cum esset monachus Theoloci, et pro quibusdam casibus sibi impositis in carcere detineretur, Campumlitum, proprium abbatem super sua innocentia et excusatione allocuturus, ipso carcere fracto clandestine et absque licentia perexit.

112. Ad idem, seclusa dignitate abbatiali, pro fratribus Guillelmo de Villanova, et Nicolao de Lutra, professis monasterii de Bullione, qui apostatantes per mundum spatio duorum mensium vagati sunt.

113. Ad idem, inclusa dignitate abbatiali, pro fratre Hugone Beruvelle, presbytero monacho monasterii de Nigrolacu, qui relicto habitu per mensem vel circa apostatavit.

114. Ad idem, pro fratre Ioanne Iobelot, seclusa abbatiali dignitate, monacho monasterii Longivadi in ordine subdiaconatus constituto, qui per quinquennium, habitu regulari derelicto, seipsum diffamavit.

115. Quia Capitulum generale dolenter intellexit monasterium monialium de Bonoloco in multis deformatum, et quod dicti monasterii moniales tunicas nigras sine scapularibus, et alios habitus irregulares portant, quod novitias per episcopum absque licentia patris abbatis benedici faciunt, quod abbatissa nec victum nec vestitum suis monialibus ministrat, quae ut haec sibi acquirant saepe apud parentes per quatuor, quinque aut sex menses inter saeculares astringuntur commorari, quod eadem

abbatissa ad libitum sibi acquirit capellanos dissolutos, et signanter unum ultimate, qui inter eas multum dissolute se habuit, quod denique patri earum abbati, nec eius cartae visitationis secundum Ordinis morem compositae obedire voluerint, abbati monasterii de Benedictione Dei mandando idem Capitulum committit, quatinus sua et Ordinis potestate plenaria super praedictis et aliis, quae expedire videbuntur, dictas moniales, in capite et in membris, taliter reprehendat, increpet, corrigat et emendet, quod Deus et homines, ipsumque Capitulum contententur.

116. Generale Capitulum praecipiendo committit abbatibus de Bolbona, s. th. pr., et de Mansiade in plenaria Ordinis potestate, quatinus compellant abbatem monasterii Francarum vallium, Nemaucensis dioecesis, ad solvendum quolibet anno summam 12 scutorum auri pro medietate provisionis et bursae fratris Ioannis Casaleti sui religiosi, pro manutenentia et continuatione sui studii in facultate theologiae et non alias in Universitate Avinionensi, et residuum provisionis procuret a suis parentibus dictus frater, qui taliter in gestu et moribus deinceps se gerat, quod sit irreprehensibilis, sicut decet religiosum et maxime studentem ad aliorum profectum ordinatum.

117. Generale Capitulum praecipit et mandat districte abbati de Frigidomonte, Belvacensis dioecesis, quatinus attenta perversorum nequitita et in malo perseverantia fratris Ioannis Morel, et Iacobi Larnoux, religiosorum sui monasterii, eorum alter verberator et comminator turbans pacem communem, ab omnibus ceteris timetur, alter vero austerus et superbissimus se abbati suo et ceteris praesidentibus humiliare dedignatur, nisi in brevi signa conversionis et emendationis in eis reperiat, eos strictis carceribus mancipet et retrudat, aut si expediens iudicet, eos ad alia Ordinis regularia monasteria destinet, non obstante sui patris abbatis absentia.

118. Constitutiones, ordinationes, modumque vivendi per abbatem Lutzellensem pro sororibus laicis in Engental et conversis Ordinis Cisterciensis in conversando, conformiter compilatas, quibus constitutionibus haec diffinitio annectitur, Capitulum generale ratificat, confirmat et approbat.

119. Capitulum generale dat auctoritatem de Walkenrede, de Rydageshusen et de Lapide Sancti Michaelis, omnes et singulos abbates Saxoniae, Thuringiae, Missenae marchiae, Franconiae, Westphaliae et partium stangnalium, plenarie eos per cen-

suras Ordinis compellendi, ad defendendum libertates et privilegia Ordinis, quae in illis partibus a multis infringuntur, contribuant.

120. Differens inter abbatem de Grandisilva, et abbates de Bolbona et de Gimondo, occasione collegii Tolosani motum, Capitulum generale eius terminationem domino Cistercii et aliis primis apud Divionem committit, in plenaria Ordinis potestate.

121. Capitulum generale abbatibus de Cistercio, de Claravalle, de Theoloco, s. th. pr., de Moris, de Bullencuria et de Altofonte, et cuilibet per se et in solidum, omnes personas Ordinis et alias cuiuscumque conditionis, quae iocalia, bona mobilia, fructus et proventus, debita pecuniarum et alia quaecumque ad monasterium Trium fontium pertinentes seu pertinentia, citra reviscellationem per dictum Capitulum sententialiter factam abbatis eiusdem monasterii asportaverunt, detinuerunt, invadiaverunt, receperunt, aut quomodolibet a dicto monasterio alienaverunt, aut eidem abbati iniurias detulerunt, ad satisfaciendum, restituendum, et computationes reddendum et reliqua debita solvendum, summarie et de plano compellant, seu alter eorum compellat, in plenaria Ordinis potestate, invocando, si opus sit, ad hoc brachio saeculari.

122. Attentis exactionibus quibus abbas et conventus de Alba dominorum aggravantur, illos de mittendo scolares ad studium per biennium dumtaxat excusat, datque illi potestatem suos subditos in foro conscientiae semel de casibus Capitulo generali reservatis absolvendi.

123. Ad idem abbati monasterii de Bebenhusen.

124. Capitulum generale dat potestatem abbatibus de Brunbach et de Schonaugia, cuilibet unum confessorem de Ordine eligendi, qui possint eos de omnibus casibus Capitulo generali reservatis pro hac vice absolvere, suosque etiam in foro conscientiae audiendi atque, ut dictum est, de eisdem casibus absolvendi.

125. Attentis gravaminibus, quibus abbatissa et conventus de Belloprato iuxta Gerardimontem, propter guerras Flandriae adhuc subiacent, ut ab eis possint relevari, Capitulum generale redditus suos usque ad 30 vel 40 annos vel circiter, licentiam diminuendi concedit.

126. Capitulum generale committit abbati Morimundi, quatinus viis sibi possibilibus recuperet monasterium quondam monialium dictum Rivus Mariae, alias Bruch, extra muros de Sirth, Trevirensis dioecesis, domino Cistercii et eius monasterio

immediate subiectum, ibidem priorem instituat et installet, qui monachos ad divinum peragendum officium, secundum modum Ordinis, auctoritate Ordinis inducat, regulet et instituat.

127. Attento quod abbas de Valeta dedit 80 regalia abbati de Obasina, patri abbati dicti abbatis de Valeta, pro victu et vestitu perpetuo ministrandis fratri Antonio, religioso praedicti monasterii de Valeta, Capitulum generale praecipit dicto abbati de Obesina, ut dictum monachum benigne recipiat et eidem, secundum promissa, necessaria ministret, quodque monachus ipse ad dictum monasterium immediate accedat.

128. Quia illustrissimus princeps dominus dux Borbonii multum huic monasterio et Ordini devotus est, et precibus ipsius confidit et requirit in suis beneplacitis adiuvari, omnibus et singulis abbatibus monasteriorum Ordinis universi Capitulum generale iniungit et praecipit, quatinus prole legitima princeps hic et eius subditi valeant iucundari, missam unam solemnem de Spiritu Sancto devote faciant celebrari, ipsumque praeterea singulis eiusdem Ordinis monachis in suis orationibus singulariter recommisit.

129. Commissionem in ultimo generali Capitulo concessam domino Morimundi, pro visitatione et reformatione omnium et singulorum monasteriorum in regnis et dominiis Hungariae, Bohemiae et Poloniae, ac in omnibus provinciis totius nationis germanicae, cuiuscumque generationis existant, et in Hispaniae, Arragoniae, Navarrae et Cataloniae partibus, et in tota sua generatione ubicumque existat, Capitulum generale innovat cum clausulis in eadem contentis, confirmat, roborat et approbat.

[DIFFINITIO] GENERALIS

130. Cum Ordo noster... *etc.* contributionem sex millium florenorum... *etc. ut in anno* 1449.

* * *

131. Nos, frater Hymbertus, abbas Cistercii, ceterique Diffinitores Capituli generalis, notum facimus universis, quod in eodem Capitulo generali die XIV^{a} mensis septembris anno Domini M CCCC LX (XX) III° apud Cistercium celebrato, facta fuit quaedam diffinito, cuius tenor sequitur et est talis : Gloriosissimam Dei matrem virginem, totius nostri Ordinis advocatam

et patronam cum dignis laudibus nostra fragilitas efferre non sufficit, cuius dignitas inestimabilis et pretium inappreciabile censetur, beatissimo patre nostro Bernardo dicente : Nullus in cœlo locus celsior nec in terris dignior utero virginali, ex quo Deus et homo prodiit. Quod quidem attendentes huius nostri sacri Ordinis primi fundatores et architecti tantae Virginis ardentissimo zelo succensi in eius laudem, reverentiam et honorem olim statuerunt et religiosissima devotione servaverunt, ut quotiescumque tam sacrae Virginis nomen gloriosissimum, tam in divinis laudibus quam aliis, proferretur et pronuntiaretur, ad instar cultus angelici per Gabrielem archangelum novae suae salutationis in ortu accuratissime impensi et exhibiti, omnes humiliter et devote inclinarent. Quae tam sacra et devota patrum religio per incuriam, negligentiam aut ignorantiam iamdiu in desuetudinem abiit, une fortassis sit et evenit, ut tam sacratissima Virgo a qua tam copiosa spiritualium dona noster sacer Ordo suscepit, ingratitudinibus [g] et incuriis irritata tanta perdema sicut, proh dolor, videmus, non immerito, nos labi permittat. His itaque meditationibus sanctis et devotis affectibus excitati, praesens Capitulum generale hac diffinitione perpetua statuit, ordinat et diffinit, quatinus quotiescumque in laudibus divinis, praedicationibus, sermonibus et aliis, dulce nomen Mariae proferetur, omnes et singulae regulares personae in honorem et reverentiam ipsius Virginis devote inclinent. Praeterea ad uberiorem [gratiae] portionem impetrandam, et ut ipsa Virgo piissima ab unigenito Filio suo singulis noctibus in pace in idipsum nos dormire et requiescere pro sua pietate nobis impetrare dignetur, hac eadem perpetua sanctione statuit idem Capitulum generale, ordinat et diffinit, ut in singulis monasteriis universi Ordinis, dum in completorio dicitur versus *Custodi nos Domine,* etc., certa campana pulsetur, ad cuius pulsum omnes et singulae Ordinis regulares personae ad ecclesiam veniant et devotissimum iucundissimumque ipsius misericordis. simae Virginis canticum, videlicet *Salve regina* omnes pariter congregati, exultantibus animis alacrique spiritu, devotissime decantent et persolvant, sicque iuxta sanctam regulam omnes simul compleant. Et hanc diffinitionem vult et praecipit idem Capitulum generale per omnes abbates et procuratores

[g] in gratitudinibus et in curiis : *W.*

hic praesentes deportari secum, et quamprimum ad propria redierint suis conventibus et vicinis monasteriis Ordinis utriusque sexus publicari, intimari et facere observari. Datum sub sigillo Diffinitorum ipsius Capituli, anno, die, mense et loco supradictis.

1464

Anno[a] Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo quarto, quartadecima die mensis septembris, apud Cistercium statuta sunt haec, in eiusdem Ordinis Cisterciensis Capitulo generali.

1. Commendabilem et valde fructuosam domini Cisterciensis, s. th. pr., operam et sollicitudinem, quam pro recuperatione ecclesiae de Scardebourg in Anglia suo Cisterciensi monasterio ad opus partis expensarum Capituli pertinentis, apud serenissimum et illustrissimum regem Angliae, nobilissimosque eiusdem regis et regni proceres et conciliarios adhibuit, praesens generale Capitulum laudans et approbans cum benigna exhortatione ad perseverandum in huiusmodi prosecutione ecclesiae, eidem domino Cistercii benigne committit, quatinus per se vel per suos ad hoc deputandos huiusmodi materiam prosequi sic dignetur, quod tandem votivum deduci valeat ad effectum ; et praeterea omnes et singulos Ordinis abbates in praefato regno Angliae et partibus Walliae existentes, idem generale Capitulum attente monet et hortatur, quatinus ipsi tamquam veri Ordinis filii pro recuperatione et assecutione huiusmodi ecclesiae, quae pro ipsis et toto Ordine communis est, viriliter accincti suas vires, copias, fortunas et amicos exponere, applicare et exhibere non pigritentur, optimam mercedem a Deo et ab Ordine fructuosam reportaturi commendationem, venerabili patri abbati de Fontibus, s. th. pr., committendo, quatinus diffinitionem huiusmodi exhortatoriam singulis patribus abbatibus praememoratis per se aut per suos nuntios fideliter et incunctanter notificare et insinuare faciat et procuret.

1464. *Fontes* : L^4 : 1-91 ; *M* : 3, 5, 13 ; P^2 : 3, 4, 5, 7, 9, 13, 27, 28, 29, *et in fine additur* : Petrus Gutumel subscribitur in hoc registro ; *W* : 92. [a] *Titulus apud* L^4.

2. Sicut corpus naturale, mox ut fuerit acephalum, vita caret naturali, sic corpus mysticum absque capite vita carere dignoscitur politica, et ubi non est custos director aut rector, ibi confusa et inordinata sunt omnia; cum itaque sicut ad praesentis Capituli generalis devenit notitiam, provisor collegii Sancti Bernardi Oxoniensis, qui caput, custos, director et rector eiusdem collegii censetur per totum anni circulum vel quasi a dicto collegio se absentet, et in proprio monasterio, in quo prioratus exercet officium continue vel quasi, resideat, sicque dictum collegium absque custode et studentes in eodem absque reprehensore agunt quod volunt, praesens generale Capitulum de remedio volens providere, abbati de Fontibus, s. th. pr., districte praecipit et mandat, quatinus praefatum provisorem ad continue residendum in dicto collegio, regiminique et directioni scolarium intendendum indissimulanter compellat, quod si noluerit, ipsum ab huiusmodi provisoratus officio privet et deponat, ac alium qui huiusmodi officio dignus sit, ordinet et instituat, in plenaria Ordinis potestate.

3. Cum Ordo noster Cisterciensis sic a principio sit a sanctis patribus ordinatus et institutus, quod uniformitas in cantu, habitu, libris, ceremoniis ceterisque regularibus observantiis haberetur, ipsaque [b] uniformitas quoad praemissa in omnibus pene regionibus, praeterquam in regno Angliae, perseveret, in quo tam abbates quam ceteras Ordinis personas regulares a forma regulari habitus aliquantulum recessisse, et formae venerabilium religiosorum Ordinis sancti Benedicti quodammodo se formasse videntur, praesens generale Capitulum ipsos abbates et religiosas Ordinis personas ad resumendum et deferendum formam habitus, quem instituerunt et dederunt primi patres nostri, salubriter inducere satagens, praefatos abbates et regulares Ordinis personas idem generale Capitulum benigne monet et hortatur, quatinus habitus regulares quos de cetero de novo fieri facient, formae habitus per capellanum domini Cisterciensis, abbati de Fontibus, s. th. pr., novissime derelictae, conformari et assimilari procurent, praefato abbati de Fontibus committendo, quatinus in proxima convocatione patrum eiusdem regni, huiusmodi Capituli generalis statutum publicare, notificare et observari facere non omittat.

[b] istaque: *M.*

4. Res humanae vanitati et mutabilitati subiectae sicut aquarum more fluentium continue fluunt et volvuntur, ita congruis regularum et statutorum seclusis et retinaculis sedulo indigere noscuntur, licet itaque patres nostri exaltationem, augmentationem et multiplicationem litteratorum virorum in Ordine zelantes olim salubriter statuissent, ut scolares in studiis generalibus et praesertim in collegio Sancti Bernardi Parisiis studentes, post decursum certi et limitati temporis spatium, et non ante, ad gradus promoveri debuissent, quidam tamen, sicut ad praesentis Capituli generalis devenit notitiam, moderni eiusdem collegii studentes, statuti et ordinationis tam salubris immemores seu contemptores, ante tempus huiusmodi ad gradus promoveri molientes, quasdam scedulas fictas sibi affigi et testes subornatos et falsos, quibus mediantibus ad gradus ambitiose concupitos perveniant procurare et palam ante doctores et magistros sacrae facultatis theologicae, in non modicum Ordinis et personarum ipsius opprobrium et scandalum, adducere conantur. Quibus praesens generale Capitulum, prout sibi incumbit, de remedio cupiens opportuno providere statuit, ordinat et decernit, quod quilibet eiusdem collegii scolaris, priusquam ad quemcumque gradum, in facultate theologiae assequendum praesentetur, coram provisore magistro regente et ceteris de consilio eiusdem collegii personaliter compareat, suasque scedulas et testes secum apportet, adducat et praesentet, sicque visis et examinatis tam testibus quam scedulis huiusmodi, si sufficientes et veraces inveniantur facultati et magistris per dictum magistrum regentem, et non alias praesentetur, praefato provisori, magistro regenti et aliis de consilio idem Capitulum districtissime iniungens, ut praesens statutum, ordinationem et decretum de cetero inviolabiliter faciant et procurent observari, necnon et illud de iuramento baccalariorum licentiandorum, antequam ad licentiam cancellario Parisiensi praesentetur, in novella distinctione nona, capitulo septimo contentum.

5. Sacrum et venerabile Sancti Bernardi Parisiensis collegium, quod est praecipuum decus et insigne speculum ac exemplar clarissimum ceterorum Ordinis collegiorum, venerabiles patres nostri memoratu dignissimo continuis favoribus et largifluis muneribus iugiter sunt prosecuti, hoc praecipue felicis recordationis Sanctissimus Papa Benedictus XII et reverendissimus quondam cardinalis Albus, qui tam solemnem et speciosam

ecclesiam in eodem collegio inchoarunt, et ad perfectum quod nunc habet deduxerunt, multiplicibus et copiosis suis largitionibus augmentarunt et dotati sunt ; quorum imitatione et exemplo merito induci deberemus ad succurrendum et consulendum piis et compatientibus oculis indigentiae et paupertati eiusdem collegii tam solemnis, ex quo tot insignes viri, sicut totus mundus novit, prodierunt ; cuius fructus, redditus et proventus per calamitates varias et multiplices clades, pestes, guerras aliaque infortunia, quae plusquam quadraginta annis circa regiones illas viguerunt, adeo sunt diminuti et exiles effecti, quod vix ad necessariarum et quotidianarum reparationum conductionem sufficiant. Iam vero, sicut ad praesentis Capituli devenit notitiam, inclita Parisiensis civitas certum privilegium et mandatum a rege Franciae obtinuit pro reparatione et reductione cuiusdam aquaeductus seu alvei, per quem quidam rivulus ante guerras intrans ipsam civitatem, et suo transitu loca dicti collegii caenosa irrigans et mundans decurrebat ; quiquidem aqueductus seu alveus per obtrusionem [c] ipsius rivuli plurimis fecibus, saxis, lignis et aliis immunditiis ad altitudinem non modicam diutino temporis successu impletus est, ipsum autem alveum evacuare et mundare pro portione et quantitate ipsum concernente, quae non parva est, ad ipsum collegium spectat, quod perficere absque personarum Ordinis pio iuvamine minime valeret ; quapropter idem Capitulum ex praemissorum consideratione eiusdem collegii necessitati ex corde compatiens eidem, per [d] omne quod in ipso est, succurrere volens, omnes et singulos Ordinis abbates, abbatissas et ceteras Ordinis personas, idem generale Capitulum in visceribus Iesu Christi attente monet et hortatur, quatinus ad huiusmodi opus peragendum manus adiutrices eidem collegio favorabiliter et copiose porrigere, ac de bonis sibi collatis secundum possibilitatem suam conferre et largiri dignentur, sicque ipsum opus ad honorem et commendationem Ordinis, praefatique collegii commodum et profectum votivum [e] valeat deduci ad effectum ; ut autem praenominati abbates, abbatissae et aliae regulares Ordinis personae ad tam pium opus tanto se liberaliores se reddant, quanto per hoc se viderint uberioribus gratiarum benedictionibus ab ipso generali Capitulo prosecutos, omnibus

[c] obductionem : *MP*². [d] pro onere quod in : *MP*² [e] *deest* : *MP*².

et singulis qui ad huiusmodi opus manus porrexerint liberales, praesens generale Capitulum concedit licentiam et facultatem eligendi confessorem de Ordine, qui pro semel ipsos et quemlibet ipsorum seu ipsarum in foro conscientiae dumtaxat absolvat ab omnibus et singulis sententiis, casibus et peccatis eidem generali Capitulo specialiter reservatis, dispensatque cum eis super irregularitate, si quam contraxerint, nisi talis foret irregularitas propter quam Sedes Apostolica merito foret consulenda. Datum etc.

6. Licet religiosorum virorum et praesertim monachorum proprium officium sit plangere, maximeque deceat religiosos sacris litteris mancipatos omni virtute ceteris lucere, omnemque levitatem et dissolutionem morum maturitate et modestia comprimere et cohibere, nihilominus sicut praesens generale Capitulum veridicis relatibus didicit, quidam Ordinis scolares in collegio Sancti Bernardi Parisiis studentes, monachos se fore minime cognoscentes, festa nationum more dissolutorum et saecularium celebrare commessationibus et ebrietatibus indulgere, ludos, choreas cum lubricis et lascivis carminibus, musicalibus instrumentis, etiam cum indecentibus habitibus ducere, plurimasque dissolutiones et insolentias contra omnem nedum Ordinis sed etiam cleri honestatem exercere non verentur, quae sub dissimulationis velamine praesens generale Capitulum praeterire non valens, omnibus et singulis praefati collegii scolaribus tam praesentibus quam futuris, tam graduatis quam non graduatis, sub perpetuae emissionis a dicto collegio poena inhibet, ne de cetero praemissas dissolutiones, insolentias, commessationes seu quascumque ineptias, levitates et laetitias, quas more gentilium festa Bacchi et Veneris ritu barbarico celebrantium vulgariter festa vocant, celebrare, exercere seu frequentare praesumant; provisori qui nunc est et qui pro tempore fuerit, idem Capitulum districtissime iniungens, quatinus contra facientes a praedicto collegio indissimulanter et indilate emittat, in plenaria Capituli generalis potestate.

7. Generale Capitulum sufficienter informatum super inconvenientibus, periculis et scandalis, quae ex dimissione apertionis portae collegii Sancti Bernardi Parisiis, tempore refectionis, possunt emergere, volensque eisdem salubriter obviare, statuit et ordinat quod secunda porta eiusdem collegii utriusque refectionis tempore, per bedellum eiusdem collegii sollicite claudatur, clavesque dictae portae eisdem horis seu temporibus et de nocte

per solum provisorem, aut in eius absentia suppriorem aut deputatum ab eis dumtaxat custodiantur.

8. Acerbitatem et duritiam quorumdam abbatum Ordinis, qui suos scolares ad Parisiense studium saepius et sub gravissimis poenis moniti cum debitis et sufficientibus provisionibus mittere distulerunt et differunt, generale Capitulum diutius ferre non valens, omnes et singulos tales declarat in his scriptis sententia excommunicationis fore innodatos, eosque poenam dupli expensarum, quas ipsi studentes fecissent incurrisse, omnibus et singulis commissariis super compulsione missionis huiusmodi scolarium deputatis, in virtute salutaris obedientiae, et sub excommunicationis poena districtissime praecipiens et iniungens, quatinus suas praemissas commissiones, quas eis Capitulum confirmat, exsequendo, omnes et singulos sic per ipsos monitos et qui non miserunt, aut qui de sufficienti bursa suis scolaribus minime providerunt aut provident, excommunicatos palam et publice denuntient, ac tales in valvis ecclesiarum et aliis locis publicis affigant seu affigi procurent, et ne revocentur scolares, per generale Capitulum in eodem collegio retenti, sub eisdem censuris et poenis impediant, necnon ad solutionem huiusmodi dupli per omnes iuris et iustitiae vias, etiam cum invocatione auxilii brachii saecularis, si opus sit, viriliter et indissimulanter compellant et compelli procurent, in plenaria Ordinis potestate.

9. Generale Capitulum ad hoc dignoscitur institutum ut omnis dissolutio, inhonestas et curiositas praescindatur et resecetur; quapropter omnes et singuli tam abbates quam monachi, et qui nunc cum eis sint in ipso Capitulo convenientes in omni tam habitus quam gestus maturitate et honestate debent comparere, nihilque in eorum gestibus, habitibus et conversatione praesertim tempore illo debet apparere, quod possit offendere intuentes, quibus non obstantibus nonnulli tam abbates quam monachi et servitores in eorum habitibus et gestibus sunt tam incompositi et immaturi, quod ex eorum inspectione nihil praeter lasciviam carnisque petulantiam et dissolutionem potest reportari; qua de re omnibus et singulis abbatibus et religiosis Ordinis per generale Capitulum districtissime prohibet ne in generalibus Capitulis amodo comparere audeant nisi in habitibus maturis et honestis, neque quoscumque servitores secum adducant, qui per suos habitus nimis comptos, decurtatos vel lascivos offendant vel ad vanitatem inducant intuentes.

10. Reformationem et visitationem generalem omnium et singulorum monasteriorum Ordinis in regno Angliae et partibus Walliae consistentium, utriusque sexus et cuiuscumque generationis existant, venerabilibus patribus de Fontibus, s. th. pr., de Wardona et de Ioravalle monasteriorum abbatibus, in utraque Cantuariensi scilicet et Eboracensi provinciis ac partibus Walliae, tam coniunctim quam divisim, per dominum Cisterciensem, s. th. pr., iustis et rationabilibus de causis dum nuper ad ipsum regnum accessit, auctoritate generalis Capituli commissam, necnon venerabiles patres de Wobourna, de Ryevalle et de Regaliloco monasteriorum abbates contributionum collectores per ipsum dominum Cisterciensem in eisdem provinciis et partibus Walliae constitutos, praesens generale Capitulum ratificat, approbat et confirmat, per hanc tamen diffinitionem commissioni seu diffinitioni Capituli generalis anno novissime lapso super reformatione eorumdem monasteriorum venerabilibus patribus de Wardona et de Gratiis iuxta turrim Londinarum monasteriorum abbatibus, in Cantuariensi provincia, tam coniunctim quam divisim datae, editae et concessae, non vult idem Capitulum in aliquo derogare, sed vult et decernit, quod ipsi de Wardona et de Gratiis huiusmodi reformationis officio gaudeant et utantur per tempus commissionis eisdem, ut praemittitur, altero anno concessae una cum aliis per praefatum dominum Cisterciensem de novo tam coniunctim quam divisim deputatis et institutis.

11. Generale Capitulum committit abbati de Charitate, quatinus debite et diligenter se informet super controversia seu quaestione inter fratrem Ioannem Boneti de Lemer, dudum abbatem Montis Sanctae Mariae et Petrum Cordier de Fraxino, super quadam pecuniarum summa sibi per eumdem Boneti deberi praetensam, de qua idem Petrus in Capitulo generali supplicationem porrexit, et si per obligationem, testes fide dignos, aut alias debite invenerit dictum Ioannem Boneti eidem Petro obligatum aut teneri, ad plenam et totalem satisfactionem per omnes iuris sanctiones compellat, in plenaria Ordinis potestate.

12. Abusivum et illicitum tractatum de domo seu grangia tardissime per abbatem et conventum de Misericordia Dei, Pictaviensis dioecesis, ad perpetuitatem tradita fratri Ioanni Coppelin, dudum eiusdem monasterii de Misericordia Dei professo et moderno abbati de Stella, Capitulum generale cassat, irritat

et annullat, eidem fratri Ioanni Coppelin super iure hac occasione in ipsa domo praetenso perpetuum silentium imponendo et sub communicationis poena eidem districte praecipiendo, quatinus omnia et singula bona mobilia, cuiuscumque qualitatis aut naturae existant, quae promissione sui abbatis tempore suae promotionis possidebat, plene et integre restituat, et de ipsis veram et fidelem rationem moderno abbati et conventui de Misericordia Dei faciat, litterasque traditionis praedictae domus tradat infra duos menses a notificatione praesentis diffinitionis, omni appellationis obstaculo remoto, ipsi abbati de Misericordia Dei per censuras Ordinis inhibendo, ne de cetero tales tractatus, traditiones vel conventiones suis religiosis, contra Ordinis statuta facere praesumat, quinimo si quos vel quas fecerit, revocet et annullet.

13. Ad vitandum nefandum proprietatis vitium et indebitum et ridiculosum modum tradendi domos seu firmas et grangias Ordinis et ad tollendum abusus varios super hoc hucusque perpetratos, praesens generale Capitulum sub poenis excommunicationis et depositionis districtissime inhibet omnibus et singulis Ordinis abbatibus et regiminum praesidentibus, et eorum cuilibet, ne quocumque colore quaesito suis religiosis aut aliis quibuscumque regularibus eiusdem Ordinis personis domos, grangias, firmas, seu quascumque suorum monasteriorum possessiones, ad vitam eorum seu ad perpetuitatem tradant; sed si aliquos tales tractatus, conventiones, vel domos tradiderint, illico sine quacumque dissimulatione aut mora revocent, non obstantibus quorumcumque dominorum vel principum saecularium supplicationibus aut requestis.

14. Generale Capitulum audita et attenta pertinacia et rebellione fratris Ioannis, abbatis de Sancto Leonardo, facta domino Pontigniacensi, commissario Capituli generalis, eidem fratri Ioanni districtissime et sub poena depositionis praecipitur, quatinus infra sex menses proxime immediate secuturos suo patri abbati seu visitatori omnes suas computationes de receptis e expensis sui monasterii reddat, et pro huiusmodi rebellionibus et inobedientiis eidem domino Pontigniaci factis frequentet omnes horas canonicas cum suo conventu per unum mensem et sit extra stallum abbatis, abbati de Moroliis committendo, ut praesentem diffinitionem executioni debitae demandet, et eum

a sententia excommunicationis absolvat, si humilis et contritus requirat.

15. Abbati Sancti Disibodi per generale Capitulum committitur, quatinus diligenter se informet de vita, moribus et emendatione sororis Annae Miewiert, conversae monasterii Sanctae Agnetis in civitate Moguntinensi, expresse professae, quae instigante humani generis inimico cum quadam satellite apostatavit, sed ad cor reversa emendationem promittens, ab abbatissa dicti loci repulsam patitur, et si eam contritam bonae voluntatis et emendatam reperiat, abbatissam dicti loci ad eius receptionem compellat, in plenaria Ordinis potestate.

16. Abbati de Molinis per generale Capitulum committitur, quatinus si sororem Mathildem Vandineere receptam ad habitum conversae in monasterio de Parco dominarum, sic in servitio, ceremoniis et aliis necessariis ad ingressum religionis profecisse invenerit, quod meritis suis exigentibus ad religiosae professae habitum et statum disposita sit et digna, ad hoc abbatissam dicti loci hortetur, et quantum poterit inducat et ipsam benedicendo professam faciat, in plenaria Capituli generalis potestate.

17. Considerata et examinata ad ingressum religionis nostrae devota affectione, moribus et vita laudabili sororis Ianetae Chouppet, novitiae in monasterio de Wastina, Capitulum generale misericorditer et benigne secum dispensat, ut non obstante illegitimatione, quam extra matrimonium nascendo contraxit, ad professionem et ceteros actus legitimos, honores, officia, dignitate abbatiali seclusa, recipi et promoveri valeat.

18. Ad idem, pro fratre Chaudelam, novitio in monasterio de Valle clara, et ut possit et valeat secundum discretionem sui abbatis, et prout merita sua requirent, ad sacros ordines promoveri.

19. Abbatibus de Savigniaco, de Bellabrancha, de Oratorio, de Campania et de Claritate, tam coniunctim quam divisim, per generale Capitulum committitur, quatinus se diligenter et debite informent super moribus, vita et conversatione fratris Ioannis Davoyne, religiosi de Claromonte, Cenomanensis dioecesis, de cuius scandaloso regimine, prout rumor ad aures praesentis Capituli dolenter pervenit, et si eumdem, ut fertur, instabilem, inobedientem, conspiratorem, intoxicatorem aut alias criminosum et suis superioribus aut fratribus minas inferentem, omni dissimulatione semota, eum graviter secundum casuum

exigentiam, iuxta formam statutorum Ordinis, puniant et corrigant taliter quod timor poenae sibi a similibus perpetrandis meta existat, et ceteris transeat in terrorem, eumdem si sua exigant demerita, ad aliquod remotum monasterium, auctoritate Capituli generalis ,transmittendum, nonnisi eiusdem Capituli licentia reversurum.

20. Abbati Uterinae vallis per generale Capitulum committendo praecipitur, quatinus fratrem Iacobum suum conversum, qui, ut fertur, maligno spiritu repletus, ab Ordine absolvi et uxorari diversis mediis procurat, in quocumque statu eum reperiat, incarceret et debite puniat et corrigat, in plenaria Ordinis potestate.

21. Propter multitudinem agendorum et onerum monasterii de Insula Barrensi, et laudabilem recommendationem moderni scolaris eiusdem monasterii de Insula studentis in collegio Sancti Bernardi Parisiensis, generale Capitulum statuit et ordinat, et in virtute salutaris obedientiae, praecipit abbati de Sancto Benedicto, quatinus de cetero solvat medietatem bursae eiusdem scolaris, et ad hoc per censuras Ordinis et omnes iuris et iustitiae vias compellatur, in plenaria Ordinis potestate, executionem praesentis diffinitionis abbati de Vallibus in Ornesio committendo.

22. Abbatibus de Aceyo, s. th. pr., et de Charitate per generale Capitulum praecipiendo committitur, quatinus quam citius commode fieri poterit, se ad monasterium de Roseriis personaliter transferant, et ibidem super veritate vel falsitate quorumdam articulorum contra abbatem dicti loci praesentatorum per promotorem causarum huius Capituli, per testes non suspectos et fide dignos, magis ad plenum se informent, et causam et materiam debito fine terminent, sententient et pleno iure diffiniant in plenaria Ordinis potestate, salva in omnibus iurisdictione domini Morimundi, de cuius consensu, auctoritate Capituli generalis pro hac vice dumtaxat, de novo abbate per electionem canonicam aut alias debite, si casus se offerat, poterunt providere.

23. Generale Capitulum committendo praecipit abbati de Villereyo, quatinus fratrem Conradum de Haitoy, per dominum Morimundi auctoritate Capituli generalis ad dignitatem abbatialem monasterii de Castellione promotum et installatum, eamdem promotionem et omnia inde secuta confirmando et approbando, iterato et ex abundanti installet, illos religiosos dicti monasterii, qui eidem abbati nondum professionem fecerunt,

per censuras Ordinis ad profitendum et humiliter obediendum compellendo, aut nolentes ad hoc alibi transmittendo, et alium sinistre et indebite intrusum ad sufficienter et debite eidem abbati rationem et computum reddendum de omnibus et singulis receptis et expensis per eumdem intrusum factis, et ut ad praefatum monasterium de Aureavalle, unde exivit, eumdem intrusum redire compellat, astringatque omnes et singulas eiusdem monasterii personas regulares devote et humiliter eidem abbati moderno profitentes et favorem praestantes, ab excommunicationum sententiis absolvendo, in plenaria Ordinis potestate.

24. Generale Capitulum omnes et singulos tractatus, conventiones et pactiones contra formam statutorum et observantias Ordinis, per abbatem et conventum monasterii Pruliaci, Senonensis dioecesis, cum quibuscumque personis saecularibus aut alias indebite absque licentia et consensu domini Cistercii, patris abbatis eiusdem monasterii vel Capituli generalis contractos, passatos et initos, cassat, annullat et revocat, praecipiens et mandans districte abbati moderno eiusdem monasterii Pruliaci, ut per omnes iuris et iustitiae vias tales tractatus, conventiones et pactiones revocari faciat, et ad manus dicti monasterii et in pristinum statum reducat seu reduci faciat.

25. Decisio et finalis appunctuatio controversiae seu querelae exortae in materia appellationis a sorore Elisabeth, abbatissa de Novobosco appellante ab abbate de Moris, commissario domini Claraevallis emissae ex una, et ipsum dominum Claraevallensem partibus ex altera, praesens generale Capitulum committit dominis abbatibus de Cistercio, de Pontigniaco et de Morimundo, et eis quos secum in Divione duxerint vocandos, in plenaria Ordinis potestate.

26. Abbatibus de Fusniaco, s. th. pr., et de Laude per generale Capitulum committendo praecipitur et iniungitur, ut quantocitius et commodius poterunt, ad monasterium de Cambrone se personaliter transferant, et abbatem ibidem praetensum ad sibi ostendendum bullas et litteras apostolicas suae provisionis, illasque diligenter et debite perlegentes videant et considerant; si de tractatibus, conventionibus et pactionibus per religiosos dicti monasterii factis et passatis, expressa aut aliqualis fiat in eisdem bullis mentio, et prout melius expedire reperient, provideant et ordinent, in plenaria Ordinis potestate.

27. Generale Capitulum renovat et confirmat commissionem

anno praeterito domino Morimundi traditam in omnibus regnis et provinciis, et cum auctoritate ibidem declarata, postmodum plenius declaranda.

28. Ad idem, pro domino Claraevallis, s. th. pr.

29. Ad idem, pro domino Pontigniaci.

30. Capitulum generale committit abbatibus de Altacrista et de Altaripa quatinus se personaliter se transferant ad monasterium de Tela, et informent se, si contractus passatus, factus et initus inter abbatem et conventum dicti monasterii de Tela et Petrum Peillet Perisoram, Nicodemum filium eius et Ioannem Dessanges, Vidricum fratrem eius, Petrum Guey et Uldricum de Volens fabrum, et secundum quod invenerint, referent vel mittant proximo generali Capitulo.

31. Ad tollendum conturbationem et controversiam exortam occasione permutationis seu dispersionis monialium monasterii Sancti Remigii, Leodiensis dioecesis, et de Felici prato, generale Capitulum committit abbatibus de Iardineto et de Molinis, quatinus quamcitius commode poterunt, ad ipsa monasteria personaliter se transferant et diligenter et debite se informent, quis eorumdem locorum convenientior sit et aptior ad habitationem religiosorum et quid ad habitationem monialium, et prout melius invenerint faciendum, faciant et ordinent in plenaria Ordinis potestate.

32. Abbati de Rippalta per generale Capitulum committitur, quatinus diligenter et debite per censuras Ordinis et in plenaria Capituli generalis potestate, per omnes iuris et iustitiae vias compellat abbatem de Casanova ad satisfaciendum magistro Bernardo Virdoti, Ordinis fratrum Beatae Mariae de Monte Carmeli, expresse professo et sacrae theologiae doctori, de summis 30 floren. renens. 8 ducat. et unius scuti, in quibus eidem dictus abbas Casaenovae, prout per cedulam suam, de qua legitime praesenti Capitulo constitit, est obligatus, prout et eidem de Rippalta constare poterit.

33. Abbati de Monte Sanctae Mariae per generale Capitulum committitur, quatinus omni dissimulatione remota, viriliter et debite sub poenis excommunicationis compellat abbates de Stamedio et de Cheseriaco ad mittendum per ipsos duos et eorum monasteria coniunctim, infra festum Nativitatis Domini, unum scolarem Parisiis ad collegium Sancti Bernardi cum sufficientibus et decentibus provisionibus iuxta formam *Benedictinae*, alias

praefato elapso termino ipsos et eorum officiarios excommunicatos et Ordini inobedientes palam et publice denuntiet, in plenaria Ordinis potestate.

34. Ad idem, praecipitur abbati de Caritate contra abbates de Aceyo, s. th. pr., et de Roseriis coniunctim, infra praefixum terminum.

35. Abbatibus de Caroliloco, s. th. pr., et de Belloprato, Belvacensis dioecesis, et eorum cuilibet per se et in solidum, per generale Capitulum committitur, quatinus se debite et diligenter informent super vita et regimine fratris Petri... *(locus vacuus)* diaconi, religiosi professi monasterii Beatae Mariae de Frigidomonte, et si eum furem, criminosum et pluries in apostasiam incidisse, et in priorem et suppriorem dicti monasterii mortis exterminium comminantem et ad exsequendum per villagia et loca circumvicina discurrentem et obstinate incedere, aut alias contra suae vocationis statum damnabiliter vivere repererint, ipsum iuxta Ordinis statuta corrigant et puniant, etiam si sua exigant demerita ad aliquod remotum monasterium ipsum transmittendo, in plenaria Capituli generalis potestate.

36. Abbati de Lubens per generale Capitulum praecipiendo commttitur, quatinus fratrem Paulum, religiosum professum monasterii de Grussaw, capiat et incarceret, eoq uod citatus coram domino Cistercii ad purgandum se super amissione summae 30 flor. ungaricalium per eumdem, sunt fere duo anni, receptae ab abbate de Claratumba ad apportandum eidem domino Cistercii, veritatem huius rei diligenter et debite inquirat, et si eumdem Paulum reperire non valeat, citet ad proximum generale Capitulum fratrem Petrum tunc abbatem de monasterio Lubens, aut eumdem compellat ad satisfaciendum de dicta summa super praetensione, quam habet a praefato monasterio ; quodque ipse abbas de Lubens possit eligere confessorem de Ordine qui eum ab omnibus criminibus, peccatis et sententiis excommunicationis generali Capitulo reservatis pro semel absolvat, et simile beneficium suis religiosis etiam pro semel conferat, in plenaria Ordinis potestate.

37. Abbatibus de Signiaco et de Bonofonte, et eorum cuilibet per se et in solidum per generale Capitulum committitur, quatinus diligenter et indilate per censuras Ordinis, et sub poenis in statuto Domini Benedicti Papae XII contentis, compellant abbates de Igniaco, de Longoponte et de Valle clara et eorumdem

monasteria, ad mittendum Parisiis ad collegium Sancti Bernardi infra proximum festum Nativitatis Domini, cum debitis et sufficientibus provisionibus coniunctim propter cuiuslibet monasteriorum eorumdem inopiam, unum scolarem ad scientiae et litterarum ac morum acquisitionem dispositum, alioquin praefato temporis elapso termino, ipsos abbates ac eorumdem officiarios sententia excommunicationis fore innodatos palam et publice decernant et declarent, in plenaria Ordinis potestate.

[REHABILITATIONES]

Nota in omnibus istis rehabilitationibus excluditur dignitas abbatialis.

38. Ad instantiam et humilem supplicationem abbatis de Longovillari, cum fratre Nicolao Bullin, monacho expresse professo eiusdem monasterii, per generale Capitulum misericorditer dispensatur ut non obstante inhabilitate ac infamiae nota, quam incurrit illicenciatus exeundo limites monasterii praefati et ibidem pernoctando spatio quinque vel sex dierum, ad omnes Ordinis actus legitimos, gradus, voces, officia et dignitates, abbatiali seclusa, promoveri valeat et admitti.

39. Ad idem, pro fratrę Petri Caignart, religioso professo eiusdem monasterii, qui similiter illicentiatus exivit et pernoctavit extra ipsum monasterium.

40. Ad idem, pro fratre Matheo Garsel, eiusdem monasterii professo, qui semel repertus est et visus in eodem monasterio cum muliere suspecta, et exivit per unam fenestram, multas rebelliones et inobedientias Ordini et suis praesidentibus faciendo.

41. Ad idem, pro fratre Petro de Compendio, religioso monasterii Caroliloci, qui pluries praefatum monasterium illicentiatus exivit et semel condemnatus ad carceres in capitulo per abbatem suum, ire recusavit sine causa, et monasterium exivit.

42. Ad idem, pro fratre Symone de Herbonies, religioso eiusdem monasterii, qui cum frequenti sine licentia monasterii exitu apostatavit, et fuit fugitivus, furtive accepto equo cellerarii eiusdem monasterii.

43. Ad idem, pro fratre Roberto Gervand, religioso professo monasterii Beatae Mariae de Claromonte, Cenomanensis dioecesis, de contagio carnis notato et continua negotiatione vendendi

et emendi, contra Ordinis statuta et de omnibus casibus usque ad praesens.

44. Ad idem, pro fratre Philippo Charbonnier, eiusdem monasterii professo, et eisdem casibus, et in simili forma.

45. Ad idem, pro fratre Petro de Lebare, religioso Beatae Mariae de Valloliis, qui suae salutis immemor, religionis habitu dimisso, per tres hebdomadas apostatavit.

46. Ad idem, pro fratre Hugone de la Bunerie, eiusdem monasterii professo, qui semel per sex menses apostatando, illicentiatus praedictum monasterium, ubi Domino Deo promisit exsolvere vota sua, exivit et mansit.

47. Ad idem, pro sorore Margareta Wielardin, professa monasterii Frauwental, in contagio carnis deprehensa et convicta, prole inde secuta.

48. Ad idem, pro fratre Ulrico Heylpum, professo monasterii de Lucella, de contagio carnis convicto, fractione carceris et evagationis per mundum, absque licentia proprii abbatis.

49. Ad idem, pro fratre Roberto Corrotiau, religioso professo Beatae Mariae de Castellariis, qui illicentiatus monasterium suum exiens longo tempore apostatavit, et in eadem apostasia celebrando se divinis officiis immiscuit.

50. Ad idem, pro fratre Alberto, religioso professo monasterii de Bildhusen, qui illicentiatus monasterium exeundo apostatavit.

51. Ad idem, pro sorore Stephaneta de Chissey, religiosa professa monasterii Beatae Mariae de Tard, de contagio carnis convicta, puerperio inde secuto.

52. Ad idem, pro sorore Margareta Groszin de Pirkenfeld, quae diaboli instinctu in lubricum carnis prolapsa est, puerperio inde secuto.

53. Ad idem, pro sorore Margareta Mariscalkin, religiosa professa monasterii de Camposolis, de carnis contagio convicta.

54. Ad idem, pro sorore Agatha Freninerin, religiosa professa monasterii de Feliciprato, etiam de carnis contagio notata et convicta.

55. Ad idem, pro sororibus Oda Le Vilain et Margarita de Bruxella, religiosis professis monasterii de Aquiria, de carnis contagio, puerperio exinde secuto, convictis.

56. Ad idem, pro sorore Aleide, religiosa professa monasterii Beatae Mariae de Hispania, Ambianensis dioecesis, ut non obstante

defectu natalium quem patitur, possit ad Ordinis actus legitimos, officia, dignitates et honores, abbatiali seclusa promoveri.

57. Ad idem, pro fratribus Gasparo Stahel et Nicolao Huzler, religiosis professis monasterii de Waldsachsen, qui illicentiati ipsum monasterium exeuntes apostataverunt.

58. Ad idem, pro fratribus Georgio Pictons et Ioanne Keylhotz, religiosis professis monasterii Beatae Mariae de Ebraco, qui diaboli versutia seducti, nocturno tempore per supra muros dicti monasterii exiverunt.

59. Ad idem, pro fratre Eldelvino, religioso professo de Alba dominorum, qui in apostasia contraxit matrimonium.

60. Ad idem, pro fratre Petro de Parisiis, religioso professo monasterii de Prulliaco, de carnis contagio semel dumtaxat convicto.

61. Ad idem, pro fratre Martino, religioso professo monasterii Beatae Mariae de Clara tumba, qui in vitium carnis, instigante humani generis inimico, est collapsus.

62. Ad idem, pro fratribus Conrado Philiberti et Ioanne Goswin, religiosis monasterii de Porta coeli, convictis de carnis contagio.

63. Ad idem, pro fratre Henrico de Luxembourg, religioso monasterii de Fontemorum, qui apostatando et vagando per mundum, extra monasterium quinque annis mansit, etc.

[ALIAE DIFFINITIONES]

64. Capitulum generale accidenti fractionis brachii abbatis de Brunbach misericorditer compatiens, ipsum a via futuri proximi Capituli supportatum habet et excusat, sibi de gratia speciali annuendo, ut confessorem idoneum de Ordine, qui eum pro semel dumtaxat possit et valeat absolvere in foro conscientiae ab omnibus peccatis, criminibus et excommunicationum sententiis generali Capitulo reservatis, quodque simile beneficium etiam pro semel possit suis religiosis conferre.

65. Capitulum generale praecipit fratri Ioanni de Laforest, religioso professo monasterii Beatae Mariae de Petris, quatinus dimittat et relinquat grangiam seu domum de Veillet, eidem monasterio pertinentem, grana et laboragia huius anni accipiendo et bona in eadem domo seu grangia existentia, parentibus suis pertinentia eisdem reddendo, dummodo quod ita cons-

tet, et vadat ipse de Laforest ad monasterium praefatum, ibidem regulariter vivendo et sibi per abbatem de victu et vestitu honeste ministretur et provideatur.

66. Abbatibus de Ursicampo, de Laude, de Caricampo, de Vaucellis, et eorum cuilibet per se et in solidum, praesens generale Capitulum committit et praecipit, quatinus sub poenis excommunicationis indissimulate adstringant et compellant sororem Ioannam Warine, religiosam professam monasterii de Pratis prope Duacum,a multis diebus immemorem suae salutis et votorum ab ea emissorum, damnabiliter contra Ordinis et personarum honorem et bonam famam vagantem, ad dictum monasterium suae professionis redeundum et revertendum, et abbatissam dicti loci, si renuat, compellendum ad eamdem recipiendam, in plenaria Ordinis potestate.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

67. Electionem, promotionem et installationem fratris Ioannis Bonsart de Belsomonte, monasterii Beatae Mariae de Belloprato, Tullensis dioecesis, expresse professi, ad dignitatem abbatialem praefati monasterii de Belloprato per dominum Morimundi, patrem abbatem eiusdem monasterii, prout in decreto... *etc*... confirmat.

68. Ad idem, pro fratre Ioanne Duselbach, religioso professo monasterii Sancti Disibodi, Maguntinensis dioecesis, ad dignitatem abbatialem dicti monasterii per abbatem Otterburgensem, patrem abbatem immediatum eiusdem monasterii.

69. Ad idem, pro fratre Antonio Lecomte, religioso professo monasterii de Eleemosina, Aurelianensis dioecesis, in abbatem praedicti monasterii promotum per abbatem de Curia Dei, commissarium domini Cisterciensis, patris abbatis immediati eiusdem monasterii.

70. Ad idem, pro fratre Petro Ganston de Fallone, religioso professo monasterii de Loco crescenti, alias de Tribus regibus, ad dignitatem abbatialem praefati monasterii per dominum Morimundi, commissarium a generali Capitulo deputatum.

71. Ad idem, pro fratre Nicolao Peysser de Egra, religioso professo monasterii de Waltsassen, ad dignitatem abbatialem eiusdem monasterii per abbatem monasterii de Volkolderode, patrem abbatem eiusdem monasterii.

72. Ad idem, pro fratre Ioanne de Speciosa valle, religioso professo monasterii de Schöntal, ad dignitatem abbatialem monasterii de Pomerio, alias Bomgarten, Argentinensis dioecesis, per abbatem de Novocastro, patrem abbatem immediatum eiusdem monasterii.

73. Ad idem, pro fratre Gaspari, religioso monasterii de Novocastro, Argentinensis dioecesis, ad dignitatem abbatialem dicti monasterii, per abbatem de Lucella, Basileensis dioecesis, patrem abbatem immediatum eiusdem monasterii.

74. Ad idem, pro fratre Drocone de Edua, religioso professo monasterii Claraevallensis, ad dignitatem abbatialem monasterii de Bullencuria, per dominum Claraevallis, patrem abbatem immediatum eiusdem monasterii.

75. Ad idem, pro fratre Symone Buchart, religioso professo monasterii de Bullencuria, in abbatem de Pietate Dei, per dominum Claraevallensem, commissarium domini Cistercii, patrem abbatem immediatum eiusdem monasterii.

76. Ad idem, pro fratre Vincentio de Cabilone, religioso professo Cistercii, in sacra pagina baccalario, ad dignitatem abbatialem monasterii Prulliacensis per dominum Claraevallis, commissarium domini Cisterciensis, patris abbatis immediati eiusdem monasterii.

77. Ad idem, pro fratre Guerardo Haytoy [Conradus de Haitoy, *supra n*° 23], religioso de Aureavalle, ad dignitatem abbatialem monasterii de Castellione, per dominum Morimundi, commissarium Capituli generalis, ac omnia per ipsum ibidem facta approbando et praecipiendo omnibus et singulis eiusdem monasterii religiosis sub poenis excommunicationis et carceris, ut eidem abbati humiliter et devote obediant, tamquam suo patri spirituali, praecipiendo omnibus Ordinis abbatibus, quatinus ubicumque ipsos rebelles et inobedientes invenerint, strictis carceribus mancipent, in plenaria Ordinis potestate.

78. Ad idem, pro fratre Guillelmo de Puligneyo, religioso professo monasterii Cisterciensis, in abbatem de Longovado, per abbatem de Fusniaco, s. th. pr., et de Albaripa, commissarios domini Claraevallis, patris abbatis immediati eiusdem monasterii.

79. Ad idem, pro fratre Vito, religioso monasterii de Alderspach, Pataviensis dioecesis, [in abbatem dicti monasterii], per

abbatem Eberbacensem, patrem abbatem immediatum eiusdem monasterii.

80. Ad idem, pro fratre Iacobo de Tornaco, religioso Claraevallis, in priorem de Gratia Nostrae Dominae, quondam monialium monasterio, per dominum Cisterciensem, patrem abbatem immediatum eiusdem monasterii.

81. Ad idem, pro fratre Hugone Debardia, religioso professo monasterii de Caduino, ad dignitatem abbatialem monasterii de Gondonio, per abbatem de Caduino, patrem abbatem immediatum eiusdem monasterii.

IUDICES

82. Abbatibus de Regalimonte et de Valle Sanctae Mariae et de Vallibus Sernay, et eorum cuilibet per se et in solidum, tam coniunctim quam divisim, praesens generale Capitulum committendo praecipit, ut omnes et singulas utriusque sexus Ordinis personas, tam abbates, abbatissas, quam eorumdem conventus et monasteriia, quos et quas per testes dignos, instrumenta, litteras, acta, obligationes, seu alia quaecumque documenta invenerint abbati et conventui monasterii Caroliloci, Silvanectensis dioecesis, aut singulis eiusdem loci personis, debite teneri et obligatos seu obligatas esse, in quibuscumque pecuniarum summis seu aliis reditibus, aut quibuscumque bonis aut debitis, seu ea iniuste detinentes, ad eisdem plenarie, realiter et de facto satisfaciendum astringant et compellant, in plenaria Ordinis potestate.

83. Ad idem, pro priore de Gratia, abbatibus de Claravalle, de Caroliloco, s. th. pr., de Ioyaco et de Lanneyo.

84. Ad idem, pro provisore, cellerario, bursario, ceterisque officiariis et scolaribus collegii Sancti Bernardi Parisiis, abbatibus de Caroliloco, Silvanectensis dioecesis, s. th. pr., de Regalimonte et de Valle Nostrae Dominae, tam coniunctim quam divisim.

85. Ad idem, pro domino Claraevallensi, s. th. pr., et suo monasterio, abbatibus de Caroliloco, s. th. pr., de Igniaco, de Moris et de Longovado, tam coniunctim quam divisim.

86. Ad idem, pro abbatissa et conventu de Vitriaco, abbatibus de Igniaco et de Pietate Dei.

87. Ad idem, pro abbate et conventu monasterii de Caritate,

abbatibus de Aceyo, de Theoloco, s. th. pr., et de Caroloco, tam coniunctim quam divisim.

88. Ad idem, pro abbate et conventu de Pruliaco, abbatibus de Caroliloco et de Regalimonte, s. th. pr., et de Ioyaco.

89. Ad idem, pro abbate et conventu de Belloprato Tullensi, domino Morimundi et de Villerio monasteriorum abbatibus.

90. Ad idem, pro abbate et conventu de Ioyaco, abbatibus de Prulliaco, de Valle lucenti et de Caroliloco, s. th. pr., tam coniunctim quam divisim.

[DIFFINITIO] GENERALIS

91. Cum Ordo noster... *etc.* contributionem sex milium florenorum... *etc. ut in anno* 1449.

[ALIA DIFFINITIO]

92. Capitulum generale committit abbati de Claratumba auctoritatem abbates totius Poloniae per censuras Ordinis compellendi, prout videbitur expedire, ut pro domo scolarium Ordinis in Cracovia construenda sufficienter et debite contribuant et quod possit omnia monasteria in maiori et minori Polonia visitare et ea in eorum utroque statu per se aut per alium aut alios sufficientem aut sufficientes et idoneos, quem vel quos ad hoc auctoritate praesentis diffinitionis deputare poterit, reformare, eidem similiter receptionem contributionum omnium et singulorum praedictorum monasteriorum in eisdem partibus existentium per se aut alios recipiendarum, ut illas ad ipsum Capitulum deferat aut transmittat, in plenaria potestate Ordinis committendo [f].

---

[f] *Insuper apud L⁴, inter pag.* 560 *et* 561, *sequentia leguntur* : Anno Domini 1464, Paulus II Papa creatus est, hic etsi iustitiae cultor in multis diceretur, quia tamen altissimi cordis erat et principis animum gerere dicebatur, religiosorum statum parvifaciebat, eos fratricellos vocans et multa monasteria commendis exponens, quamobrem nullum ab eo concessum reperimus privilegium.

1465

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo quinto, quartadecima die mensis septembris, apud Cistercium, statuta sunt haec in eiusdem Ordinis Cisterciensis Capitulo generali [b].

[DIFFINITIO] GENERALIS

1. Omnes et singulos tractatus per abbates et conventus Ordinis quomodocumque contra ipsius Ordinis statuta, absque patrum abbatum vel Capituli generalis licentia speciali, passatos et initos, in praeiudicium et gravamen monasteriorum suorum, generale Capitulum cassat, irritat et annullat, ac nullius vigoris et efficaciae declarat.

[DIFFINITIONES] SPECIALES

2. Conceditur per generale Capitulum domino Claraevallis, s. th. pr., quatinus ipse aut suus procurator infra festum Nativitatis Beatae Mariae proxime futurum, de omnibus et singulis quae sibi debentur per Ordinem, in praesentia duorum abbatum nostri Ordinis debite et fideliter computet, cum domino Cisterciensi et cum receptoribus contributionum ipsius Ordinis.

3. Capitulum generale committit abbatibus de Theoloco, s. th. pr.. et de Charitate, quatinus debite et diligenter se informent de et super quodam tractatu facto per abbatissam et conventus monasterii monialium de Colungiis cum habitatoribus villagii de Campania, de quodam nemore nuncupato Legrantvalon, et id quod per debitam informationem invenerint, proximo generali Capitulo fideliter referant.

4. Visitationem et reformationem omnium et singulorum monasteriorum utriusque sexus in regnis et dominiis Hungariae et Poloniae, ac in omnibus provinciis totius nationis germanicae

---

1465. *Fontes* : L^4 : 1-44 ; *M* : 11, 28 ; P^2 : 7, 8 (abbref.), 11, 28.

[a] *Titulus apud* L^4. [b] *In margina apud* P^2 : Paulo 2°, papa ; Himberto, abbate Cistercii 42.

et partibus circumvicinis, cuiuscumque generationis existant, ac in Hispaniae, Arragoniae, Navarrae et Cataloniae partibus, et in tota sua generatione, ubicumque existat, domino abbati monasterii Morimundi, praesens generale Capitulum committit cum certis clausulis opportunis per dominum Cisterciensem postea declarandis.

5. Omnes et singulos abbates Ordinis, qui ad praesens generale Capitulum suas excusationes miserunt, attentis viarum discriminibus, ipsum Capitulum hoc anno habet benigniter excusatos ; illi vero qui specialiter et pro certis excessibus citati non comparuerunt, contumaces, et ex nunc ad proximum generale Capitulum citantur, ad ea quae sibi tunc obiicientur personaliter reponsuri.

6. Abbati de Salem committitur per generale Capitulum, quatinus quamcitius commode poterit, personaliter se transferat ad monasterium de Fonte regis, immediate sibi subiectum, ibidemque reformando, abbatem modernum contra formam et statuta Ordinis institutum deponat et admoneat, si commode fieri potuerit et sua exigant merita, vel alium nostri Ordinis sufficientem et idoneum instituat et ordinet, compellatque abbatem ipsius monasterii canonice institutum redire, eidem regimen spirituale et temporale, ut per prius, committendo.

7. Attenta pergrandi paupertate bonorum temporalium monasterii Beatae Mariae de Monte iuxta Provinum, in quo in praesentiarum non sunt nisi duae aut tres moniales pauperrime mendicando viventes, generale Capitulum praecipit et mandat abbati monasterii Prulliaci, patri abbati immediato dicti monasterii, quatinus quam primum commode poterit, praefatis monialibus de aliquo nostri Ordinis monasterio monialium, in quo religiose et honeste vivere possint, provideat, unitque et incorporat dictum monasterium de Monte Sanctae Mariae praefato monasterio Prulliaci, ordinando et praecipiendo abbati eiusdem monasterii, quatinus ordinet unum ex suis religiosis ad ibidem bis vel ter ad minus in qualibet septimana missam pro intentione et remedio animarum fundatorum et benefactorum ipsius monasterii celebrandum, non tamen instituatur ibidem aliquis religiosus per modum prioris, sed tantummodo ad nutum et voluntatem sui abbatis ,omnes quoque et singuli redditus, census et proventus ac alia omnia et singula bona ad dictum monasterium Beatae Mariae de Monte spectantia, de cetero pertineant

praefato monasterio Prulliaci, in praemissis prius habito consensu domini nostri regis et ipsius monasterii fundatorum.

8. Pie [c] attentis et consideratis desolatione, paupertate et tenuitate reddituum et bonorum temporalium monasterii monialium Beatae Mariae de Monte iuxta Pruvinum, in quo paucissimae religiosae ibidem degentes ob tenuitatem et paupertatem ipsius monasterii vivere, victumque et vestitum habere, nisi ad modum mendicantium, minime valent, in dedecus et opprobrium ac contra formam et statuta Ordinis nostri, hinc inde sibi quaerendo et mendicando. Capitulum praemissis cupiens pro posse obviare districtissime praecipit et mandat abbati monasterii Prulliaci, patri abbati immediato dicti monasterii de Monte, ut quantocitius commode poterit, praefatis religiosis et monialibus, tam in capite quam in membris, de aliquo aut aliquibus nostri Ordinis monasterio sive monasteriis monialium, in quo sive quibus religiose et honeste vivere possint, provideat, praecipiens ipsum Capitulum sub poena excommunicationis abbatissis et conventibus, ad quos praedictae religiosae per ipsum abbatem Prulliaci transmitterentur, ut eas cum ceteris religiosis suis eisdem sufficienter providendo recipiant, ipsaeque religiosae sic transmissae per praemissum abbatem sub eadem poena et etiam carceris obediant, quod quidem monasterium Beatae Mariae de Monte, cum iam sit immediate subiectum dicto monasterio Prulliaci, praedictum Capitulum unit et incorporat tamquam membrum ipsi monasterio Prulliaci, ordinando et praecipiendo abbati ipsius monasterii Prulliaci, quatinus unum religiosum ad ibidem in qualibet septimana ad minus bis aut ter missam pro intentione et remedio animarum fundatorum et benefactorum ipsius monasterii de Monte celebrandum instituat et ordinet, non per modum prioris, sed solem ad nutum et voluntatem praedicti abbatis... *ut supra.*

9. Volens Capitulum generale pio affectu providere personis ad scientiam dispositis, abbatibus de Ellancio, de Signiaco et de Aureavalle eiusdem Ordinis mandat, et in virtute salutaris obedientiae praecipit, quatinus annis singulis et temporibus debitis, absque dilatione provideant fratri Petro de Maceriis, professo eiusdem monasterii de Ellancio, ac in sacra pagina licentiato,

[c] Monasterium prope Pruvinum pro sua paupertate unitur Pruliaco : *sic abbrev.* P^2.

de bursa competenti et talibus scolaribus conferri solita in Ordine, ita quod ipse abbas de Ellancio solvet medietatem et alii duo praenominati aliam medietatem, et ad impletionem huiusmodi diffinitionis eos compellent abbas de Caroliloco, s. th. pr., et provisor collegii Sancti Bernardi Parisiis, quibus tam coniunctim quam divisim, plenariam potestatem ad hoc conferimus, taliter quod planctus huiusmodi non veniat amplius ad aures Capituli praedicti, ne gravius indignetur.

10. Abbati de Monte Sanctae Mariae per generale Capitulum committitur, quatinus diligenter et fideliter se informet de et super tractatu facto inter abbatem et conventum monasterii Caritatis, et Petrum Prevost et suos haeredes in traditione quarumdam vinearum, et si per informationem debite factam invenerit dictum tractatum fore utilem et necessarium dicto monasterio Caritatis, ipsum tractatum ac omnia in eodem contenta confirmet et approbet, in plenaria Ordinis potestate.

11. Generale Capitulum difficultatem de esu carnium saepius ventilatam ad lucem deducere volens, multosque abusus in nonnullis nostri Ordinis monasteriis occasione huiusmodi esus carnium perpetratos de medio tollere cupiens, inhibet omnibus ipsius Ordinis regularibus personis utriusque sexus, ne de cetero utantur carnibus nisi secundum quod habetur in regula beati Benedicti et in privilegio Benedicti Papae XII, ita tamen quod in nullo monasterio sit aliqua diversitas in isto modo vivendi, sed omnes uniformiter vivant.

12. Capitulum generale sub excommunicationis latae sententiae poena, fratribus Petro Papari, et Hugoni Rosar, temporale monasterii Locicrescentis tenentibus, praecipit et mandat, ut fratri Petro Gacon, alias Falon, abbati dicti loci, contributiones dicto monasterio suo pro hoc anno impositas, et pecunias quas ipse veniendo ad praesens Capitulum exposuit, tribuant atque restituant, quas quidem contributiones eis tribuat, quibus est ordinatum.

13. Capitulum generale praecipit fratri Petro Gacon, alias Falon, abbati Locicrescentis, ut recipiat redditus, qui non sunt in dominio domini ducis Burgundiae situati, dicto suo monasterio pertinentes, ad suam et dicti monasterii utilitatem applicandos.

14. Capitulum generale committit et districte praecipit provisori de Heidelberga, ut in Ordinis potestate plenaria omnes et

singulos abbates, qui hactenus soliti sunt ad dictum collegium suos studentes destinare, amodo sub poenis et censuris Ordinis compellat cum sufficientibus provisionibus, pro Ordinis et suorum monasteriorum manutentione, honore et commodo, quomodolibet non omittant destinare.

15. Capitulum generale de gratia speciali quittat et remittit abbatibus de Vallelucenti et de Barbello contributiones, eisdem pro hoc anno impositas, sui suorumque monasteriorum praesenti attento incommodo.

16. Attentis guerrarum nunc urgentium turbinibus, quo generale Capitulum ad votum cuncta eidem praesentata nequit discutere, causam appellationis et processum prioratus de Penthemonte, contra fratrem Ioannem Do ichin, monachum Bellibecci, agitatum, usque ad proximum generale Capitulum suspendit, qui processus integer tunc afferetur cum Dei auxilio terminandus.

17. Capitulum generale cupiens semper malorum occasiones a sibi commissis depellere, districtissimis sub censuris Ordinis praecipit et mandat universis Ordinis monialibus, ne praesumant viros cuiuscumque status existant, etiam si parentes fuerint, osculari.

18. Abbatibus de Ioyaco, de Altofonte et de Bullencuria, auctoritate Capituli generalis committitur, ut sub censuris Ordinis abbatem de Castellione inducant et compellant ad restitutionem pecuniarum, quas frater Iacobus de Tornaco, prior de Gratia, in prosecutione dicti monasterii Castellionis missionavit.

19. Abbatibus de Altofonte et de Bullencuria per generale Capitulum committitur, ut in Ordinis potestate et auctoritate plenaria, priorem de Gratia inducant, et si necesse est ad refusionem pecuniarum compellant, quas eidem priori monasterium prosequenti cellerarius de Claravalle fraterna dilectione concessit.

20. Capitulum generale toties graviter affligitur quoties aliqua in Ordine emergunt salutem animarum turbantia, verum cum ad aures ipsius devenerit fratrem Ioannem Porteasne, Locicrescentis depositum abbatem, ad auxilium brachii saecularis pro factis Ordinis absque causa recurrisse, et hoc constet contra papalia et Ordinis statuta esse factum, quo et temporale dicti monasterii irreparabili destructioni et ruinae appropinquat, et quod altius est dolendum, salus animarum, finis christianae religionis, heu! ibidem impeditur, regularis disciplinae vitiatur,

obedientia cassatur, continentia mergitur, et ut verisimile est, cum non sit vigil pastor, qui illic tranquille valeat super dominico grege debitas vigilias exercere, omnis virtus prope enervatur, et pro dictorum statutorum praesumptuosa transgressione, proh dolor ! ipse Porteasne papales et Ordinis sententias excommunicationis de facto dignoscitur incurrisse, ipsum excommunicatum publicat et declarat.

21. Processum factum per abbatem monasterii Doberam, tamquam per patrem abbatem, in depositione fratris Nicolai, abbatis monasterii de Poplin et provisione fratris Pauli de Zillem loco sui, contra et praeter formam Ordinis et eius statuta, cassat, irritat et annullat ; at quia praedictus promotus, ut relatu fide digno constitit, est persona sufficiens, dignitatis abbatialis functione illum in dicto monasterio de Poplin de novo instituit et ordinat, verum abbatem acceptat, et in quantum in se est, confirmat, ratificat et approbat.

22. Cum anno Domini 1463 a dicto Capitulo quoddam gratiosum subsidium pro Ordinis libertatum tuitione monasteriis monialium ipsius Ordinis rationabiliter impositum fuerit, et nonnulla monasteria monialium ipsius Ordinis nihil contulerint, abbati de Fonte salutis, s. th. pr., per generale Capitulum praecipitur, quatinus sub poenis et censuris Ordinis omnia et singula dicta monasteria, in plenaria Ordinis potestate, compellant certam rationabilem quotam seu summam persolvere, ex qua dicto Capitulo iustam tenebitur reddere rationem.

23. Capitulum generale relinquit processum inter priorem de Penthemonte et Ioannem Douchin, religiosum et procuratorem de Bellobecco, agitatum ad manus abbatis de Monte Sanctae Mariae, eumdem processum proximo generali Capitulo in veritate relaturi, quos citat ad idem Capitulum secum quidquid super hoc amplius voluerint exhibere delaturos.

24. Capitulum generale committit abbati de Purocampo, ut secundum Deum et eius conscientiam, per decennium a singulis abbatibus in partibus stagnalibus existentibus annuatim contributiones recipiat, quas et pro necessitate monasteriorum, praefato currente termino, absque praeiudicio Ordinis, diminuat, anno quolibet Capitulo transmittendas, quosquidem abbates in potestate Ordinis plenaria ut bini vel terni simul, quatinus si unus scolarem unum non valeat sustinere, saltem duo vel tres sustineant ad Universitates solitas scolares dispositos et decenter

provisos transmittant, prout videbit expedire, diligenter inducat et compellat; eosdemque abbates, quoties opus erit pro Ordinis et monasteriorum suorum utilitatibus, auctoritate praedicta congreget, quidquid ardui ibidem factum fuerit semper proximo Capitulo significaturus, quos et visitet singulis annis semel dumtaxat, et eorum subditos a casibus generali Capitulo reservatis absolvat, et super irregularitatibus eorum quemlibet, si necesse fuerit, dispenset, ceteras commissiones huic contrarias penitus revocando.

25. Capitulum generale de speciali gratia dispensat cum abbate Igniaci, ut suos monachos sibi per abbatem Claraevallis et dominum episcopum Cenomanensem commissos et committendos, pro semel de omnibus casibus ipsi Capitulo reservatis possit et valeat absolvere, et novitios infra annum suae probationis, dummodo renuntiare voluerint residuo tempori et aetatem habeant legitimam, munus benedictionis impertiri.

26. Tractatum passatum, initum et concordatum inter abbatem et conventum monasterii Cariloci ex una, et aliquos habitatores de Bugeyo partibus ex altera, super quodam prato eisdem habitatoribus per dictos abbatem et conventum assensato, tamquam iniuste contra *Benedictinam* et Ordinis diffinitiones et statuta factam, cassat, irritat et annullat ac nullius esse vigoris vel momenti declarat, praecipit tamen ut praefati habitatores, si opus sit et requiratur, de damnis et expensis, ut iuris erit, contententur.

27. Capitulum generale committit abbatibus de Caroloco et de Caritate coniunctim, ut se ad monasterium Theoloci transferentes super quadam grangia ruinosa et eidem pertinentibus, quam abbas et conventus dicti loci pro sui utilitate, ut dicitur, nobili viro Ioanni de Ferrière tradere voluit in feodum, diligenter se informent, et ubi tractatum super hoc factum praedicto monasterio honorificum esse et utilem invenerint, vel alias, Capitulo futuro fideliter referant, ut quod iustum fuerit compleatur.

28. Capitulum generale graviter ferens abusum quorumdam Ordinis priorum, certos prioratus tenentium, qui praesumunt novitios benedicere ; ut talis abusus propulsetur, praefatis prioribus sub poenis depositionis et ceteris Ordinis censuris districte praecipitur, ne talia amplius quomodolibet audeant vel praesumant, sed munus benedictionis suis impertiendum novitiis a

suis patribus abbatibus aut eorum commissariis, abbatiali dignitate fungentibus, diligenter et humiliter procurent et requirant.

29. Capitulum generale de speciali gratia concedit licentiam duorum mensium, a data praesentium incipientium, sorori Ioannae de Bassey, professae monasterii de Tardo, in quo spatio alicui abbatissae valeat profiteri, et sub ea Altissimo reddere vota sua, eam super diutina dilatione profitendi, quam ultra et contra Ordinis statuta nimium protelavit, misericorditer absolvendo.

30. Capitulum generale de speciali gratia quittat et remittit abbati de Septem fontibus contributiones sibi a monasterio suo per duos annos impositas seu imponendas, gravi sui monasterii attenta necessitate.

REHABILITATIONES

31. Generale Capitulum misericorditer dispensat cum fratre Ioanne de Parisiis, monasterii Prulliaci, interveniente sui abbatis supplicatione, et non obstante inhabilitate quam incurrit monasterium suum egrediendo absque sui dicti abbatis licentia, per spatium quatuor dierum, habitu regulari temere dimisso, super quo poenitentiam sibi iniunctam humiliter peregit, ad omnes Ordinis gradus legitimos, voces, officia, administrationes et dignitates, abbatiali seclusa dignitate, promoveri valeat et admitti.

32. Ad idem, pro fratre Vincentio, monasterii Caritatis professo, qui fractis carceribus adiit proprium abbatem apud Campumlitum exeuntem, excusationes super sua incarceratione eidem abbati dicturus. [cf. 1463, nº 111]

ELECTIONES

33. Electionem, promotionem et installationem de persona fratris Ioannis de Lindenfels in abbatem monasterii Schonaugiensis, per abbatem monasterii Eberbacensis, ipsius monasterii Shonaugiensis immediate patrem abbatem, secundum statuta Ordinis et concilii Basileensis ordinationes, rite et canonice factam, prout... *etc*... confirmat.

34. Ad idem, pro fratre Ioanne de Burgundia electo et promoto

ad dignitatem abbatialem in monasterio de Buxeria, per dominum Cisterciensem, eiusdem monasterii patrem abbatem.

35. Ad idem, pro fratre Ioanne Volkini monasterii Deliberan [*Doberan*], electo et promoto ad dignitatem abbatialem ipsius monasterii de Liberan *(sic)*, per abbatem monasterii Amelungisborne, patrem abbatem ipsius monasterii.

36. Ad idem, pro fratre Roberto de Tornaco, ad dignitatem abbatialem monasterii Longipontis, per abbatem monasterii Caroliloci, s. th. pr., commissarium domini Claraevallis.

37. Promotionem, institutionem et installationem de persona fratris Iudoci, monasterii in Waltsassen, in monasterio de Ezedluzen [*Sedlecio*] per abbatem praedicti monasterii in Waltsassen canonice factas, Capitulum generale approbat, ratificat et confirmat, et nihilominus praecipit praefato abbati Waltsassen, quatinus per omnes iuris et iustitiae vias compellat dictum Iudocum abbatem dicti monasterii ad onus sibi commissum suscipiendum, et dictum monasterium in utroque regimine bene et fideliter gubernandum, alium per religiosos ipsius monasterii sinistre et contra formam Ordinis dictum monasterium introductum expellendo.

IUDICES

38. Abbatibus de Cambrone, de Vaucellis, de Longovado, de Ygniaco, de Bullencuria, de Altofonte, et eorum cuilibet per se et in solidum, committit generale Capitulum, quatinus omnes et singulas Ordinis personas, tam abbates, abbatissas, quam religiosos et religiosas, quos et quas invenerint abbati et conventui monasterii Claraevallis in aliquibus pecuniarum summis vel in quibuscumque aliis debitis, obligatos et obligatas, ad debite solvendum per censuras Ordinis compellant, in plenaria Ordinis potestate.

39. Ad idem, abbatibus de Caroliloco, de Regalimonte, s. th. pr., de Curia Dei et de Ioyaco, pro monasterio Prulliaci.

40. Ad idem, pro collegio Sancti Bernardi, Parisiis, abbatibus de Caroliloco et de Regalimonte, s. th. pr., et de Vallibus Sernay.

41. Ad idem, pro abbate de Pomerio, de Alba dominorum et de Novocastro ad cassandum omnes contractus illicitos, per praedecessorem suum, absque sui patris abbatis et Capituli generalis factos licentia.

42. Ad idem, pro abbate de Mulbrunna, praedicti abbates.
43. Ad idem, pro abbate de Caritate, abbatibus de Caroliloco, de Aceyo, s. th. pr., et de Monte Sanctae Mariae.

[DIFFINITIO] GENERALIS

44. Cum Ordo noster... contributionem sex millium florenorum... *etc. ut in anno* 1449.

1466

Anno [a] Domini millesimo quadrigentesimo sexagesimo sexto, statuta sunt haec apud Cistercium quartadecima die mensis septembris, in eiusdem Ordinis Cisterciensis Capitulo generali.

ORATIONES

1. Pro [b] beatissimo ac sanctissimo Domino nostro Domino... *(locus vacuus)* necnon... *etc. ut in anno* 1458.
2. Praeterea pro christianissimo... *etc. ut in anno* 1461.
3. Insuper pro burgensibus... *etc. ut in anno* 1449.
4. Ceterum pro pace... *etc. ut in anno* 1449.
5. Postremo pro felicis... *etc. ut in anno* 1449.

[DIFFINITIO] GENERALIS

6. Cum Ordo noster... *etc.* contributionem sex millium florenorum... *etc. ut in anno* 1449.

[ALIAE DIFFINITIONES]

7. Generale Capitulum quorumdam religiosorum et religiosarum indevotionem et negligentiam dolenter considerans,

---

1466. *Fontes* : L^4 : 1-123 ; *M* : 7, 8, 82 ; P^2 : 1, 7, 8, 11, 15, 52, 82.
[a] *Titulus apud* L^4. [b] Sub Paulo papa II, Philippo card. Bonon. Ord. protect., Frederico rege Rom., Ludovico rege Francorum, Carolo duce Burgundiae : P^2.

qui honorem Sanctae Trinitati debitum, et per nostros sacros patres tam solliciter et devote observatum et exhibitum, ad omnes « glorias » psalmorum in media pausa ultimi versus, secundum diffinitiones antiquas assurgendo, non exhibent, ipsam diffinitionem renovando, omnibus et singulis abbatibus in virtute sanctae obedientiae mandat et praecipit, quatinus hanc tam salutarem et honestam observantiam irrefragabiliter continuari faciant, in plenaria Ordinis potestate.

8. Cum iuxta saluberrima nostri Ordinis statuta, uniformitas, tam in habitu quam in modo vivendi, in ipso Ordine teneatur, et in nonnullis dicti Ordinis monasteriis conversi, etiam in uno et eodem monasterio, quandoque diversorum colorum habitus deferant ; generale Capitulum huiusmodi abusum tollere volens, singulis monasteriis Ordinis praecipit, ordinat et mandat, quod uniformitas in habitu teneatur ad exemplar conversorum Cistercii, videlicet quod deferant cappas, tunica, caputia et caligas panni grisei.

9. Capitulum generale toties graviter affligitur quoties aliqua in Ordine emergunt salutem animarum turbantia ; verum cum ad aures ipsius devenerit fratrem Ioannem Porteasne, Locicrescentis depositum abbatem, sic indebite vivendo egisse, quod temporale dicti monasterii irreparabili destructioni et ruinae appropinquet, et quod altius est dolendum, salus animarum, finis christianae religionis heu ! ibidem impeditur, regularis disciplina vitiatur, obedientia cassatur, continentia mergitur, et omnis virtus prope enervatur, Ordinis sententias excommunicationis de facto incurrendo, ipsum excommunicatum publicat et declarat. *(cf. ann. praec. n*° 20).

10. Generale Capitulum semper ad Ordinis honorem et manutenentiam et vehementer cupiens augere et multiplicare viros litteratos et doctos, qui ipsum scientia et doctrina illuminare valeant, renovat omnes et singulas commissiones ad compellendum abbates ad mittendum scolares Parisiis et ad alias Universitates, praecipiendo ipsis commissariis per generale Capitulum et dominum Cisterciensem, s. th. pr., deputatis et in futurum deputandis, per poenas et censuras in eisdem diffinitionibus et commissionibus contentas, ut diligenter et viriliter in his omnibus iuxta desiderium patrum Ordinis se acquittent, cum plenaria Ordinis potestate.

11. Capitulum generale praecipit abbatibus de Tribus fonti-

bus, de Igniaco, de Signiaco, de Valle clara, de Valle regis, de Ellancio, de Bonofonte, et ceteris abbatibus vicinis civitati Remensi, quatinus expensis communibus viriliter et exacte prosequantur et defendant quamdam exactionem dictam calceata, quam contra Ordinis privilegia incolae civitatis Remensis ab eisdem exigere et extorquere nituntur.

12. Generale Capitulum toto cordis affectu et in visceribus Christi monet et hortatur omnes et singulas Ordinis regulares personas, utriusque sexus et cuiuscumque gradus, dignitatis aut praeeminentiae fuerint, in Remensi et Coloniensi dioecesibus constitutis, quatinus pietatis et misericordiae intuitu, ad reparationem et relevationem monasterii de Molinis, Leodiensis dioecesis, penitus et totaliter destructi, manus porrigant adiutrices, aliis vero christifidelibus eleemosinas ad huiusmodi pie conferentibus, suffragia Ordinis misericorditer impartitur.

13. Capitulum generale non sine gravi cordis amaritudine audiens et informatum de horribili et enormi crimine fratris Ioannis Andrea, monasterii de Stolp, Caminensis dioecesis, qui diabolice et maligno spiritu motus, nocte mulierem fornicariam monasterium praedictum intrantem homicidium perpetrando interfecit, quod tamen, quia asserit se zelo bono et ad removendum scandalum Ordinis fecisse, et ad Ordinis correctionem humiliter confugit, misericorditer sibi poenam conspiratorum in *Libello Diffinitionum* contentam imponit, illum ad domum remotissimam videlicet ad monasterium de Campo principum transmittendo, poena conspiratorum per omnia puniendum, nunquam de cetero ad ipsum monasterium suae primae professionis, in quo casum commisit, de cetero reversurum, eiusdem monasterii abbati de Campo principum districte praecipiendo quatinus eum ad professionem recipiat et sancte ipsum vivere faciat.

14. Capitulum generale non modicum scandalizatum super irregulari modo vivendi fratris Iacobi Daruti, dudum religiosi monasterii de Lioncello, qui in detrimentum et denigrationem honoris Ordinis per saeculum evagando, sine abbate et pastore damnabiliter vivit, qui potius regi quam regere indigeret, curam praesumit habere et regimen ecclesiarum seu capellarum saecularium, sacramenta ecclesiastica ministrare non verendo ; quapropter ipsum praesens generale Capitulum eidem fratri Iacobo, in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae poena, districte praecipit et mandat, ut indilate et

sine mora post intimationem praesentis diffinitionis, ad aliquod Ordinis regulatum monasterium se transferat, ubi professionem faciet, totaliter saeculum relinquendo, quod nisi diligenter fecerit, praecipitur sub eisdem poenis abbati Aquaebellae, quatinus hanc diffinitionem exsequendo ipsum strictis carceribus usque ad plenam satisfactionem mancipet et detineat, seu mancipari et detineri faciat, in plenaria Ordinis potestate.

15. Cum necessitate urgente, religiosi abbas et conventus de Fusniaco, anno Domini 1463, die 5 iulii vendiderint abbati et conventui de Ursicampo unam pretiosam et pulchram crucem auream sumptuose factam et operatam, cum libertate eam infra triennium redimendi, si facultas adesset, quo tempore novissime elapso, propter guerrarum maxima impedimenta, dictam redemptionem facere dicti Fusniacenses non potuerunt, quia praedictus contractus in restitutione temporis ad redimendi facultatem limitatus et taxatus contra caritatem et Ordinis amicitiam fraternam esse dignoscitur, benevole Capitulum ipsum cassat, irritat et annullat, volens et praecipiens per censuras Ordinis dictis abbati et conventui Ursicampi, ut quoties ipsi de Fusniaco summam pro venditione dictae crucis receptam restituant, dictam crucem eisdem etiam reddere et restituere teneantur, omni dilatione semota, tali tamen conditione adiecta, ut nullo tempore ipsi de Fusniaco ipsam crucem alienare, aut extra manum suam ponere possint vel audeant.

16. Viso et diligenter examinato processu depositionis fratris Georgii Le Bourgeois, nuper abbatis monasterii Beatae Mariae de Moris, per dominum Claraevallis, s. th. pr., patrem abbatem immediatum eiusdem monasterii, factae, et appellationis super hoc ad hoc praesens generale Capitulum emissae, de qua se penitus et totaliter submisit eidem Capitulo et eius iurisdictioni, se referens processui domini Claraevallis super hoc facto, requirendo super suis forefactis misericordiam et veniam, ipsum generale Capitulum, matura deliberatione habita, sententiando declarat, diffinit et iudicat ipsum esse iuste et canonice depositum, eum tamen misericorditer recipiendo, rehabilitat ad omnes Ordinis actus legitimos, voces, gradus, officia, dignitates, etiam abbatiali inculsa dignitate, dummodo in contrarium huius diffinitionis de cetero venire non praesumat.

17. Generale Capitulum pio considerationis intuitu pericula praevidens, quae saepenumero in abbatum electionibus contin-

gere possunt, his pro viribus remedium apponere cupiens, abbati de Sancta Cruce concedit, ut in sua generatione dumtaxat electionibus praesidens, omnes et singulas personas Ordinis eidem subiectas absolvere et rehabilitare possit et valeat ad eligendum, electionis beneficium obtinendum active et passive, in plenaria Ordinis potestate.

18. Generale Capitulum contentatur, consentit et dispensat cum abbate de Misericordia Dei, Pictaviensis dioecesis, quatinus possit et valeat se transferre et transire ad monasterium de Albigniaco, et modernus abbas de Albigniaco similiter se transferre possit et valeat ad monasterium de Misericordia Dei, ibique quilibet ipsorum possit et valeat exsequi et exercere omnia et singula quae pertinent ad verum ius dignitatis abbatialis, et ipsis, sicut praemittitur, translatis praecipit et mandat idem generale Capitulum invirtute sanctae obedientiae, et sub poenis excommunicationis, religiosis amborum monasteriorum, quatinus eis indilate, vere et humiliter obediant prout eorum quemlibet tangit et tangere poterit, et eis professionem regularem faciant secundum formam statutorum Ordinis ; executionem huius diffinitionis abbati de Stella committendo, in plenaria Ordinis potestate.

19. Generale Capitulum propter abusus varios, rebelliones et inobedientias procuratori Ordinis factas et alias rationabiles causas, revocat licentiam datam fratri Dominico, monacho de Casamari, manendi in quocumque studio vellet, committendo ipsum in plenam iusrisdictionem et dispositionem ipsius generalis in Curia romana Ordinis procuratoris.

20. Generale Capitulum transitum fratris Pauli Falco, nuper professi in monasterio de Populeto, ad monasterium Sancti Bernardi extra muros Valentiae, auctoritate apostolica factum, gratum habet et validum, inhibendo moderno abbati de Populeto, ne super hoc ipsum molestare aut inquietare audeat.

21. Generale Capitulum quemdam tractatum per praedecessores moderni abbatis de Theoloco, s. th. pr., contra Ordinis statuta per praedecessores moderni abbatis de Theoloco, s. th. pr., contra Ordinis statuta et sine licentia patris abbatis et Capituli generalis, ac in praeiudicium dicti monasterii, et in fraudem ultra medietatem iusti pretii, factum cum quodam Ioanne Martini, cassat, annullat et revocat, in plenaria Ordinis potestate.

22. Per generale Capitulum districte praecipitur domino Mori-

mundi, quatinus omni dissimulatione semota, omnimodam diligentiam faciat ad manutenentiam scolaris de Insula, studentis in collegio Sancti Bernardi Parisiensis, et eiusdem moderni lectoris bibliae ordinarii, in plenaria Ordinis potestate.

23. Cum fratres Ioannes de Vendogrio, de Villalonga, et Ioannes de Plancholis, de Belloloco monasteriorum expresse professi, super iure per utrumque praetenso ad dignitatem abbatialem praedicti monasterii de Villalonga, pure plene et totaliter se submiserint ordinationi, dispositioni et determinationi praesentis generalis Capituli, renuntiantes omni appellationi futurae super hoc fiendae, ac omni iuri et occasioni per utramque partem praetensis, viso eorum processu et diligenter examinato, attentis et visis per partes hinc inde productis ex quo bulla apostolica pro parte dicti de Plancholis impetrata et per eum in hoc processu producta, expresse continet, quod eidem de dicto monasterio provideatur conditionaliter, et sub his verbis in forma videlicet : dummodo tempore datae praesentium eidem monasterio canonice provisum non existat, et clare constat et apparet per abbatem de Bonofonte, eiusdem monasterii patrem abbatem de consensu conventus fuisse eidem monasterio de Villalonga provisum de persona praefati fratris Ioannis de Vendogrio, diffinit, statuit et sententiat ipsum Capitulum generale, quod ipsi de Vendogrio sit et maneat verus et indubitatus abbas praedicti monasterii de Villalonga, dictam suam provisionem, institutionem et installationem approbando, ratificando et confirmando, silentium perpetuum alteri parti, sub censuris Ordinis, imponendo, in plenaria Ordinis potestate.

24. Abbati de Boheriis per generale Capitulum districte, in virtute salutaris obedientiae et sub aliis sententiis et censuris Ordinis praecipitur, quatinus omni dissimulatione postposita, contribuat et conferat portionem imbursationis scolaris de Vaucellis usque ad triennium, quod similiter et vice versa pro uno de suis pro tanto tempore facere tenebitur abbas de Vaucellis ; executionem huius diffinitionis abbati de Fusniaco committendo, in plenaria Ordinis potestate.

25. Ad idem, pro abbate de Vallibus in Ornesio, praecipitur abbati de Caroloco, et ad idipsum compellat abbas de Belloprato Metensi.

26. Generale Capitulum statuit et ordinat ut contributiones consuetae dari et ministrari provisori studii Tolosani distribuan-

tur et tradantur magistro Iacobo Guichardi, moderno provisori eiusdem studii, in subventionem et sustentationem expensarum quas ibidem facit, praecipiendo abbati per dominum Cisterciensem, s. th. pr., deputato, quicumque ille fuerit, quatinus illas sibi tradat seu tradi faciat.

27. Capitulum generale quemdam tractatum passatum et factum per religiosas abbatissam et conventum de Belloloco, alias de Viniagolo, super quibusdam terris quae sunt de mensa traditis sine licentia et auctoritate patris abbatis et Capituli generalis, tamquam contra Ordinis statuta factum, et indebite passatum, in fraudem et laesionem dicti monasterii, revocat et annullat in plenaria Ordinis potestate, abbatissae dicti loci in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis poena praecipiendo, quatinus hanc praesentem diffinitionem indilate debitae executioni demandari procuret.

28. Cum Capitulum generale anno elapso contumacem et excommunicatum denuntiaverit et denuntiari fecerit fratrem Ioannem Porteasne, quondam abbatem monasterii Locicrescentis, idem Capitulum non intendit quod dicta contumacia sic in ipsum promulgata proveniat,aut in ipso locum habeat, occasione cuiusdam casus novitatis per ipsum alias ab officiariis illustrissimi principis domini ducis Burgundiae impetrati.

29. Ordinationes in Angliae, per Ordinis reformatores ac ceteros patres in unum congregatis factas, generale Capitulum ratificat, confirmat et approbat, dummodo statutum domini Cistercii, s. th. pr., de solutione contributionum teneatur, videlicet quod una pars in reparationem Oxoniensem et pro conservatione privilegiorum ipsius Ordinis in dicto regno Angliae, et altera tribuatur Capitulo generali, praecipiendo collectoribus ad hoc deputatis, quatinus abbates dictas contributiones post requisitionem factam solvere renuentes, excommunicatos palam et publice denuntient, in plenaria Ordinis potestate.

30. Attentis grandibus criminibus et inhonesta vita fratris Dominici de Lainseys, prioris monasterii Bolbonae ad gradum doctoratus conscendere anhelantis in Universitate Tolosana, praesens generale Capitulum eidem inhibet sub excommunicationis latae sententiae poena, quatinus ad praefatum doctoratus gradum minime ascendere praesumat absque generalis Capituli expressa licentia, etiam abbati suo sub eadem poena inhibens ne hoc idem quoquomodo ipsi religioso permittat, ac rogans dominos

doctores ipsius Universitatis, ut ad hoc minime ipsum admittant, cuius diffinitionis executio abbati de Candelio in virtute salutaris obedientiae committitur.

31. Praesens generale Capitulum praecipit et mandat priori Beatae Mariae de Bella aqua, quatinus citissime redimat iocalia sive vasa argentea reliquiis plena, atque librum tertiam partem bibliae continentem per se impignorata, atque priori et prioratui de Gratia Beatae Mariae pertinentia ipsaque priori de Gratia restituat et ad hoc faciendum per censuras Ordinis, per abbatem Caroliloci, s. th. pr., viriliter compellatur.

SENTENTIAE

32. Cum controversia mota fuisset inter abbatissam monasterii de Wastina occasione decimae de Tardinghen ex una, et Margaretam Lenfousseyr partibus ex altera, visis, auditis et diligenter examinatis utriusque partis iuribus, generale Capitulum per suam diffinitivam sententiam statuit et ordinat, quod mediam partem praefatae decimae vel ipsius valoris praefatae Margaretae singulis annis, quamdiu vitam duxerit in humanis, habeat et percipiat, et reliqua pars praefato monasterio de Wastina similiter percipiet et habebit. Datum sub sigillo Diffinitorum dicti Capituli, in praesentia venerabilium et in Christo nobis carissimorum de Pontigniaco et de Claravalle, de Karoliloco et de Laude monasteriorum abbatum, necnon dilectorum fratrum Ioannis de Divione, provisoris collegii Sancti Bernardi Parisiis, Ioannis de Roma cellerarii de Claroloco, Mathei Achier cellerarii de Laude, ac etiam Ioannis Desbeaux capitanei de Gilleyo, magistri Ioannis Lamberti, Remigii de Brut et Gerardi de Zulpenes, die sexta decima.

33. Nos frater Hymbertus de Cistercio, s. th. pr., Thomas de Pontigniaco, s. th. bacc. form., Philippus de Claravalle, s. th. pr., Guillelmus de Morimundo, s. th. lic., Ioannes de Sancto Bernardo iuxta muros Valentinos, s. th. pr., et in Curia romana nostri totius Ordinis procurator generalis, monasteriorum abbates, commissarii per generale Capitulum ad infrascripta specialiter deputati, virtute cuiusdam diffinitionis ab ipso generali Capitulo emanatae, cuius tenor sequitur in haec verba : Nos frater Hymbertus, abbas Cistercii, ceterique Diffinitores, etc. generale Capitulum committit domino Cistercii, s. th. pr., de Pontigniaco,

s. th. bacc. form., de Claravalle, s. th. pr., de Morimundo, s. th. lic., et de Sancto Bernardo iuxta muros Valentinos, s. th. pr., et in Curia romana nostri totius Ordinis procuratori generali monasteriorum abbatibus, quatinus processum motum sive controversiam motam occasione contendentium ad dignitatem abbatialem monasterii Beatae Mariae de Basyngwerk, Assavensis dioecesis, visis, auditis et diligenter prius examinatis utriusque partis iuribus, in villa Divionensi sententient, diffiniant et terminent, in plenaria Ordinis potestate. Datum sub sigillo Diffinitorum dicti Capituli die, mense, anno et loco supradictis. Notum fecimus universis praesentes litteras inspecturis, quod causam motam inter venerabiles patres fratrem Edmundum Thonebar, abbatem monasterii Basyngwerk, Assavensis dioecesis, ex una, et coabbatem nostrum monasterii de Bildewas, Conventrensis et Lichfeldensis dioecesium,patrem abbatem praefati monasterii Basyngwerk, ac Fratrem Richardum Kyrkeby, monachum professum monasterii de Conwey, de-et super abbatiali dignitate praefati monasterii de Basyngwerk, partibus ex altera, quae coram praefato Capitulo generali in secunda instantia vertebatur, per hanc nostram diffinitivam sententiam decidimus, videlicet, Nos, praefati commissarii pro tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, per hanc nostram diffininitivam sententiam, partibus hinc inde ad praemissa citatis et auditis, unanimiter et concorditer pronuntiavimus et pronuntiamus, declaravimus et declaramus, praefatum fratrem Edmundum Thonebar fuisse et fore verum et indubitatum abbatem praefati monasterii de Basyngwerk, oppresionesque molestationes, vexationes et inquietationes sibi per praefatos patrem abbatem de Basyngwerk et fratrem Richardum Kyrkeby illatas fuisse et fore praesumptuosas, temerarias, et de facto ac nullius iuris, ordine servato, ipsisque patri abbati et fratri Richardo silentium perpetuum imponendum fore, et imponimus super vexationibus, molestationibus, oppressionibus et inquietationibus praefatis inhibentes sub excommunicationis latae sententiae poena praefato patri abbati, domino Henrico abbati de Bildewas, ne quamdiu vixerit, de visitatione, reformatione et provisione dicti monasterii de Basyngwerk ullatenus se intromittant, ipsosque praefatos patrem abbatem et fratrem Richardum in expensis occasione praemissorum factis condemnavimus et condemnamus, nobis aut domino Cistercii huiusmodi expensarum taxationem in posterum reservantes.

Datum Divione in praesentia venerabilium et in Christo carissimorum de Aceyo, s. th. pr., de Charitate, de Laude, de Claroloco, de Vaucellis, de Longovado, monasteriorum abbatibus, necnon dilectorum filiorum Ioannis de Divione, provisoris collegii Sancti Bernardi Parisiis, magistri Ioannis Lesel, s. th. pr., et in eodem collegio regentis, ac etiam honorabilium et discretorum virorum domini Philiberti Lacheti et Ioannis Desbeaulx capitanei Gilleii, sub nostrorum appendice sigillorum, die 16 mensis septembris anno [M CCCC] LXVI.

REHABILITATIONES

34. Ad supplicationem et requestam abbatissae monasterii monialium Beatae Mariae Regalis, dicti de Maloduno, in dioecesi Parisiensi, misericorditer dispensat generale Capitulum cum sorore Coletta de Sancto Hylario, eiusdem monasterii professa, ut non obstante inhabilitate et infamiae nota, quam incurrit semel visa et reperta cum uno homine saeculari in dormitorio dicti monasterii, et alibi pluries cum illo et aliis infra septa eiusdem monasterii,super quibus salutarem sibi impositam poenitentiam devote et humiliter fecit et implevit, ad omnes Ordinis actus legitimos, gradus, honores, officia et dignitates, abbatiali seclusa, promoveri valeat et assumi.

35. Ad idem, pro sorore Alienor, professa eiusdem monasterii, pro eisdem casibus, abbatiali dignitate seclusa.

36. Ad idem, pro fratre Matheo Garsel, religioso professo monasterii de Longovillari, qui ex suspicione accusatus et punitus, quod fuisset in eodem monasterio cum quadam muliere suspecta, et quod exivit per unam fenestram, multas rebelliones et inobedientias Ordini et hiis praesidentibus faciendo, etiam abbatiali seclusa dignitate.

37. Ad idem, pro fratre Thoma de Belvaco, religioso professo monasterii Caroliloci, qui inimici humanae salutis suadente versutia, bina vice monasterium proprium illicentiatus exeundo, et per saeculum una vice evagando apostatavit, habitu regulari semel dimisso, etiam abbatiali seclusa dignitate.

38. Ad idem, pro fratribus Nicolao de Monasterio, Ioanne de Albocastro, Thoma de Hagennogia et Wandalino de Albocastro, ad supplicationem sui abbatis, quorum duo primi in contagio carnis et apostasia, habitu regulari non dimisso, alii duo propter

carceris fractionem et apostasiam, habitu religionis non dimisso, seclusa abbatiali dignitate.

39. Ad idem, pro fratre Ioanne de Sottingen, religioso professo monasterii de Porta, qui licentia non obtenta, illicentiatus exivit per mensem, extra morando, super quo salutarem egit poenitentiam.

40. Ad idem, pro fratre Andrea, monacho de Cella angelorum, qui suadente generis humani inimico, apostatavit.

41. Ad idem, pro fratribus Cauderon et Arnoldo Donet, professis monasterii de Laude, pro apostasia, eundo sine licentia contra Turcos.

42. Ad idem, pro fratribus Ludovico de Firmitate Auculpi religiosis monasterii de Longoponte, primus pro fractione carceris et apostasia, et alius similiter.

43. Ad idem, pro fratre Sebastiano Grandin, religioso de Boheriis, qui deposito regulari habitu, illicentiatus ivit contra Turcos.

44. Ad idem, pro fratre Ioanne Cousin, religioso de Bonofonte, qui per spatium 24 annorum apostatavit.

45. Ad idem, pro fratre Nicasio de Vinci, religioso de Fusniaco, pro apostasia octo dierum.

46. Ad idem, pro fratre Ioanne Siquardi, monasterii Fontisfrigidi professo, pro simplici apostasia et unica, habitu regulari non dimisso.

47. Ad idem, pro fratre Ponsardo Lupi, religioso de Cistercio, qui apostatavit per biennium et contra Ordinis statuta in romana Curia impetravit litteras domini cardinalis Hostiensis, ut ab Ordine esset exemptus, quibus litteris renuntiavit.

48. Ad idem, pro sorore Agnete Methlerin, religiosa de Braella, pro contagio carnis, bino puerperio inde secuto.

49. Ad idem, pro sorore Maria Cullerek, religiosa de Paraclito, pro carnis contagio, puerperio inde secuto.

COMMISSIONES

50. Audita lamentabili relatione facta per solemnem oratorem christianissimi domini nostri Francorum regis, et illustrissimi domini ducis Borbonii, super desolatione regiminis monasterii Septem fontium et personas eiusdem, generale Capitulum committit abbatibus de Fontemorum et de Nigrolacu coniunctim,

quatinus quamcitius commode fieri poterit, ad ipsum monasterium personaliter accedentes, ibidem visitent, corrigant et reforment omnia et singula, quae ibidem invenerint corrigenda, emendanda et reformanda, in plenaria generalis Capituli potestate.

51. Abbatibus de Blusecio [*Bledzovio*], Poznaniensis dioecesis, et de Novacella, et eorum cuilibet in solidum per generale Capitulum committitur decisio et determinatio controversiae et querelae ortae et motae inter abbatem et conventum monasterii de Obra, ex una, et abbatem monasterii Vagrovicensis, partibus ex altera, illis et eorum cuilibet per censuras Ordinis districte praecipiendo et mandando, quatinus partibus hinc inde auditis, ministrent brevis et bonae iustitiae complementum, et easdem querelas et controversias in bona Ordinis caritate diffiniant et terminent, et per eos diffinita, sententiata et ordinata, per partes realiter et cum effectu observari faciant, in plenaria Ordinis potestate.

52. Generale Capitulum committit domino Cisterciensi, s. th. pr., potestatem confirmandi decretum electionis factae de persona fratris Ioannis Trovardi [c], religiosi de Fonteneto, ordinandi ad dignitatem abbatialem dicti monasterii, et terminandi totam difficultatem seu controversiam, quam movit et praetendit frater Ioannes de Baigneux, nuper abbas dicti monasterii contra dominum Claraevallis, s. th. pr., patrem abbatem eiusdem monasterii, quoad factum et modum procedendi suae depositionis.

53. Abbati de Sancto Bernardo prope Valentiam, s. th. pr., generali in Curia romana procuratori, per generale Capitulum in virtute salutaris obedientiae, et sub poenis excommunicationis et aliis censuris Ordinis praecipit, quatinus diligenter, realiter et cum effectu compellat omnes et singulas Ordinis moniales in partibus Italiae, Lombardiae, seu aliis partibus vicinis, sub quibuscumque dominiis existant, ad portandum habitum Ordinis regularem, videlicet mantellum album et tunicam albam cum scapulari nigro, secundum communem Ordinis observantiam et eas ad bene et regulariter vivendum cogat, in plenaria Ordinis potestate.

54. Eidem per generale Capitulum committitur, ut quamci-

[c] Fronarsi : *P*².

tius commode poterit, ad monasterium monialium Sancti Spiritus extra muros Istenses se personaliter transferendo, processum suum ordinarium faciat super rebellionibus, contumaciis et inobedientiis abbatissae dicti monasterii, propter non solutionem subsidii ab Ordine sibi et monasterio suo impositi,etiam si opus sit, usque ad depositionem eiusdem inclusive, et si ad dictum monasterium monialium non sibi pateret tutus accessus, dictum suum processum facere possit in aliquo alio Ordinis monasterio propinquo, ceteraque hoc factum concernentia exerceat, in plenaria Ordinis potestate.

55. Abbati de Campo principum praecipit generale Capitulum, quatinus per censuras Ordinis compellat fratrem Iacobum de Sancti Wandelino, professum monasterii de Valle Sanctae Mariae, alias Sturzbrun et nuper eiusdem abbatem, ad redeundum ad veram et plenam sui abbatis obedientiam, et super vita et moribus eiusdem fratris se diligenter et debite informet, et si eum lubricum et vitiosum in scandalum Ordinis viventem reperiat, prout fama currit, etiam corrigat et puniat illum, pensione sua privando et ad communem vitam monachorum reducendo, eumque ad aliud monasterium remotum transmittat, si informatione facta in ipso monasterio cum disturbio abbatis et religiosorum residere inveniat, sique illud monasterium reperit adeo depaupertatum, ut scolarem expensis monasterii in Universitate Heidelbergensi tenere non possit, illud ad hoc supportet et pro hoc anno excusatum teneat, et si ad idem monasterium sibi non sit tutus accessus, processum suum vocatis vocandis faciat in monasterio de Novocastro, vel de Uterina valle vicinis, in plenaria Ordinis potestate.

56. Abbati de Vallecrescenti, per generale Capitulum committitur, quatinus diligenter et debite se informet super commoditate vel incommoditate cuiusdam tractatus facti et passati inter abbatem et conventum monasterii de Lioncello, et Guillelmum et Ioannem Morini fratres, prout in litteris super hoc confectis, quibus haec praesens diffinitio annectitur plenius continetur, et si ipsum tractatum utilem fore eidem monasterio repererit, generali Capitulo referat.

57. Ad idem, domino Claraevallis, pro abbate et conventu de Rigniaco, cum Ioanne Prevost de Montgangnier, cum plenaria generalis Capituli potestate.

58. Generale Capitulum committit domino Pontigniaci visi-

tationem et reformationem omnium et singulorum monasteriorum suae generationis utriusque sexus, sibi tam mediate quam immediate subiectorum, in plenaria Ordinis potestate.

59. Abbatibus de Castellariis et de Pinu, et provisori collegii Sancti Bernardi Parisiis, et eorum cuilibet in solidum, per generale Capitulum districte in virtute salutaris obedientiae, et sub poenis excommunicationis latae sententiae, praecipitur, quatinus cum generale Capitulum iam una vice viderit cedulam obligatoriam abbatis de Gratia Dei, de summa 30 scutorum auri per ipsum eidem collegio debitorum, quam tamen pluries debite et instanter requisitus solvere renuit et recusavit, unde tamen processibus quam in multis viagiis, hac occasione factis, maximas expensas idem collegium incurrit, Ordinis iurisdictione et iustitia in hoc laesa et contempta, dictum abbatem de Gratia Dei per censuras Ordinis moneant realiter et cum effectu cogant, astringant ad solvendum et satisfaciendum eidem collegio de dicta summa scutorum aureorum, alias ipsum publice et palam excommunicent, et excommunicatum declarari faciant, et ad valvas publicas affigi procurent, omnis oppositionis et appellationis obstaculo semoto, in plenaria Ordinis potestate.

60. Abbatibus de Campo Mariae et de Campo veteri praecipit et mandat generale Capitulum, quatinus ad requestam reverendissimi domini archiepiscopi Coloniensis et illustris ac generosi domini Ioannis ducis Clivensis, intendant ad inclusionem et reformationem monasteriorum monialium, in eorumdem dominiis situatorum, in plenaria Ordinis potestate.

61. Generale Capitulum districte praecipit et mandat sub poenis et censuris Ordinis magistri Iacobi Guichardi, s. th. pr., et provisori collegii Sancti Bernardi Tolosani, quatinus per easdem Ordinis censuras et omnes alias iuris et iustitiae vias, compellat abbates Bonifontis ad solvendum venerabili et honesto viro Petro Albi, mercatori Bellimontis, summam 50 scutorum auri, eidem mercatori per dictum abbatem, ut asserit, debitorum, in plenaria Ordinis potestate.

62. Generale Capitulum committit abbati de Campo liliorum, dioecesis Pataviensis, visitationem et omnimodam reformationem monasterii monialium ad Sanctum Spiritum in Ybsa, cum potestate instituendi et destituendi, in capite et in membris, in spiritualibus et temporalibus, quae secundum Deum et Ordinis statuta, fuerint instituenda et destituenda ; de confessoribus quo-

que idoneis Ordinis, quoties expedierit, providendi, et si ipsum per mortem aut alias vacare contigerit, de persona Ordinis sufficienti et idonea, electione canonica vel alias, ipsi monasterio providendi, regulares personas semel quolibet anno, in foro conscientiae audiendi et eas ab omnibus et singulis casibus et excommunicationum sententiis etiam Capitulo generali specialiter reservatis absolvendi, computationes audiendi et eas approbandi seu reprobandi, in plenaria Ordinis potestate, praesentibus in suo vigore per decennium immediate sequens duraturis.

63. Ad idem, de monasterio monialium ad Sanctum Nicolaum in Wienna extra muros, quod cum simili potestate et tempore commissum est abbati de Sancta Trinitate in Nova civitate.

64. Capitulum generale committit abbati de Dargon, quatinus se debite et iuste informet de sententiis et irregularitatibus fratrum et religiosorum monasterii de Hudense, et ab eisdem sententiis et irregularitatibus, quas incurrerunt se iudicibus saecularibus subdendo, quantum iuris et iustitiae ordo permittit, absolvat et rehabilitet, in plenaria Ordinis potestate.

65. Generale Capitulum praecipiendo committit abbati de Luzella, *etc. ut in anno* 1463, *nº* 94.

66. Capitulum generale vult et praecipit abbati monasterii Morimundi, *etc. ut in anno* 1463, *nº* 95.

67. Capitulum generale committit abbati de Alpibus, *etc. ut in anno* 1463, *nº* 96.

68. Capitulum generale committit abbatibus de Lucella et de Capella, *etc. ut in anno* 1463, *nº* 102.

69. Capitulum generale ordinat abbati de Campo principum, quatinus fratrem Paulum, quondam abbatem dicti monasterii, quem in carceribus propter sua demerita tenet, de dictis carceribus ad mitiores usque ad nutum dicti Capituli relevet intuitu pietatis, dum tamen inde non evadat.

70. Per Capitulum generale abbati de Villari committitur, quatinus personaliter se transferat ad monasterium de Vaucellis, et fratres Ioannem Antonii et Ioannem Comittis, per abbatem Claraevallis de conspiratione convictos, qui praeterea carceribus fractis iniuriose minas in proprium suum abbatem dicti monasterii de Vaucellis iniecerunt, in plenaria Ordinis potestate, ut ceteris cedat in terrorem et exemplum ad remotissima, diversaque monasteria sine spe reversionis expellat et emittat.

71. Capitulum generale committit abbatibus de Regalimonte,

s. th. pr., et de Signiaco iudicibus, quatinus summarie et de plano sine magno strepitu terminent, decidant, et fine debito concludant controversias, processus seu lites, motos seu motas aut moveri paratos vel paratas, inter abbatem et conventum monasterii de Caroliloco ex una, et abbatem et conventum de Igniaco partibus ex altera, coram quibus commissariis convenient et comparebunt dictae partes in monasterio de Longoponte, per eos unanimiter ad iudicantiam sui processus sponte electo, ubi ex nunc coram ipsis commissariis praefatas partes citat praefatum generale Capitulum ad octavam diem post instans festum sancti Martini hyemalis, vel ad primam iuridicam immediate sequentem comparituras, et ut iuris fuerit processuras Ordinis, districte inhibendo ne dictos abbatem et conventum de Caroliloco trahat vel citet seu trahi vel tractari faciat coram quocumque iudice qui non sit de Ordine, quodque, sicut medio iuramento promisit, sui proprii monasterii sumptibus et expensis temporale monasterii Caroliloci, quod in manu regia procuravit, inde trahi faciat, et expensas contumaciae quam incurrit non comparendo coram commissario Capituli generalis et executionis inde secutae, rationabiliter refundat et solvat eisdem commissariis, praecipiendo ut partibus auditis ministrent brevis et bonae iustitae complementum, in plenaria Ordinis potestate.

[DIFFINITIONES] SPECIALES

72. Capitulum generale sub poenis inobedientiae et gravis punitionis praecipit fratri Yvoni Trousson, *etc. ut in anno* 1463, *n*° 103.

73. Capitulum generale monet abbatem de Tribus fontibus, *etc. ut in anno* 1463, *n*° 97.

74. Capitulum generale praecipit abbati de Belloprato, *etc. ut in anno* 1463, *n*° 99.

75. Capitulum generale mandat et praecipit abbati et conventui monasterii de Fonte salutis, *etc. ut in anno* 1463, *n*° 100.

76. Ad idem abbati et conventui monasterii de Albigniaco, *etc. ut in anno* 1463, *n*° 101.

77. Abbatem monasterii Morimundi in Mediolanensi dioecesi, per procuratorem generalem Ordinis sufficienter ad Capitulum generale citatum, non comparentem neque per se neque per procu-

ratorem, contumacem et excommunicatum idem generale Capitulum declarat et denuntiat; et nihilominus quia per annum in contumacia remansit, missasque in ipsa contumacia persistens celebrare non formidans irregularitatem incurrit, idem Capitulum sua dignitate abbatiali privat et deponit, praecipiens eidem procuratori, quatinus praesentem diffinitionem executioni demandare non omittat, de novo abbate in ipso monasterio secundum statuta Ordinis providendo, in plenaria Ordinis potestate.

78. Abbati de Cornu, Laudensis dioecesis, praecipitur per generale Capitulum sub poena depositionis, quatinus infra octo dies ab intimatione praesentis diffinitionis, gerat et suis religiosis gerere faciat regularem habitum secundum formam nostrae sacrae religionis, et in casu recusationis, procuratori Ordinis idem Capitulum praecipit et mandat, quatinus dictum abbatem de Cornu ab abbatiali dignitate amoveat et deponat, aliumque secundum Ordinis statuta instituat et admittat, in plenaria Ordinis potestate.

79. Ad idem, de fratre Andrea de Gouffre, alias de Amblaniaco, olim abbate monasterii de Bonavalle, Viennensis dioecesis, citato per commissionem domini abbatis Firmitatis, vicegerentem domini abbatis Cistercii, ipsius monasterii patris abbatis.

80. Ad idem, de abbate monasterii Calercii, ipsius monasterii patris abbatis [*sic*].

81. Abbatem de Schonowia per dominum Morimundi ad Capitulum generale citatum non comparentem, praefatum Capitulum generale contumacem et excommunicatum declarat et denuntiat, committitque idem Capitulum abbati de Campo principum, quatinus praefatum abbatem fore et esse contumacem et excommunicatum palam et publice denuntiet, ac puniat et corrigat religiosos ipsius monasterii rebelles ipsi domino Morimundi, secundum suorum exigentiam delictorum, incarceretque fratrem Ioannem de Staffelstein ad tempus, qui animo malevolo posuit in praefatum dominum Morimundi, eidem quamdam cedulam in manu tenentem violenter auferendo, et poenitentia peracta emittatur ad aliud Ordinis monasterium ad remotas partes, non reversurus inde absque generalis Capituli licentia et beneplacito; insuper praefatum Capitulum sufficienter informatum de tepiditate et negligentia ipsius abbatis Schonowiae non providendo venerabili collegio in Heydelberga, prout ad

ipsum spectabat, de provisore sufficiente et idoneo, occasione eiusmodi ipsum collegium in utroque regimine pergrande passum est detrimentum, dicti abbatis defectus supplere peroptans et ipsi collegio pro hac vice utilius providere cupiens, ipsi abbati de Campo principum praecipit et mandat, quatinus in ipso collegio provisorem instituat et ordinet venerabilem fratrem Ioannem Seyler, s. th. bacc., et in monasterio Fontis salutis professum, in plenaria ipsius Ordinis potestate. Insuper idem Capitulum, sinum misericordiae poenitentibus liberaliter aperiens, eidem abbati de Campo principum committit ut assumptis secum duobus vel pluribus abbatibus, abbatem Schonowagensem humili corde veniam postulantem et emendationis remedium promittentem, post poenitentiam debite peractam benigne tractet et absolvat ; et si supradictus frater Ioannes Seyler dictum provisoratus officium certis ex causis assumere noluerit, alium quemdam probum et idoneum loco eius instituat et promoveat, in plenaria Ordinis potestate.

82. Generale Capitulum condolendo [d] audiens quod quidam magister Ioannes Batoneti nuncupatus, utriusque iuris doctor, dicens se commendatarium in monasterio Bonarum vallium, Viennensi, virtute quarumdam litterarum apostolicarum vult se intromittere, contra nostri Ordinis privilegia, visitando et reformando certa monasteria generationis ipsius monasterii Bonaevallis ; idem Capitulum praefato magistro Ioanni commendatario praetenso inhibet sub excommunicationis latae sententiae poena, ne de cetero ad huiusmodi monasteria visitandum et reformandum se quoquomodo intromittat, omnibus et singulis dictae generationis abbatibus et abbatissis sub [e] poena depositionis, et religiosis eorumdem sub gravibus Ordinis censuris prohibens, ne quovismodo praefato commendatario praetenso visitare aut praefata monasteria reformare volendo obediant, faveant, auxilium vel favorem praestent, quinimo si temerarie sententiis aut aliis poenis eos plecti vellet huiusmodi refutationis occasione, ad generale Capitulum aut ad Sanctam Sedem Apostolicam provocent et appellent, declarando sententias per eum latas aut ferendas nullius vigoris aut momenti fore.

83. Praesens generale Capitulum statuit et ordinat quod, ex

---

[d] *deest MP*[2]. [e] sub etc. : *sic desin. MP*[2].

quo abbas Signiaci iam per triennium contulit portionem imbursationis scolaris de Ellancio, quod etiam ipse de Signiaco de cetero per tantum temporis scolarem de suo proprio monasterio teneat cui similiter mediam partem imbursationis praefatis de Ellancio et suum monasterium administrare teneantur, omni dilatione semota et ad ipsum ad hoc compellendum per censuras Ordinis et alias iuris et iustitiae vias, committit abbati de Igniaco, in plenaria Ordinis potestate.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

84. Electionem, promotionem et installationem de persona fratris Ludovici Le Baudoul, alias de Tornaco, religiosi professi de Fusniaco, ad dignitatem abbatialem ipsius monasterii, per abbatem Claraevallis, patrem abbatem dicti monasterii factas, tamquam canonicas, prout in decreto... *etc.* confirmat.

85. Ad idem, pro fratre Petro de Aubentono, religioso professo monasterii de Bonofonte, ad dignitatem abbatialem dicti monasterii, per abbatem Signiacensem, patrem abbatem eiusdem monasterii.

86. Ad idem, pro fratre Georgio, religioso professo et nuper suppriore monasterii Beatae Mariae de Alderspach, Pataviensis dioecesis, ad dignitatem abbatialem eiusdem monasterii, per abbatem Ebracensem, patrem abbatem immediatum eiusdem monasterii.

87. Ad idem, pro fratre Ioanne Hachart, religioso professo monasterii Beatae Mariae de Altofonte, ad dignitatem abbatialem dicti monasterii, per abbatem Claraevallis, s. th. pr., eiusdem monasterii patrem abbatem immediatum.

88. Ad idem, pro fratre Mathia Wittecerp, monasterii de Walkenrede, Maguntinensis dioecesis, expresse professo, et nuper priore, ad dignitatem abbatialem dicti monasterii, per abbatem Morimundi, ex commissione et plenaria auctoritate Capituli generalis.

89. Ad idem, pro fratre Antonio Regis, monasterii Beatae Mariae de Altochristo, Lausannensis dioecesis, expresse professo, ad dignitatem abbatialem praefati monasterii, per abbates de Altaripa et de Thela, commissarios domini Claraevallis, s. th. pr., patris abbatis immediati eiusdem monasterii.

90. Ad idem, pro fratre Egidio Limborg, religioso professo monasterii Beatae Mariae de Valle Dei, Leodiensis dioecesis, et eiusdem loci nuper bursario, ad dignitatem abbatialem dicti monasterii, per abbatem Vallis Sancti Lamberti, commissarium domini Claraevallis, s. th. pr., patris abbatis immediati eiusdem monasterii.

91. Ad idem, pro fratre Ioanne Stantenat, religioso monasterii Beatae Mariae de Lucella, et eiusdem monasterii subcellerario, ad dignitatem abbatialem dicti monasterii, per dominum abbatem Morimundi, commissarium cum plenaria potestate Capituli generalis.

92. Ad idem, pro fratre Adam, nuper abbate de Altofonte, ad dignitatem abbatialem monasterii de Tribus fontibus, per dominum abbatem Claraevallis, s. th. pr., promoto et installato, patrem abbatem immediatum eiusdem monasterii.

93. Ad idem, pro fratre Ioanne Bacquelier, religioso professo monasterii de Moris, et nuper priore eiusdem monasterii, ad dignitatem abbatialem dicti monasterii, per dominum Claraevallensem, s. th. pr., patrem abbatem eiusdem monasterii.

94. Ad idem, pro fratre Ioanne Buchen, monasterii de Porta, Nuemburgensis dioecesis, expresse professo, ad dignitatem abbatialem praefati loci, per dominum Morimundi, commissarium Capituli generalis.

95. Ad idem, pro fratre Ioanne Sindring, religioso professo monasterii de Speciosa valle, ad abbatialem dignitatem ipsius monasterii, per abbatem de Caesarea, patrem abbatem immediatum eiusdem monasterii.

96. Ad idem, pro fratre Ioanne de Roseyo, religioso professo monasterii de Sigilleriis, Trecensis dioecesis, ad abbatialem dignitatem eiusdem monasterii, per promotionem et installationem abbatis de Ioayaco, patris abbatis immediati eiusdem monasterii.

DISPENSATIONES

97. Generale Capitulum misericorditer et benigne dispensat cum abbate de Igniaco, ut suos religiosos, et alios per dominum Claraevallensem, s. th. pr., et per dominum episcopum Cenomanensem, sibi commissos vel committendos, pro semel ab omnibus

irregularitatibus, excommunicationibus et sententiis et aliis casibus generali Capitulo et domino Cistercii reservatis, possit et valeat in foro conscientiae absolvere, et novitios infra annum probationis, dummodo residuo temporis sui renuntiare voluerint et aetatem habeant legitimam, munus benedictionis impertiri.

98. Ad idem, pro abbate Frigidimontis et suis ; abbate Caroliloci et suis ; de Longoponte et de Belloprato Belvacensi.

99. Generale Capitulum misericorditer dispensat cum fratre Ioanne, Populeti quondam monacho expresse professo, quatinus in aliquo alio Ordinis regulato monasterio, ubicumque benevolum invenerit receptorem, profiteri et vota sua Domino Deo reddere et solvere valeat.

100. Generale Capitulum attentis et consideratis litibus, discordiis et processibus factis per fratrem Gerardum, abbatem de Castellione, in prosecutione sui iuris ad dignitatem abbatialem dicti monasterii, dehinc ad decennium moderatur et reducit suas contributiones ad quatuor florenos pro quolibet anno.

101. Idem Capitulum generale attentis paupertate, penuria et desolationibus monasterii Sancti Martini, Astoricensis dioecesis, intuitu pietatis, relaxat contributiones eiusdem monasterii ad summam septem ducatorum pro quolibet anno, dehinc usque ad quatuordecim annos inclusive.

102. Generale Capitulum misericorditer agere desiderans cum abbate et conventualibus personis monasterii de Ierusalem in Frisia, abbatibus monasterii de Clarocampo, de Floricampo et de Sancto Bernardo in Aedwert, et cuilibet eorum plenariam confert potestatem et auctoritatem praefatum abbatem de Ierusalem, ac omnes et singulas praedicti monasterii regulares personas in foro conscientiae audiendi, et eas ab omnibus reservatis, cum poenitentia salutari absolvendi, ac cum ipsis super irregularitatibus, si quas contraxerint immiscendo se divinis aliqua sententia innodati, dispensandi in ipsius Ordinis plenaria potestate.

103. Ad idem, pro abbate et personis regularibus monasterii Altaecumbae pro semel et in sua generatione.

104. Ad idem, pro monialibus monasterii Sancti Spiritus extra muros Uttlause (?).

105. Propter paupertatem, desolationem et inopiam monasteriorum de Igniaco, de Signiaco, de Valle regis, et de Bonofonte, generale Capitulum eis misericorditer et benigne concedit ut simul teneant unum scolarem Parisiis in collegio Sancti Bernardi,

ad scientiam et bonos mores bene dispositum, ipsis in virtute sanctae obedientiae, et sub excommunicationis poena districte praecipiendo, quatinus super hoc ad invicem concordantes, unum ad hoc dispositum cum bonis et sufficientibus provisionibus ad idem collegium, omni dilatione et excusatione semota, transmittant, alias contra eos et eorum quemlibet procedetur secundum formam et tenorem commissionum per idem Capitulum iam super hoc confectarum, in plenaria Ordinis potestate.

COMMISSIONES

106. Contumacem et excommunicatum denuntiat generale Capitulum abbatem de Silvanesio, citatum per abbatem de Mansiade, ipsius monasterii immediatum patrem abbatem, per se vel alium minime comparentem, et nihilominus quia dictus abbas inventus est culpabilis de causa mortis fratris Ioannis Salvanlus dicti monasterii religiosi, qui in districtissimis carceribus ipsum absque causa longo tempore in compedibus lineis et ferreis mancipavit sic durissime tractando, aut tractari faciendo, quod in ipsis carceribus cum magna pietate mortuus repertus est, idem Capitulum praefatum de Silvanesio a sua abbatiali dignitate deponit et tamquam homicidam reputat, praecipitque dicto patri abbati ipsius monasterii, quatinus ipsum carceribus mancipet, et detineat usque ad nutum Capituli generalis, dicto monasterio de novo abbate secundum Ordinis statuta providendo.

107. Per generale Capitulum committitur abbatibus de Altasilva et de Villerio, Metensis dioecesis, et eorum cuilibet per se et in solidum, quatinus si eis constiterit legitime quod abbas et conventus monasterii de Pomerio teneantur annis singulis monasterio Belliprati in duabus carucis vini legalis, et de ipsius debiti possessione ipsos abbatem et conventum monasterii praefati de Pomerio, ad satisfaciendum et solvendum dictis de Belloprato viriliter per Ordinis censuras coerceant et compellant, in plenaria Ordinis potestate.

108. Generale Capitulum committit domino Cistercii, de Pontigniaco, de Claravalle, de Morimundo et de Sancto Bernardo iuxta muros Valentiae monasteriorum abbatibus, quatinus processum motum sive controversiam ortam occasione contendentium ad abbatialem dignitatem in monasterio de Basingel-

bert, visis, auditis et diligenter prius examinatis utriusque partis iuribus, in Divione sententient, terminent et diffiniant, in ipsius Ordinis plenaria potestate.

109. Committit generale Capitulum abbati monasterii de Dalon, quatinus per censuras Ordinis compellat abbatem monasterii Beatae Mariae de Petrosa ad recipiendum fratrem Bernardum de Borellis religiosum suum, et cum aliis religiosis suis caritative tractandum, in plenaria ipsius Ordinis potestate.

110. Generale Capitulum praecipit et mandat domino Claraevallensi, s. th. pr., quatinus quamprimum poterit, se informet de vita et moribus fratris Symonis Evrardi, religiosi monasterii de Fonteneto, et si per debitam informationem invenerit praefatum fratrem Symonem fore et esse culpabilem et inhoneste se gerentem, ipsum secundum suorum exigentiam delictorum puniat et corrigat sic quod ceteri metum habeant, cassando et annullando pensionem alias sibi per Ordinem assignatam et concessam, aut ipsam sic moderando quod summam in statutis Ordinis pro sponte cedentibus et benemeritis designatam non excedat, et nihilominus ipsum fratrem Symonem compellat viriliter et exacte ad commorandum in monasterio suo, et non alibi, eidem iniungendo quod missas ordinarias ibidem celebret aut celebrari faciat, et ecclesiam humiliter et devote frequentet, aliis suis fratribus exemplum salutare ostendendo.

111. Committit generale Capitulum dominis de Pontigniaco et de Morimundo monasteriorum abbatibus, quatinus hic propriis diebus in villa Divionensi diligenter videant et examinent quemdam processum deductum coram abbatibus de Regalimonte, s. th. pr., et de Valle Nostrae Dominae, inter priorem de Penthemonte ex una, et fratrem Ioannem Douchin partibus ex altera, in quo erat appellatum ad generale Capitulum, coram quibus de Pontigniaco et de Morimundo producant ipsae partes quidquid voluerint producere, et ministrent eis celeris et bonae iustitiae complementum, in plenaria Ordinis potestate.

112. Visitationem et reformationem monasteriorum provinciae Saltzburgensis, ac etiam in toto dominio illustrissimi principis domini Ludovici ducis Bavariae in Landshberg commorantis, utriusque sexus, generale Capitulum quamplurimum desiderans, abbati de Campo principum benigne committendo praecipit et mandat, quatinus ad omnia et singula monasteria in praefata provincia consistentia quoties toties necesse fuerit persona-

liter accedat, in eisdem visitando, reformando, corrigendo et destituendo omnia et singula quae invenerit visitanda, reformanda, corrigenda et destituenda, in capitibus et in membris, in spiritualibus et temporalibus, abbates quoque et officiarios praedictorum monasteriorum per censuras Ordinis ad solvendum contributiones viriliter et exacte compellat, necnon et singulas utriusque sexus praedictorum monasteriorum regulares personas in foro conscientiae audiat et ab omnibus peccatis, casibus et excommunicationum sententiis ipsi Capitulo specialiter reservatis, cum poenitentia salutari semel quolibet anno absolvat, ac dispenset super irregularitatibus inde contractis, apostatas quoque et alias regulares personas Ordinis honorem denigrantes detineat, aut sic puniat secundum suorum exigentiam delictorum, quod aliis cedat in exemplum ; et generaliter omnia et singula circa praemissa et ea tangentia agat et faciat, quae agere et facere posset idem Capitulum generale, invocato ad hoc, si opus fuerit, quorumcumque iudicum ecclesiasticorum vel saecularium auxilio et favore, sumptibus et expensis rationabilibus praefatorum monasteriorum, procurentque praefati abbates ipsi commissario in suis agendis salvum conductum.

113. Abbati de Igniaco per generale Capitulum committitur, ut quam citius commode poterit, ad monasterium de Longoponte se personaliter transferat et se diligenter et debite informet de vita, conversatione et moribus fratris Iacobi de Meldis, nuper ipsius monasterii abbatis, et si ipsum repererit tam luxuriose in scandalum Ordinis viventem, et quamdam mulierem uxoratam quam a longo tempore in maximam sui et Ordinis infamiam tenuit, et fuit nuper secum in eodem monasterio de nocte reperta, illum per duros carceres et alias puniat per dimissionem ab eodem monasterio et privationem suae pensionis, in plenaria Ordinis potestate.

114. Abbatibus de Tribus fontibus, de Igniaco et de Longovado, et eorum cuilibet per se et in solidum, praesens generale Capitulum committit, quatinus omnes et singulas Ordinis personas utriusque sexus et earumdem monasteriorum, seu quaecumque loca, quas et quae per testes fide dignos, litteras obligatorias, acta seu alia legitima documenta invenerint domino Claraevallis, suoque monasterio debite teneri obligatas sive obligata, sive quaecumque eorumdem bona detinentes aut indebite occupantes, tam in pecuniarum summis, redditibus seu qui-

buscumque aliis bonis aut debitis, ad eisdem plenarie et realiter satisfaciendum adstringant et compellant, in plenaria Ordinis potestate.

115. Ad idem, abbatibus de Regalimonte, s. th. pr., de Longoponte et de Vallibus Sernaii, et eorum cuilibet in solidum, pro abbate et conventu Beatae Mariae Caroliloci.

116. Ad idem, abbatibus de Caroliloco, de Regalimonte, s. th. pr., tam coniunctim quam divisim, de Ioyaco et de Vallelucenti, pro abbate et conventu Pruliaci.

117. Ad idem, abbatibus de Claravalle, de Caroliloco et de Regalimonte, s. th. pr., tam coniunctim quam divisim, pro prioratu de Gratia Beatae Mariae.

118. Abbatibus de Misericordia Dei, de Cadunio et de Gratia Dei, et eorum cuilibet praecipit et mandat generale Capitulum, quatinus fratrem Ioannem Maillot, suis criminibus et perversis moribus Ordinis honorem plurimum denigrantem, ubicumque repererint, capiant aut capi faciant, eum districtis carceribus mancipando aut taliter puniendo, quod de bona iustitia meritum apud Deum reportare valeant.

119. Generale Capitulum praecipit et mandat abbati monasterii de Insula Barrensi, quatinus compellat per censuras Ordinis abbatem de Castellione ad solvendum summam 33 flor. 14 solid. 10 denar. cellerario Claraevallis, ratione quarumdam expensarum factarum in prosecutione ipsius monasterii Castellensis, in plenaria Ordinis potestate.

CONFIRMATIONES TRACTATUUM

120. Tractatum passatum, initum et concordatum inter abbatem et conventum monasterii de Longovado ex una, et Nicolaum Carnot ex altera partibus, prout in litteris huiusmodi tractatus super hoc confectis, quibus haec praesens diffinitio est annexa plenius continetur, attenta in hoc maxima dicti monasterii utilitate, secundum sui formam et tenorem generale Capitulum confirmat, approbat et ratificat.

121. Ad idem, pro abbate et conventu de Caroliloco et quosdam habitatores de Bonheyo, in litteris, sententiis et tractatibus super hoc confectis, quibus haec praesens diffinitio annexa est,

nominatos, et prout in eisdem plenius continetur, secundum sui formam et tenorem.

122. Tractatum passatum, initum et concordatum inter abbatissam et conventum monasterii monialium Beatae Mariae de Ponte Nostrae Dominae, Meldensis dioecesis, cum venerabili et scientifico viro magistro Ioanne de Badovilier, notario et secretario domini nostri Francorum regis et suae camerae computorum Parisiensis grephario, super alienatione et venditione cuiusdam plateae seu masurae Parisiis sitae in vico Billetarum, eidem monasterio pertinentis, et retentione quatuor solidorum parisiensium annui et perpetui redditus non redimibilis super dicta platea, tamquam eidem monasterio utilem, prout per litteras abbatis Caroliloci, s. th. pr., ad hoc per dominum Cisterciensem, s. th. pr., patrem abbatem dicti monasterii de Ponte, constat et apparet, prout patet per litteras dicti tractatus dictorum domini Cisterciensis et abbatis Caroliloci ad hoc commissi, quibus praesens diffinitio annectitur, secundum sui formam et tenorem generale Capitulum ratificat, confirmat et approbat, in plenaria Ordinis potestate.

123. Si pia mater charitas ad frequenter cadendo peccantes superiorum mentes ad misericorditer indulgendum et remittendum communiter trahere soleat, merito ad illos affingi debet mens humana, quorum vita, mores et conversatio plurimum proximis proficiunt, praesens igitur generale Capitulum sufficiener informatum de honesta morum conversatione fratris Iacobi de Rupe, moderni abbatis de Misericordia Dei, Pictaviensis dioecesis, et bona in spiritualibus et temporalibus administratione, uberiores fructus bonorum operum, ab eo de cetero sperans, ipsum rehabilitat ab omni inhabilitatis et infamiae nota, quam praeteritis temporibus usque ad praesens incurrere potuit et maxime a carnis contagio, si quod forte contraxit, licet inde non fuerit accusatus neque convictus, sed forte bene suspicionatus, ut praemissis non obstantibus ad omnes Ordinis gradus, actus legitimos, voces, honores, beneficia, administrationes et dignitates, etiam abbatiali inclusa, iam habitos vel habitas tenere, et ad non habitos, vel non habitas promoveri valeat et assumi; districtissime in virtute salutaris obedientiae ac sub excommunicationis poena omnibus eiusdem Ordinis regularibus personis et maxime dicti sui monasterii, ne sibi super commissis suis huiusmodi delictis quidquam improperent, seu hanc gratiam

aegre ferant, sed ipsa plene et libere eum uti et gaudere pacifice faciant et permittant.

Iterum similem in forma rehabilitationem habuit anno sequenti M CCCC LXVII.

1467

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo septimo, quartadecima die mensis septembris, apud Cistercium statuta sunt haec in eiusdem Ordinis Cisterciensis Capitulo generali.

[DIFFINITIO] GENERALIS

1. Omnibus et singulis Ordinis abbatissis, monialibus et maxime provinciarum Sabaudiae et Delphinatus per generale Capitulum districte praecipitur, quatinus regularia scapularia in Ordine portari solita deferant, epistolas in missa omnino non legant, nec sub poena excommunicationis benedictionem ab aliis, quam ad abbatibus Ordinis recipiant ; executionem huius diffinitionis abbati de Caroloco committendo, et sibi in virtute sanctae obedientiae praecipiendo, quatinus omni dissimulatione semota, per censurae Ordinis ad hoc viriliter et debite compellat, et etiam ad sibi rationabiliter satisfaciendum de suis expensis, in plenaria Ordinis potestate.

[DIFFINITIONES] SPECIALES

2. Cum retroactis diebus et annis nonnullae abbatissae et moniales monasterii monialium Beatae Mariae de Molesia, Cabilonensis dioecesis, aliquos tractatus fecerint indebitos in damnum et gravamen ipsius monasterii, et absque consensu domini Cistercii, s. th. pr., eiusdem monasterii immediati patris abbatis, ac etiam Capituli generalis, praesens generale Capitulum huiusmodi tractatus, sic in damnum et gravamen, ut praemittitur,

---

1467. Fontes : L^4 : 1-84 ; *M* : 1, 13, 17, 65 ; P^2 : 1, 12, 13, 17, 22, 65 ; *W*; 17. [a] *Titulus apud* L^4.

factos, cassat, irritat et annullat, ac nullius vigoris et efficaciae esse declarat, districtissime inhibens abbatissae modernae, et quae pro tempore fuerit, necnon conventui praedicti monasterii, ne de cetero aliquos tractatus sic indebitos, aut terras, nemora, prata, vineas, vel quaecumque haeritagia aliquibus personis saecularibus ad vitam, seu ad censum perpetuum dare praesumant, nisi de consensu dicti domini Cistercii aut Capituli generalis, dispensatque idem Capitulum super iuramentis per praemissas moniales occasione praemissorum factis.

3. Praesens generale Capitulum misericorditer cum abbatibus monasteriorum de Ebraco, de Fonte salutis, de Lankheim, de Waltsachssen, et de Bildhusen agere cupiens, eisdem et cuilibet ipsorum auctoritatem plenariam confert, ut semel in foro conscientiae audiant omnes et singulas regulares personas sibi subditas, easdem absolvendo ab omnibus et singulis peccatis, casibus et excommunicationum sententiis dicto generali Capitulo specialiter reservatis, sibique eligant dicti Ordinis confessorem, qui eos et quemlibet ipsorum etiam pro semel audiat et eadem auctoritate in foro conscientiae absolvat.

4. Ad idem, cum priore et conventu monasterii de Stapharda pro semel, attento maxime quod monasterium ipsum est in commenda.

5. Ad idem, pro abbate et conventu monasterii Mulbrunnensis pro semel.

6. Ad idem, pro abbate et conventu monasterii de Schonovia pro semel.

7. Ad idem, pro abbate et conventu monasterii Igniaci, et pro omnibus personis regularibus monasteriorum dicto abbati Igniaci a reverendissimo patre domino Cenomanensi et a domino Claraevallis commissorum pro semel.

8. Ad idem, pro abbate et conventu monasterii Castri aquilae, pro semel tantum.

9. Audita paupertate monasterii Sacrae cellae, praesens generale Capitulum misericorditer agere cupiens, benigne cum ipso monasterio dispensat, ut gratia in moderatione contributionum praefatum monasterium concernentium, annis retroactis sibi facta dehinc ad quinquennium uti possit et valeat.

10. Generale Capitulum debite et sufficienter informatum de abusu facto per abbatem de Wardona, Ordinis et Capituli generalis in Anglia commissarium, in hoc quod pendente processu

et post sententiam per abbatem monasterii de Quarrera latam in personam fratris Thomae Oliverii, abbatem monasterii de Bocland, dictus de Wardona in praeiudicio iurisdictionis dicti abbatis de Quarrera, immediati patris abbatis eiusdem monasterii de Bocland, dictum fratrem Thomam a furto et apostasia, ac etiam a carnis contagio, ad omnes Ordinis actus legitimos rehabilitare praesumpsit ; districtissime praecipit et mandat in virtute salutaris obedientiae abbati monasterii de Wobourna, quatinus dicto abbati de Wardona, pro huiusmodi abusu praesumptuose commisso poenitentiam extra stallum abbatis per mensem iniungat, in plenaria Ordinis potestate.

11. Generale Capitulum inhibet sub excommunicationis latae sententiae poena omnibus personis regularibus, quae de gremio et professione monasterio de Stapharda minime existunt, ne de cetero participari praesumant in portione conventui eiusdem monasterii per felicis recordationis dominum Papam Pium novissime defunctum assignata, sub eadem poena idem Capitulum administratori moderno huiusmodi portionis, et qui pro tempore fuit et erit in futurum eidem conventui suas absque dissimulatione reddat computationes, dans et concedens idem Capitulum priori et conventui praefati monasterii licentiam et auctoritatem evocandi, quoties voluerint unum aut duos notabiles religiosos Ordinis alterius monasterii, qui in suis computationibus audiendis interesse possint et valeant, huiusmodi diffinitionis executionem priori de Biceto demandando.

12. Paternalem iurisdictionem monasterii Aquaebellae immediate pertinentem monasterio de Montepetroso, per generale Capitulum alias domino commendatorio certis ex causis sublatam, praesens generale Capitulum attenta affectione quam nunc ad Ordinem gerit, eidem plenarie decrevit et decernit, in plenaria Ordinis potestate.

13. Generale Capitulum ferventi desiderio et affectu occurrere volens enormibus scandalis et gravissimis abusibus [b] in monasterio monialium de Monsteriolo in Terascia, iam proh dolor! ortis [c] occasione quarumdam processionum, quae annuatim cum magno populi concursu ob honorem sanctae Veronicae ibidem quiescentis fiunt, abbatissae praefati monasterii in virtute salutaris obedientiae et sub gravissimis Ordinis poenis dis-

[b] abusionibus : *MP*². [c] orta : *MP*².

tricte mandat et iubet [d], ut huiusmodi processiones communes penitus et totaliter auferant, ab eis de cetero omnino abstinendo, sed eisdem liceat per claustrum suum reverenter et devote, ostiis clausis, et saecularibus personis utriusque sexus exclusis, ob honorem praedictae Veronicae, regularem et particularem suam processionem facere ; qua completa reponatur eadem sacra Veronica in loco ubi antea post processionem poni solebat, et ibidem saeculares, si qui venerint, suam devotionem faciant absque quacumque ministratione cibi et potus, ac saecularibus ludis, procurentque ipsa abbatissa et moniales, ut longo tempore ante diem, qua huiusmodi processio generalis fieri solebat, per loca circumvicina per praedicatores et alias [e] debite praesentis Capituli generalis ordinatio publicetur, istius diffinitionis executionem abbati de Cambrone committendo, in plenaria Ordinis potestate.

14. Attento senio moderno abbatis monasterio de Ottoburg, de cetero generale Capitulum a via ipsius Capituli ipsum benigne supportat.

15. Cum ad audientiam praesentis generalis Capituli dolenter deductum sit, nonnullas monasterii monialium de Billoca religiosas, obedientiae per votum suae religionis promissae immemores, et propriae voluntatis motum damnabiliter insequendo, ratione et occasione quorumdam articulorum in cartis visitationum dominorum Cistercii et Claraevallis, s. th. pr., et eorumdem commissariorum iuxta formam statutorum Ordinis contentorum, quamplurimas querulosas divisiones, contentiones, particularitates, rixas et brigas suscitasse, etiam contra propriam abbatissam indurato animo insurgendo, in animarum suarum grande periculum et praeiudicium, contemptumque et laesuram non modicam disciplinae regularis et auctoritatis suorum superiorum, praefatum ipsum generale Capitulum tales rebelliones et abusiones, inobedientias de medio tollere cupiens, in virtute salutaris obedientiae et sub aliis poenis et censuris ipsis abbatissae et monialibus districte mandando praecipit, quatinus omnia et singula puncta in eisdem cartis expressa et designata secundum sui formam et tenorem inviolabiliter observent, prout unamquamque earum tangit et tangere potest, praemissae abbatissae

[d] prohibet : *L⁴P²*. [e] alios : *MP²*.

sub eisdem poenis praecipiendo, ut ad hoc dictas suas religiosas diligenter et exacte, omni dissimulatione semota, observari faciat, cui abbatissae in hoc et aliis regularibus observantiis humiliter pareant et obediant ; executionem praesentis diffinitionis abbati de Laude committendo, eidem etiam iniungendo, quatinus omnes et singulas ad hoc viriliter et debite compellat, inobedientes et rebelles et huiusmodi puncta observare recusantes puniat et corrigat secundum suorum exigentiam delictorum, etiam si opus et expediens sibi visum fuerit, ad alia Ordinis monialium monasteria emittendo ; abbatissas quoque ipsorum monasteriorum ad easdem recipiendum per censuras Ordinis compellendo, in plenaria Ordinis potestate.

16. Generale Capitulum gratam habet, approbat et confirmat reformationem monasterii monialium de Felici valle, per bonae memoriae abbatem de Campo principum, fratri Ioanni Holtzner, religioso professo monasterii praedicti de Campo principum praecipiendo, quatinus residentiam faciat in eodem monasterio Felicis vallis ad manutenendum et conservandum ipsam reformationem eiusdem monasterii.

17. Translatione monialium de monasterio monialium Sancti Remigii ad monasterium de Feliciprato, Leodiensis dioecesis, et econtra religiosorum monasterii de Feliciprato ad monasterium Sancti Remigii, per abbates de Iardineto et de Molinis dictae dioecesis, et installationem fratris Arnulphi de Novadomo, monasterii de Iardineto expresse professo, in abbatem dicti monasterii Sancti Remigii, auctoritate dicti Capituli factas [f] tamquam utrisque partibus aptiorem et convenientiorem, prout in litteris... *etc...* confirmat.

18. Quia attenta paupertate et debitis monasterii de Fonteneto, in quibus plurimum erat oneratum, frater Symon Evrardi dudum abbas dicti monasterii pensionem excessivam, quam a quinquennio in villagiis Sancti Remigii et Blasy ac grangia percipere consuevit, proprio motu et compassione necessitatis monasterii totaliter remisit, et moderavit ad summam 30 francor umet unius caudae vini sibi per abbatem persolvendum, cum portione ordinaria in mensa abbatis, quamdiu honeste et regulariter vixerit, generale Capitulum illam moderationem approbat, ratificat et confirmat, praecipiendo domino Claraeval-

[f] factam : *M.*

lis s. th. pr., quatinus per censuras Ordinis et omnes iuris et iustitiae vias abbatem dicti monasterii ad solutionem plenariam praedictae pensionis compellat, in plenaria Ordinis potestate.

19. Quia frater Andreas de Ambligniaco, dudum abbas monasterii Bonaevallis Viennensis, anno elapso iuste propter irreverentiam Capitulo et Ordini occasione alienationis sui monasterii, quod extra manum Ordinis malignanter posuit, fuerat excommunicatus, et in eadem excommunicatione obdurato animo perseverans, ad veniam et misericordiam Ordinis non rediit, praesens generale Capitulum ipsum aggravat, excommunicatumque et aggravatum declarat omnibus et singulis Ordinis personis districte praecipiendo mandat, ut eum talem per affixionem copiarum huius diffinitionis ad valvas ecclesiarum et alia loca publica declarent et suae personae intimando, in plenaria Ordinis potestate.

20. Generale Capitulum ob honorem et reverentiam nobilis et generosae dominae comitissae de Brienne, et singularem devotionem et affectionem, quam semper habuit ad Ordinem nostrum, et praesertim ad monasterium monialium de Virgulto, ut in eodem possit et valeat, quotiescumque sibi placuerit, quolibet anno unum anniversarium cum missa et vigiliis solemnibus, providendo ad hoc de bono et sufficienti reditu et provisione et fundo, secundum iudicium domini Claraevallis, s. th. pr., patris abbatis immediati eiusdem monasterii, vel abbatis de Laude eiusdem commissarii.

21. Abbati de Schonowia per generale Capitulum districte et sub poena excommunicationis et depositionis praecipitur, ut infra proximum festum Nativitatis Christi, se ad monasterium Morimundi personaliter transferat, humiliter et contrite domino Morimundi super iniuriis, contemptu, inobedientiis et aliis offensis per ipsum de Schonowia et sua occasione eidem domino Morimundi illatis, veniam petiturus, ipsum ob hoc a via proximi generalis Capituli misericorditer absolvendo.

22. Generale Capitulum statuit, ordinat et diffinit fratrem Ioannem de Steffelstein, professum monasterii de Schonowia[g], penitus et totaliter ab eodem monasterio eliminandum, et tamquam excommunicatum, quia manus iniecit violentas in dominum Morimundi, commissarium Capituli generalis, ipsum pro absolu-

---

[g] Sthonorria : P^2.

tione ab huiusmodi crimine ad Sanctissimum Dominum nostrum Summum Pontificem remittendo, abbati monasterii praedicti executionem huius diffinitionis committendo.

23. Praesens generale Capitulum in virtute salutaris obedientiae praecipit et mandat abbati de Begario, s. th. pr., quatinus omnes et singulos abbates monasteriorum in sua commissione designatorum, per Ordinis censuras et alias iuris et iustitiae vias, viriliter et absque aliqua dissimulatione, compellat et coerceat ad sibi aut suo deputato ex integro persolvendum omnes quotas contributionum praedicta monasteria concernentium, secundum quod continetur in antiquis registris Ordinis, in plenaria ipsius Ordinis potestate.

24. Quia temerariis, praesumptuosisque medicina spiritualis humilitas existit, hinc est quod generale Capitulum mandat fratri Iuliano Pellicerii, monacho Grandissilvae ne ultra se nominet, vel nominari faciat Sancti Bernardi Tolosae provisorem, attento quod provisum extitit commode iuxta dicti Capituli et abbatis Grandissilvae voluntatem.

25. Generale Capitulum debite informatum de incommoditate et damno cuiusdam tractatus dudum passati et facti inter abbatem et conventum monasterii Beatae Mariae de Varenis, Bituricensis dioecesis, Ioanni Tillery iuniori, et Michaeli Tillery fratribus et tribus haeredibus eorum, de quadam grangia pertinenti dicto monasterio, nuncupata grangia de Angeria, cum omnibus pertinentiis et appenditiis suis, ac etiam cuiusdam alterius tractatus similiter facti per eosdem abbatem et conventum cum Ioanne Deday et fratre suo, in detrimentum et incommodum praefati monasterii factum, et absque licentia patris abbatis et Capituli generalis, contra formam et statuta Ordinis sive *Benedictinae*, idem Capitulum tamquam indebite factos cassat, revocat et annullat, dispensando cum ipsis de Varenis super iuramentis per eosdem ratione praemissorum tractatuum factis, in plenaria Ordinis potestate.

26. Cum fratre Ioanne Bonamy, recepto novitio in monasterio de Varenis, attenta maturitate et honestate suae aetatis, et devotione quam habuit intrandi religionem, ut non obstante nostris diffinitionibus et statutis profiteri et reddere Domino Deo vota sua, postquam in novitiatu per tres menses steterit, possit et valeat, dummodo residuo temporis in eisdem nostris statutis contento renuntiet.

27. Cum expresse per papalia et Ordinis regularia instituta, omnibus utriusque sexus regularibus dicti Ordinis personis inhibitum ne ad quamcumque curiam saecularem pro quacumque occasione, Ordinis personae trahantur, aut aliquae appellationes emittantur, appellationem factam et emissam ad Caesarem per abbatissam Novalis Sanctae Mariae contra abbatissam de Marparchausen, confirmatam per abbatem de Bildhusen, ipsius monasterii patrem visitatorem, confirmatam in praeiudicium dictorum Ordinis statutorum, tamquam inanem et irritam praesens generale Capitulum reputat, ipsamque cassat, irritat et annullat, ac nullius vigoris et efficaciae declarat, inhibens dictae abbatissae Novalis Sanctae Mariae, ne de cetero dictam abbatissam de Marparchausen ad quamcumque curiam saecularem molestare praesumat.

28. Nos, frater Hymbertus Cistercii, Ioannes Firmitatis, Philippus Claraevallis, s. th. pr., et Guillelmus Morimundi abbates, plenaria auctoritate fungentes, in Belnae oppido, 16 die mensis septembris anno Domini 1467, congregati, memores commissariorum datorum in quadam controversia inter abbatem et conventu de Ygniaco, Remensis dioecesis, parte ex una, et abbatissam et conventum de Monasteriolo, Laudunensis dioecesis, parte ex altera, abbates de Tribus fontibus, de Cambrone et de Signiaco veros commissarios in dicta causa datos et esse denuntiamus, omnes alios, si qui per abusum et quemlibet alium positi vel positus fuerit, secludentes. Datum...

29. Abbatibus de Fonte frigido et de Candelio per generale Capitulum districte mandando praecipitur, quatinus quamcitius commode poterunt, se diligenter et debite informent de conversatione, vita et moribus fratris Armandi de Solages, religiosi monasterii Bonaevallis Ruthenensis, promoti ad dignitatem abbatialem monasterii de Silvanesio, Vabrensis dioecesis, et si sit criminosus, usurarius ac malae et inhonestae vitae, prout praesenti Capitulo generali est relatum, et si eum talem invenerint, ipsum graviter puniant secundum suorum exigentiam demeritorum, etiam per depositionem aut alias debite, et ulterius se debite et fideliter informare studeant de iniuriis, rebellionibus, inobedientiis per fratrem Hugonem Rodezy, nuper abbatem eiusdem monasterii de Silvanesio, factis et procuratis abbati de Mansiade, patri abbati dicti monasterii et commissario Capituli generalis, et prout eum invenerint culpabilem, debita correc-

tione corrigant et puniant secundum quantitatem et qualitatem suorum delictorum, in plenaria Ordinis potestate. Si controversiam motam inter ambos hac occasione et ad dictam dignitatem abbatialem eiusdem monasterii, amicabiliter et ad honorem Ordinis et personarum, ad vitanda discrimina expensarum et destructionem monasterii, pacificare et fine debito terminare possint, ad hoc faciendum dat ipsis idem Capitulum generale plenam et liberam auctoritatem, in plenaria Ordinis potestate.

30. Fratrem Bertrandum Galloys, modernum abbatem de Callovio, per dominum Pontigniaci, suum patrem abbatem, ad secundam diem praesentis generalis Capituli personaliter citatum, promotori causarum eiusdem Capituli quod iustum foret responsurum ibidem, debite vocatum et expectatum, sed nec per nec per procuratorem comparentem, idem generale Capitulum reputat contumacem.

31. De Bonomonte, de Stamedio, de Chereziaco, de Altacrista, de Altacumba, de Sancto Sulpitio et de Tela monasteriorum abbates, per dominum Claraevallis, s. th. pr., debite ad praesens generale Capitulum citati, tam ad exsolvendum suum debitum ad quod tenentur, quam ad portandum suas contributiones, debite et sufficienter ad portam consistorii vocati, expectati, nec per se nec per procuratores comparentes, aut suas contributiones solventes, per ipsum Capitulum reputantur et denuntiantur contumaces et excommunicati.

32. Fratres Franciscum Pichodi, Ioannem de Mariniaco, Antonium Gay, religiosos professos monasterii de Alpibus in Sabaudia, per priorem dicti monasterii virtute commissionis domini Claraevallis, s. th. pr., patris abbatis eiusdem monasterii, ad praesens generale Capitulum debite citatos, vocatos et expectatos, et nec per se nec per procuratores comparentes, ipsum Capitulum contumaces et excommunicatos reputat et denuntiat.

33. Generale Capitulum debite et sufficienter informatum de vita et moribus fratris Ioannis Mottois, abbatis monasterii de Valleclara, et pluribus casibus per eum perpetratis et commissis, propter quos graviter veniebat puniendus et corrigendus, ipsum tamen Capitulum de futura sua, quam promisit, emendatione confidens, et misericorditer secum agere volens, citra depositionem eum puniendo, statuit et ordinat quod ipse Mottois quindecim dierum spatium continue et immediate se subsequentium frequentabit ecclesiam et servitium quotidie, per idem

spatium in capitulo coram praesidibus et conventu Claraevallis recognoscens delictum suum, in propria vero abbatia ad perficiendum suam poenitentiam per annum integrum erit extra stallum abbatis in choro, super quo visa eius humilitate et emendatione, dominus Claraevallis poterit dispensare et ulterius sibi sub poena inobedientiae et depositionis districte praecipitur, ut omni sinistra excusatione semota, penitus et totaliter quamdam antiquam mulierem suspectam, cuius inhonesto consortio turpiter infamatur, cum suo marito a praefato monasterio et locis circumvicinis expellat numquam de cetero ad illud reversuram, alias tam de primis suis defectibus quam sequentibus, idem Capitulum secundum rigorem statutorum Ordinis indissimulanter punietur et corrigetur.

34. Quia venerabilis vir, magister Guido Vyon in decretis licentiatus, canonicus Morinensis, procurator, ut nobis constitit, et procuratorio nomine religiosarum abbatissae et conventus de Wastina, dictae Morinensis dioecesis, nostri Ordinis Cisterciensis, appellantium et originaliter impetrantium contra et adversus Margaretam Lenfosseux, Iacobum Grine et Villermum Leumeraux, appellatos a certa interlocutoria per coabbates nostros de Claromarisco et de Laude a nobis, ut asseritur, in hac parte delegatos, super occupatione et detentione certae partis decimarum ecclesiae parochialis de Cerdinghen, qui quidem Margareta, Iacobus, et Guillelmus non comparuerunt, nec alius pro ipsis aut eorum nomine se praesentavit, et tamen habebant assignationem ad comparendum in dicto Capitulo, ut nobis legitime constitit ; quare dictam Margaretam et suos consortes absentes et non comparentes tenuimus et reputavimus, tenemus et reputamus defectuosos et contumaces, et defectum concessimus dicto procuratori dictarum religiosarum contra et adversus Margaretam et suos consortes, virtute cuius defectus processu super principali et causis appellationis ab illo dependentibus, reiterando coram nobis partibus diem assignavimus ad decimum quintum mensis decembris proxime sequentis, in domo nostrae mansionis de Belna, ad eidem tam super principali quam super dictis causis appellationis, et inde prosequendum secundum quod iuris fuerit et rationis, cum intimatione quod si partes integraliter de suis processibus et munimentis non satisfecerint et comparuerint infra festum sancti Martini hyemalis proxime venturum, ius dicemus super eo quod erit apud nos seu consistorium nostrum, iuxta

papalia et nostri Ordinis regularia statuta, mandans idem Capitulum omnibus et singulis eiusdem Ordinis regularibus personis et eorum cuilibet super hoc requirendis, in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis poena, quatinus praesentem diffinitionem debitae executioni demandari non omittant, aut alter eorum non omittat. Datum iudicialiter sub sigillo Diffinitorum et signeto manuali secretarii dicti Capituli, die, mense et anno praedictis.

COMMISSIONES

35. Attenta paupertate et desolatione monasterii de Castro aquilae, ratione et occasione quorumdam grandium debitorum, quibus, ut fertur, subiicitur, praesens generale Capitulum committit patri abbati ipsius monasterii, quatinus quamprimum poterit, ad ipsum monasterium, secum assumpto alterius monasterii Ordinis abbate, se personaliter transferat, seque debite informet de et super huiusmodi debitis, informationeque habita, per omnem modum et vim debitam laboret ad hoc praefatum monasterium ab huiusmodi debitis exonerari possit et valeat, aut si opus sit per venditionem aut impignorationem aliquorum bonorum mobilium vel immobilium minus utilium vel alias, in plenaria ipsius potestate.

36. Per generale Capitulum committitur abbatibus de Tribus fontibus et de Longovado et cuilibet ipsorum per se, quatinus compellant vel alter eorum compellat per censuras Ordinis abbatem et officiarios monasterii de Castellione ad solvendum anno quolibet sex florenos, usque ad complementum summae 33 flor., 14 libr. et 10 den. cellerario Claraevallis, ratione quarumdam expensarum per fratrem Iacobum de Tornaco factarum in prosecutione dignitatis abbatialis ipsius monasterii Castellionis, in plenaria ipsius Ordinis potestate.

37. Abbatibus de Longoponte et de Valle regis per generale Capitulum committitur, quatinus per censuras Ordinis viriliter et exacte compellant, vel alter eorum compellat, omnes et singulos abbates monasteriorum in diffinitione, cui praesens annectitur, nominatorum, ac etiam alios abbates civitati Remensi vicinos, ad defendendum quamdam exactionem, occasione calceatae in dicta diffinitione designatae, in plenaria Ordinis potestate.

38. Abbatibus de Fonte frigido et de Candelio committitur

per generale Capitulum, quatinus per Ordinis coercitiones compellant coniunctim vel divisim fratrem Ioannem Garcie, ad satisfaciendum fratri Ioanni de Planelis, monasterii de Belloloco, Ruthenensis dioecesis, de summa in qua praefatum Garcie invenerint sufficienter et legitime obligatum, in plenaria ipsius potestate.

39. Committitur per generale Capitulum abbati de Albiniaco, quatinus fratres Andream de Bergeria et Ioannem de Calamy, monasterii de Albis petris expresse professos, viriliter et exacte compellant ad hoc, quod in praefato monasterio de Albis petris continuam faciant residentiam, eos secundum suorum exigentiam delictorum corrigendo et puniendo ob vagationem et discursus, quos frequenter fecerunt et faciunt, auxilium et consilium praebendo fratri Stephano Breton, abbati Couchensi Ordinis sancti Benedicti, contra et adversus praefatum abbatem de Albis petris, in praeiudicium suae salutis animae.

40. Attenta temporis brevitate, generale Capitulum committit omnes et singulas causas, quae in praesenti Capitulo terminari non poterunt, dominis Cistercii, de Firmitate, s. th. pr., de Pontigniaco, de Claravalle, s. th. pr., et de Morimundo in villa Belnensi decidendas et fine debito terminandas, in plenaria ipsius Ordinis potestate.

41. Generale Capitulum sufficienter et debite informatum de vita et moribus inordinatis abbatis et monachorum monasterii de Lanneyo, idem Capitulum praecipit et mandat abbati de Caroliloco, s. th. pr., quatinus assumpto secum abbate de Bellobecco, ipsius monasterii de Lanneyo immediate patre abbate, quamprimum poterit, personaliter ad dictum monasterium accedat, ibidem visitet, reformet et corrigat omnia et singula, quae invenerit visitanda, reformanda et corrigenda, in spiritualibus et temporalibus, in capite et in membris, personas culpabiles secundum suorum exigentiam delictorum indissimulanter, per emissionem, vel aliam poenam puniendo ; eisdem de Caroliloco et de Bellobecco pariformiter committendo, quatinus ad monasterium monialium de Gomerifonte accedant, ibidemque omnibus melioribus mediis, quibus commode fieri poterit, erga fundatorem ipsius monasterii laborent ad hoc, quod moniales in ipso degentes, et ut fertur, irreligiose se gerentes ab eodem monasterio penitus eliminentur, et ad alia Ordinis monasteria monialium provideantur, ibidem aliquem religiosum Ordinis honestate vitae

et religiosae conversationis priorem instituendo, in plenaria ipsius Ordinis potestate.

42. Generale Capitulum rebelliones et inobedientias personarum Ordinis minime tolerare intendens, praecipit et mandat abbati de Caroliloco, quatinus ad monasterium de Alpibus personaliter accedens, ibidem se informet de vita et moribus fratrum Andreae de Castellione, Terini de Benevisio, Ioannis de Chigmino, Antonii Gay et Claudii Gulleti, et si per informationem invenerit eos rebelles et inobedientes fratri Antonio Hospitis, eorum vero et legitimo abbati, aut de aliquibus forefactis culpabiles, ipsos per incarcerationem vel a proprio monasterio emissionem, seu alias taliter puniat et corrigat, quod aliis cedat in terrorem, et quod Deus de bona iustitia contentetur, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii saecularis.

43. Generale Capitulum debite informatum quod abbates monasteriorum de Sibton, de Tiltei, de Salle, de Buckfast, de Cristal, de Wardona, de Gratiis, et quamplures alii debite requisiti et moniti a commissariis Ordinis, contributiones dicti Ordinis solvere renuunt, in totius Ordinis detrimentum ac contemptum, eorumque animae periculum, praesens generale Capitulum eos et omnes solvere renuentes, contumaces denuntiat et excommunicatos, dando abbati de Fontibus, s. th. pr., expresse in mandatis, ut eos omnesque et singulos solvere renuentes tamquam contumaces et rebelles, si in contumacia perseveraverint excommunicatos denuntiet, in plenaria Ordinis potestate.

44. Visitationem et reformationem omnium et singulorum monasteriorum Ordinis, utriusque sexus, in tota dioecesi Leodiensi, cuiuscumque generationis existant, praesens generale Capitulum cum clausulis opportunis domino Morimundi committit, in plenaria Ordinis potestate.

45. Visitationem et reformationem omnium et singulorum monasteriorum totius filiationis Claraevallis, tam mediate quam immediate, eidem monasterio subiectorum ac etiam pro semel in tota natione germanica et locis circumvicinis et adiacentibus partibus, generale Capitulum domino Claraevallensi, s. th. pr., cum clausulis opportunis committit, in plenaria Ordinis potestate, et usque ad ipsum proximum futurum generale Capitulum.

46. Abbatibus de Tribus fontibus, de Cambrone et de Signiaco committitur per generale Capitulum coniunctim, quatinus quam brevius commode poterunt, ad aliquem locum convenientem se

personaliter transferant, et causam seu querulosam controversiam occasione cuiusdam tractatus unius domus, inter abbatem et conventum monasterii de Igniaco et abbatissam et conventum monasterii monialium de Monsteriolo, debite partibus coram se vocatis, et visis earum litteris, cartis ac munimentis, determinent et decidant, ac brevis et bonae iustitiae complementum ministrent, in plenaria Ordinis potestate, sub poenis et censuris Ordinis eisdem abbati et conventui de Igniaco districte inhibendo, ne quovis modo dictas abbatissam et conventum coram iudicibus saecularibus trahant seu tractent.

47. Abbatibus de Fonte frigido et de Candelio, et eorum cuilibet in solidum, per generale Capitulum committitur, quatinus diligenter et debite se informent de expensis factis per fratrem Ioannem de Planholis occasione dignitatis abbatialis monasterii de Villalonga, ob quas asserit suos parentes esse obligatos et quas ideo ab eodem monasterio requirit, et si repererint iuste ipsum monasterium ad hoc obligari, et possit sustinere, super quo eorum conscientias onerat, de eisdem rationabiliter et moderate eidem de Planholis satisfieri faciant, in plenaria Ordinis potestate.

48. Abbatibus de Uterina valle et de Alba dominorum coniunctim, praesens generale Capitulum committendo districte praecipit, quatinus diligenter et debite se informent, videant et inspiciant quaedam bona mobilia vel immobilia, quae abbas et conventus de Mulbrunna volunt alienare a suo monasterio, seu ad alia bona commutare et escambire, super quo dictum Capitulum eorum onerat conscientias et prout invenerint, proximo generali Capitulo referant, aut suis patentibus litteris authentice et debite significent et intiment.

49. Abbati de Albigniaco per generale Capitulum committitur, quatinus per omnes iuris et iustitiae vias compellat fratrem Ioannem Choppelin, modernum abbatem monasterii de Stella ad debite reddendum et satisfaciendum de omnibus et singulis bonis, tam in vino, pecuniis, quam alias, per eumdem abbatem secum transportatis aut quomodocumque, abbati de monasterio de Misericordia Dei, cuius erat religiosus professus tempore promotionis suae ad dignitatem abbatialem eiusdem monasterii de Stella, etiam non obstante quadam quittancia, sibi per modernum abbatem de Misericordia Dei facta, si comperiatur plura bona habuisse, quam ipsi abbati de Misericordia Dei

manifestaverit et declaraverit, eidem de Stella abbati districte inhibendo sub poenis et censuris Ordinis dictum abbatem de Misericordia Dei trahat coram iudicibus qui non sunt de Ordine.

50. Domino Morimundi per generale Capitulum committitur, quatinus per Ordinis censuras compellat aliquem Ordinis abbatem, qui secundum suam discretionem, et prout viderit expedire pro aliqua portione et quota iuvet abbatem de Insula Barrensi, ad manutenendum in studio Sancti Bernardi Parisiensis suum modernum scolarem, cum plenaria Ordinis potestate.

51. Abbati de Ripalta per generale Capitulum committitur, quatinus diligenter et debite se informet de modo et forma electionis cuiusdam sororis Margaretae de Pagar, electae abbatissae monasterii de Rivo frigido, Taurinensis dioecesis, et si per debitam informationem repererit ipsam electionem male fuisse factam, contra formam statutorum Ordinis, et praesidente saeculari, et non patre abbate aut eius commissario, qui sint personae Ordinis nostri, ipsam electionem casset et annullet, ipsi monasterio de nova abbatissa sufficienti et idonea, secundum praemissa Ordinis statuta provideat, in plenaria Ordinis potestate, sique viderit expedire abbatissam et moniales pro semel ab omnibus casibus, peccatis et excommunicationum sententiis generali Capitulo reservatis absolvat, aut ad hoc alteri idoneo Ordinis confessori suas vices pro semel dumtaxat committat.

52. Abbati de Charitate per generale Capitulum committitur, quatinus si per informationem debitam, per testes, cedulam, aut alias, quantum sufficere debeat, invenerit abbatem de Bitania abbati de Ioyaco vel suo monasterio obligatum in summa sex scutorum auri, ipsum ad sibi plenarie et debite satisfaciendum viriliter et exacte compellat, in plenaria Ordinis potestate.

53 Abbati de Bonavalle Ruthenensi per generale Capitulum ommittitur, quatinus diligenter et debite se informet si per negligentiam abbatis de Mansiade, frater Guillelmus de Voto, religiosus de Campis bonis providerit monasterio de Bonavalle Viennensi, in cuius prosecutione magnas exposuit pecunias, et si per bonam informationem ita compererit, compellat dictum de Mansiade ad eidem fratri Guillelmo rationabiliter, prout iustum viderit, super quo suam onerat conscientiam, satisfaciendum, in plenaria Ordinis potestate.

54. Abbatibus de Fonte salutis, s. th. pr., et de Lanckheym

per generale Capitulum committitur, quatinus diligenter et debite se informent de destitutione fratris Ebraldi, provisoris collegii Sancti Iacobi in Universitate Heidelbergensi, et de eius incarceratione, iniuriis, querelis et querimoniis inter abbatem suum et religiosos fratres suos monasterii de Schonowia, et ceteris circumstantiis, et si debita informatione praemissa, ipsum provisorem invenerit in contemptu domini Morimundi commissarium et habentem auctoritatem Ordinis, fuisse a dictu provisoratu amotum et depositum, in quo de consensu abbatis sui fuerat institutus, eumdem ad praedictum officium restituat, omnes et singulos huius dissensionis culpabiles taliter puniendo et corrigendo, quod ceteris cedat in exemplum et terrorem, in plenaria Ordinis potestate.

55. Abbatibus de Nigrolacu et de Albiniaco, tam coniunctim quam divisim, per generale Capitulum committitur, quatinus diligenter et debite se informare studeant super quodam tractatu et transmutatione quorumdam bonorum et reddituum, inter abbatem et conventum de Varenis ex una, et dominum Iacobum de Meygnach militem, et Ludovicum eius fratrem scutiferum, partibus ex altera, et si huiusmodi tractatus aut translationes reddituum aut bonorum invenerint eidem monasterio utiles et fructuosos, in proximo generali Capitulo referant.

56. Abbatibus de Prato Benedicto et de Nigrolacu, tam coniunctim quam divisim, per generale Capitulum committitur, quatinus diligenter et debite se informent super commoditate vel incommoditate quorumdam tractatuum passatorum et initorum inter abbatem et conventum de Albiniaco ex una, et Iacobum Botiri, ratione cuiusdam molendini, et Pascalem (?) de Anulo ratione cuiusdam haereditagii partibus ex altera, et prout invenerint, suis patentibus litteris aut alias, debite proximo futuro generali Capitulo referant.

57. Abbati Gimontis per generale Capitulum committitur, quatinus diligenter et debite se informet super commoditate vel incommoditate cuiusdam traditionis quorumdam nemorum, nuncupatorum Sancti Caprasii, et de cartis vineis de terrano, et terrarum vocatarum de Borda nova, ad emphiteosim perpetuam propter certa legitima inconvenientia, et prout invenerit, ordinet et licentiet, seu proximo generali Capitulo referat.

58. Capitulum generale committit abbati de Sancto Andrea, s. th. pr., quatinus omnes et singulos abbates provinciae Rotho-

magensis, demptis de Savigniaco, de Sancto Andrea, de Alneto, de Barbereyo, de Bonoportu, de Mortuomari et de Bellobecco, ad mittendum suos scolares ad studium Cadomiense, cum debitis et sufficientibus provisionibus, compellat in plenaria Ordinis potestate, quos praemissos exceptos abbates eiusdem provinciae, idem Capitulum ordinat et praecipit suos scolares Parisiis mittere, omni excusatione postposita.

REHABILITATIONES

59. Ad supplicationem et humilem instantiam abbatis Caricampi, cum fratre Balduino de Romssefay, religioso expresse professo eiusdem monasterii, praesens generale Capitulum benigne et misericorditer agere volens dispensat, ut non obstante inhabilitatis ac infamiae nota seu macula, quam votum castitatis per ipsum emissum, humani generis inimico suadente transgrediendo et violando, incurrit, in contagium carnis lapsus et deprehensus, super quo sibi impositam salutarem poenitentiam humiliter et devote peregit, et ut fide dignorum relatu ad audientiam praesentis Capituli pervenit, ad cor reversus vitae emendationem opere demonstrat, ad omnes Ordinis actus legitimos, voces, gradus, officia, beneficia et administrationes, etiam abbatiali inclusa dignitate, promoveri valeat et admitti.

60. Ad idem, pro fratribus Ioanne Obernhoffe, fratre Vigando Gressen et Ioanne Assentin, religiosis professis monasterii de Castro aquilae, de carnis contagio convicti, ut prius, dignitate seclusa... etc.

61. Ad idem, pro sorore Bartelina, religiosa monasterii de Valle benedicta professa, de carnis contagio, puerperio inde secuto, dignitate abbatiali seclusa.

62. Ad idem, pro fratre Matheo Guillot, monasterii Septem fontium, qui abbati sui inobediens extitit, carceresque domini Cistercii fregit, et in contagio carnis deprehensus fuit, super quibus poenitentiam sibi iniunctam humiliter peregit.

CONFIRMATIO TRACTATUUM

63. Tractatum factum et passatum inter abbatem et conventum monasterii Morimundi ex una, et nonnullos homines villae de Brennenes, prout plenius continetur in litteris super hoc confectis, quibus praesens diffinitio annectitur, praesens generale

Capitulum secundum formam et tenorem ipsarum ratificat, confirmat et approbat.

64. Devotioni ac piae petitioni nobilis viri Ioannis de Naceyo, domini de Gonbernaux, praesens generale Capitulum annuere cupiens, tractatum initum, passatum et concordatum inter abbatem et conventum monasterii de Insula Barrensi ex una, et praefatum dominum de Gonbernaux partibus ex altera, de et super quadam fundatione duarum missarum qualibet septimana, perpetuis temporibus, in ipso monasterio de Insula Barrensi, per sacerdotes eiusdem monasterii celebrandarum, prout diffusius continetur... approbat, proviso tamen quod praefatus dominus admortizamentum de singulis per ipsum eidem monasterio collatis procuret et obtineat.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

65. Translationem dignitatis abbatialis monasterii Beatae Mariae de Callovio, Bituricensis dioecesis, cuius nuper erat abbas frater Ioannes de Antissiodoro, antea professus monasterii Pontigniaci, ad dignitatem abbatialem monasterii de Rupibus, cui praesidebat frater Bertrandus Galloys [h], per dominum Pontigniaci, patrem abbatem eorumdem monasteriorum, consentiente domino Cisterciensi, s. th. pr., ad quem pertinet principaliter secundum Ordinis statuta ius et auctoritas faciendi translationes abbatum Ordinis, approbat, ratificat et confirmat, in plenaria Ordinis potestate.

66. Electionem, provisionem et installationem de persona fratris Ioannis de Grunneberg, religiosi professi et nuper prioris monasterii Beatae Mariae de Castro aquilae, ad dignitatem abbatialem praedicti monasterii, per abbatem de Eberbaco, patrem abbatem eiusdem monasterii, prout in decreto, *etc*... confirmat.

67. Ad idem, pro fratre Petro de Canicia, in theologia baccalario, professo et nuper priore monasterii de Frigido monte, Belvacensis dioecesis, ad dignitatem abbatialem dicti monasterii per abbatem Igniacensem, commissarium abbatis Ursicampi, patris abbatis immediati eiusdem monasterii.

---

[h] Galloy : *P*[2].

68. Ad idem, pro fratre Guillelmo Bidandi, religioso et nuper cellerario monasterii Beatae Mariae de Albis petris, ad dignitatem abbatialem dicti monasterii, per abbates de Nigrolacu, de Albiniaco, et de Varennis, commissarios domini Claraevallis s. th. pr., patris abbatis immediati eiusdem monasterii.

69. Ad idem, pro fratre Nicolao de Brethey, religioso professo et nuper bursario monasterii Albiniensis, ad dignitatem abbatialem eiusdem monasterii, per abbatem de Novocastro, patrem abbatem eiusdem monasterii.

70. Ad idem, pro fratre Iudoco, religioso professo monasterii de Campo principum, ad dignitatem abbatialem dicti monasterii, per abbatem Alderspacensem, patrem abbatem eiusdem monasterii.

71. Ad idem, pro fratre Ioanne de Arcenceyo, religioso et priore monasterii de Castellione, ad dignitatem abbatialem ipsius monasterii, per abbatem Trium fontium, patrem abbatem eiusdem monasterii.

72. Ad idem, pro fratre Ioanne Rigaud, religioso professo monasterii de Barzella, ad dignitatem abbatialem dicti monasterii, per abbatem de Landesio, patrem abbatem eiusdem monasterii.

73. Ad idem, pro fratre Ioanne Bacqueler, monasterii de Moris professo, ad dignitatem abbatialem abbatiae de Monasteriis in Argona, per abbatem Trium fontium, patrem abbatem eiusdem monasterii, et ad hoc per dominum Cisterciensem, s. th. pr., specialiter deputatum et commissum.

74. Ad idem, pro fratre Ioanne Kyng, in theologia baccalario formato, religioso professo monasterii de Buckfast, ad dignitatem abbatialem eiusdem monasterii, per abbatem de Stratfordia, Londoniensis dioecesis, commissarium abbatis Savigniaci, patris abbatis eiusdem monasterii.

75. Ad idem, pro fratre Theobaldo, religioso professo et nuper suppriore monasterii de Sturzelbrunna, Metensis dioecesis, ad dignitatem abbatialem dicti monasterii, per abbates de Uterina valle et de Novocastro, commissarios abbatis Maceriarum, Cabilonensis dioecesis, patris abbatis immediati eiusdem monasterii.

IUDICES

76. Abbatibus de Regalimonte, s. th. pr., de Longoponte et

de Frigidomonte, et eorum cuilibet per se et in solidum per generale Capitulum committitur, quatinus omnes et singulas Ordinis utriusque sexus personas, quas in redditibus quibusdam, seu pecuniarum summis aut aliis quibuscumque debitis, vel bonorum detentione invenerint abbati et conventui monasterii Caroliloci, Silvanectensis dioecesis, obligatas aut detinentes, ad debite et plenarie, per omnes iuris et iustitiae vias et Ordinis censuras, satisfaciendum et solvendum cogant et compellant, in plenaria Ordinis potestate.

77. Ad idem, pro abbate et conventu de Frigidomonte, abbatibus de Belloprato Belvacensi, de Longoponte, de Regalimonte et de Caroliloco, s. th. pr.

78. Ad idem, pro abbate et conventu de Prulliaco, abbatibus de Ioyaco, de Caroliloco, de Regalimonte, s. th. pr.

79. Ad idem, pro abbate et conventu de Ioyaco, abbatibus de Prulliaco, de Regalimonte et de Sacroportu.

80. Ad idem, pro abbate et conventu de Charitate, abbatibus de Theoloco, s. th. pr., de Aceyo, de Caroloco et de Monte Sanctae Mariae.

81. Ad idem, pro abbate et conventu de Igniaco, abbatibus de Longoponte et de Valle regis.

82. Committitur per generale Capitulum abbatibus de Altacumba, de Chezeriaco et de Chasseria, et cuilibet eorum in solidum, quatinus omnes et singulas utriusque sexus Ordinis personas et earumdem monasteria, seu quaecumque alia loca, quas et quae per testes fide dignos, litteras obligatorias, acta seu alia legitima documenta, invenerint abbati et conventui vel etiam monasterio Sancti Sulpitii debite teneri et obligatas sive obligata esse, sive quaecumque eorumdem bona detinentes, aut indebite occupantes, tam in pecuniarum summis, redditibus, seu quibuscumque aliis bonis aut debitis, ad eisdem plenarie, realiter et de facto satisfaciendum per Ordinis censuras astringant et compellant, in plenaria Ordinis potestate.

83. Generale Capitulum committit abbatibus de Caroliloco, de Regalimonte, s. th. pr., atque provisori et regenti collegii Sancti Bernardi Parisiis, et eorum cuilibet in solidum, ut omnes et singulas personas, quas iuste et legitime invenerint eidem collegio atque bursariae, singulisque personis eiusdem in aliquo debito teneri et obligari, ad satisfaciendum ex integro secundum

omnes iuris et iustitiae vias, etiam per censuras Orrinis, exacte compellant, in plenaria Ordinis potestate.

[DIFFINITIO] GENERALIS

84. Cum Ordo noster... contributionem sex millium florenorum... *etc. ut in anno* 1449.

1468

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo octavo, die quartadecima mensis septembris, apud Cistercium statuta sunt haec in eiusdem Ordinis Cisterciensis Capitulo generali.

1. Generale Capitulum constituit et ordinat Diffinitores omnes et singulos abbates in praesenti Capitulo existentes.

2. Praesens generale Capitulum volens supplere absentiam reverendissimi domini nostri Cisterciensis, et aliorum primorum patrum non existentium, subrogat dominum abbatem Claraevallis loco reverendissimi domini nostri Cisterciensis, pro domino Firmitatis abbatem de Aceyo [b], pro domino Pontigniaci abbatem de Caroloco, pro domino Claraevallis abbatem de Signiaco, pro domino Morimundi abbatem de Charitate.

[DIFFINITIONES] SPECIALES

3. Capitulum generale auditis clamoribus abbatum Allemaniae inhibet ne abbas de Campo principum amplius visitet auctoritate Ordinis, nisi secum habeat collegam sibi deputatum a Capitulo generali praedicti Ordinis, scilicet abbatem de Fonte salutis, s. th. pr.

4. Attentis senio et infirmitate podagrae, cui subiicitur abbas monasterii Grandissilvae, praesens generale Capitulum ad quinquennium ipsum a via Capituli de speciali gratia habet excusatum et benigne supportatum.

1468. *Fontes* : L^4 : 1-70 ; P^2 : 1, 2 ; *W* : 71.
[a] *Titulus apud* L^4. [b] Asseyo : P^2.

5. Pia mentis attentione praesens Capitulum generale omnibus iustitiam administrare cupiens, audita quaerimonia honesti viri Casparii, fratris germani domini Pauli quondam abbatis monasterii de Campo principum, quia praedictus frater Paulus carceris ergastulo septennio detentus, nec, ut dicit, sibi iustitia, quamvis saepissime requisierit, fuerit administrata, et ex hoc praedictus vir honestus pro ultimo remedio se totius Ordinis et personarum eiusdem declaraverit inimicum, omnes defoedando. Idcirco ipsum Capitulum praecipit et mandat abbatibus de Fonte salutis, s. th. pr., et de Caesarea, ut quamcitius commode fieri poterit, se de huiusmodi negotio informent et secundum iuris et iustitiae viam, praedicto fratri Paulo de remedio provideant opportuno, habita tamen ab ipso fratre Paulo et sibi faventibus cautione sufficienti et assecuratione de non nocendo Ordini et personis ipsius, aut locis ipsorum quovismodo, et hoc faciant exigantque in plenaria Ordinis potestate.

6. Abbatem de Capella, Constantiensis dioecesis, per dominum Claraevallis, s. th. pr., debite et sufficienter citatum ad primam diem praesentis Capituli, et non per se aut per procuratorem comparentem, praesens Capitulum contumacem et excommunicatum denuntiat et declarat, mandans et praecipiens idem Capitulum abbatibus de Altaripa et de Lucella, quatinus dictum abbatem de Capella tamquam excommunicatum et contumacem ubique declarent et denuntient, in plenaria Ordinis potestate.

7. Ad idem, contra abbatem de Villalonga, per abbatem Fontisfrigidi citatum et non comparentem, eidem de Fontefrigido diffinitionis huiusmodi executionem committendo.

8. Abbas de Pomerio per generale Capitulum personaliter citatur ad proximum generale Capitulum, ad deferendum omnes et singulas quittancias et deonerationes, quas habet de receptione contributionum retroactis annis sibi commissarum.

9. Contractum inter abbatem et conventum monasterii Trium fontium et Ioannem Aubert, super grangia dicta la grand Rausière cum suis pertinentiis, in gravamen et damnum non modicum dicti monasterii cum in plusquam dimidia parte iusti pretii sit factum, et contra apostolica et Ordinis instituta, praesens generale Capitulum cassat, revocat et annullat, quacumque confirmatione patris abbatis super hoc facta non obstante, dispensando cum omnibus eiusdem monasterii personis, si et in quantum indiguerint, super iuramento in ipso negotio praestito,

praesentem diffinitionem abbati de Altofonte executionem committendo.

10. Capitulum recipit et tenet in sua salvagardia, tuitione et protectione fratrem Ioannem Strebusch [Flebusch : *infra, n°* 21], nuper abbatis Veteris montis, durante controversia et processu, qui nunc pendet inter magistrum Arnoldum, assertum abbatem dicti monasterii, et dictum fratrem Ioannem, inhibendo omnibus et singulis Ordinis personis, ne eum in aliquo molestare praesumant aut perturbent, ei concedendo ut, si opus fuerit, iuris subsidium a quocumque iudice ecclesiastico possit et valeat impetrare.

11. Generale Capitulum intuitu studii fratris Ioannis Rotarii, scolaris de Insula Barrensi, annuit et concedit, ut abbas de Sancto Benedicto pro anno praesenti infra festum Paschae proxime futurum summam 14 librarum turonensium in sublevamen expensarum per dictum fratrem Ioannem in actibus solemnibus theologiae fiendarum, integraliter persolvat ; praesentis diffinitionis executionem abbati Pruliaci, provisori et magistro regenti collegii Sancti Bernardi Parisiis, et eorum cuilibet per se et in solidum committendo, et eumdem abbatem ad summam praedictam persolvendum per Ordinis censuras viriliter et exacte compellendo.

12. Ad idem, pro scolari Montis Sanctae Mariae, abbatem de Altocristo ad biennium, praedictis committendo.

13. Abbati de Bullione per generale Capitulum praecipitur, quatinus per Ordinis censuras compellat fratrem Richardum de Paiqueyo, monasterii Montis Sanctae Mariae, ad restitutionem omnium et singulorum bonorum, contra inhibitionem sibi factam per abbatem monasterii Longivadi, nuper ablatorum.

14. Praesens Capitulum visis et auditis litteris atque iuribus Guillelmi Rabeaulx et suorum fratrum, relictorum defuncti Ioannis Rabeaulx, perpetuum silentium imponit abbati et conventui monasterii de Callovio super controversia orta inter dictos abbatem et conventum et ipsos Rabeaulx super quibusdam haereditagiis situatis in territorio dicto la Mortoirie, inhibendo sub poenis et censuris Ordinis, ne de cetero praedictos Rabeaulx quacumque via super hac re inquietare aut molestare praesumant ; praesentis diffinitionis abbati monasterii de Rupibus executionem committendo.

15. Generale Capitulum praecipit et mandat abbatibus de

Tribus fontibus et de Longovado per se et in solidum, quatinus compellant per censuras Ordinis abbatem et officiarios de Castellione ad solvendum integraliter summam 33 librarum, 14 solid. et 10 denar. turon., cellerario Claraevallis, ratione quorumdam expensarum factarum per fratrem Iacobum de Tornaco, in prosecutione dignitatis abbatialis ipsius monasterii de Castellione, et quia ipsi de Castellione ab anno 66, in quo fuerunt iudicati, ad praedictam summam exsolvendam distulerunt, et adhuc renuunt, vult idem Capitulum, ut pro annis et terminis anni 65, 66 et 67, necnon et annis sequentibus usque ad completam summae praedictae per solutionem, per censurae Ordinis compellantur, in plenaria Ordinis potestate.

16. Item, generale Capitulum inhibet omnibus personis Ordinis nostri sub excommunicationis poena, ne de cetero praesumant vel attentent quovismodo in monasterio Montispetrosi horas canere vel divina celebrare, absque voluntate et licentia domini Antonii de Forghas, electi praedicti monasterii, petita et obtenta ; praesentis diffinitionis executionem abbati de Bosqueto, alias de Vallislucidae, in plenaria Ordinis potestate, committendo.

17. Item, praecipit idem Capitulum atque mandat ut frater Petrus de Molendino novo, Montispetrosi professus, totius turbationis et processus initiator, in firmis detineatur carceribus usque ad congruam pro demeritis satisfactionem, et hoc proprii monasterii expensis ; praesentis diffinitionis executionem provisori collegii Sancti Bernardi Parisiis committendo, in plenaria Ordinis potestate.

18. Omnes et singulos abbates, qui suas excusationes ad praesens Capitulum miserunt, idem Capitulum benigne habet excusatos.

19. Praesens generale Capitulum inhibet sub excommunicationis poena omnibus et singularibus personis monasterii Bonaevallis Viennensis, ne alicui alteri obedientiam praestent aut faveant, nisi eorum abbati per commissarios domini Cistercii institutos.

20. Generale Capitulum confirmat et roborat commissionem abbati de Veteri cella, olim eidem concessam super provisione collegii Beati Bernardi in Lipzig, atque eidem committit ut locum aptum et congruum ordinet ad esum carnium pro scolaribus eiusdem collegii.

COMMISSIONES

21. Non sine magna cordis amaritudine praesens Capitulum generale suscipere fratrum discordias consuevit, sed maiore cum dolore inferiorum in superiores rebellionem et inobedientiam portare potest et sufferre. Quia igitur, ut moris est usitati, ad ipsius Ordinis honorem et manutenentiam patres maiores ad certas in praedicti Ordinis plenaria potestate diriguntur provincias, et anno novissime elapso huiusmodi legationis officium dicto abbati de Claravalle, s. th. pr., in partibus Germaniae, Allemaniae, atque locis circumvicinis datum fuisset et iniunctum in Ordinis potestate plenaria, atque ad id exercendum post plurimorum monasteriorum visitationem Coloniam, in Veterem montem profecturus devenisset, magistro Arnoldo, s. th. pr., pro nunc asserto abbati praedicti loci, adventum suum, et adventus causam denuntiavit intimando, ut quae ad visitationem passivam requiruntur disponeret; interim dum haec fierent, frater Ioannes Flebusch, ipsius loci de Veteri monte nuper abbas super a sua dignitate abbatiali, ut dicebat, iniusta depositione et sui honoris iniqua diffamatione, planctum fecit et querimoniam, expetens et expectans sibi debitum administrari iustitiae, quod cum praedictus dominus abbas de Claravalle non denegasset; nihilominus ipse magister Arnoldus in totius Ordinis vilipendium et contemptum praedicto Ordinis commissario aditum in monasterium denegando religiosos ne debita fieret informatio retrahendo, brachio saeculari in suae animae periculum se muniendo, verba alta et arrogantiae plena in ipsos commissarium et suos proferendo, rebellem se et inobedientem fecit et reddidit, nec in sui iuris tuitionem et adversae partis informationem quidquam proferre voluit, sed per appellationum anfractus subterfugit et latuit. Quamobrem his et similibus insolentiis et temeritatibus praedictum Capitulum obviare cupiens, fratris Ioannis Flebusch destitutionis a dignitate abbatiali, atque magistri Arnoldi promotionis causam, investigationem, atque finalem discussionem et determinationem, vocatis vocandis, domino abbati Cistercii et quatuor primis, vel quos dominus Cistercii vocandos censuerit decidendam reliquit, committitque et in virtute salutaris obedientiae, praecipit abbatibus de Fonte salutis, s. th. pr., et de Eberbaco, Eystetensi et Maguntinensi dioecesium, ut quamcitius commode fieri poterit, se in praedic-

tum monasterium de Veteri monte transferant vel in locum proximum ac tutum, et se super controversia praedictorum causae profundius indagando, atque super rebellionibus et inobedientiis per praedictum magistrum Arnoldum Ordini in persona saepe dicti abbatis Claraevallis factis, se debite et plenius informent, in plenaria Ordinis potestate ; etiam subsidium iuris, si opus fuerit, invocando, informationes suis sigillis firmatas, praedictis iudicibus infra proximum Pascha vel citius, si commode fieri poterit, destinando. Praecipit autem idem Capitulum praedicto magistro Arnoldo ceterisque nostri Ordinis regularibus personis sub inobedientiae et excommunicationis poenis, ut praedictis iudicibus et abbatibus in supradictis et ea tangentibus humiliter pareant et obediant, praedictusque magister Arnoldus citatus et vocatus sub praedictis poenis coram notatis iudicibus et commissariis indefectibiliter compareat.

22. Capitulum generale committit abbatibus de Campo et de Campo Mariae et eorum cuilibet, in virtute salutaris obedientiae, quatinus se ad monasterium Claricampi personaliter vel alibi, ubi tute poterit vel poterunt, transferentes, de causa et iure, quas frater Goffridus de Goch in dicto monasterio habere praetendit, se diligenter informent, et dicto fratri Goffrido complementum iustitiae, prout iuris erit, ministrent, in plenaria Ordinis potestate.

23. Per generale Capitulum committitur abbati Caroliloci, quatinus compellat per censuras Ordinis omnes et singulos abbates dioecesis Bisuntinae, ad solvendum quotas suis monasteriis impositas et imponendas, pro satisfactione et solutione 50 ducatorum procuratori Ordinis debitorum, ratione cuiusdam sententiae habitae in Curia romana contra archiepiscopum Bisuntinensem.

24. Generale Capitulum committit abbatibus de Belloloco et de Villalonga, et eorum cuilibet in solidum, ut quamcitius fieri poterit se ad monasterium de Silvanesio transferant et fratrem Armandum de Solages Ferrand Bonaevallis in veram et realem possessionem ponant. Si vero ad praedictum locum de Salvanesio non sit securus accessus, ad proximum Ordinis locum hoc idem faciant, fratri autem Hugoni Rodesii, sub censuris Ordinis silentium imponant, atque abbatem de Ardorello viriliter et exacte sub Ordins censuris compellant ad satisfaciendum plenarie eidem Armando, de expensis factis in purgatione super

infamia eidem Armando per praedictum de Ardorello imposita, a qua per abbatem de Fontefrigido omnino repertus fuerit immunis et innocens, et hoc faciant in plenaria Ordinis potestate.

25. Per generale Capitulum committitur abbatibus de Fonte salutis, s. th. pr., et de Caesarea, quatinus se informent de excessibus, verbis iniuriosis et infamibus dictis, factis et prolatis per fratrem Nicolaum Vane in monasterio Caesariensi professum, et secundum suorum exigentiam demeritorum puniant et corrigant, in plenaria Ordinis potestate.

26. Per generale Capitulum committitur abbatibus de Vellerio Metensi, et de Schonowia, quatinus diligenter et debite se informent de omnibus et singulis contentis in litteris, quibus praesens annectitur diffinitio, et si per informationem invenerint omnia in ipsis litteris contenta fore utilia monasterio Uterinae vallis, confirment, ratificent et approbent, in plenaria Ordinis potestate.

27. Reformationem et reclusionem ac etiam destitutionem et institutionem, in capite et in membris, in monasterio monialium de Sancto Thoma et de Ponte Leonis, circa muros Trevirenses, praesens generale Capitulum committit abbati monasterii de Eberbaco, Maguntinensis dioecesis, in plenaria Ordinis potestate.

28. Controversiam motam super abbatiatu monasterii de Monasteriis in Argona, inter fratres Georgium Burgensem et Ioannem de Tiennes, praesens generale Capitulum de dictarum partium consensu pariter et assensu, committit domino Cisterciensi in plenaria Ordinis potestate terminandam ; et in casu quo idem dominus Cistercii onus huiusmodi negotii assumere recusaret, citatorium per dictum fratrem Georgium factum in Curia romana locum habebit.

29. Committitur abbati de Nigrolacu, ut diligenter se informet de et super concordia facta pro abbatia de Albis petris, et secundum quod invenerit, religiosos dicti monasterii a sententiis et irregularitatibus contractis absolvat, in plenaria Ordinis potestate.

30. Rebellionem et inobedientiam abbatis Vallis clarae, qui poenitentiam per Capitulum generale sibi anno elapso de forefactis iniunctam facere recusavit, dissimulare non valens praesens Capitulum praecipit et mandando committit abbatibus de Signiaco et de Valle regis, quatinus quamcitius commode poterunt,

personaliter ad ipsum monasterium Vallis clarae accedant, ibidemque visitent, reforment et corrigant, etiam abbatem praefatum, si sua exigant demerita, ab abbatiali dignitate, absque quacumque dissimulatione deponendo, et alium sufficientem et idoneum, loco sui, electione canonica, instituendo et installando, in plenaria Ordinis potestate.

31. Generale Capitulum piam audiens querimoniam abbatis et conventus monasterii de Lenym, de et super quibusdam gravaminibus et damnis per magistrum Arnoldum, nuper dicti monasterii abbatem, eidem monasterio de Lenym illatis, committit abbatibus de Fonte salutis, s. th. pr., et de Eberbaco, Eystettensis et Maguntinensis dioecesium, quatinus partibus citatis et vocatis sub poenis et censuris Ordinis, debite et fideliter secundum iuris et iustitiae... se informent de et super huiusmodi gravaminibus et damnis, et informatione habita domino Cisterciensi et aliis per Capitulum deputatis fideliter referant.

ELECTIONES

32. Electionem, provisionem et installationem de persona fratris Ioannis de Sancto Vito, religiosi professi monasterii de Heymerode, ad abbatialem dignitatem ipsius monasterii, per dominum Claraevallis, ipsius monasterii patrem abbatem factas, tamquam canonicas et secundum Ordinis statuta celebratas, prout in praesenti decreto... *etc.* confirmat.

33. Promotionem et installationem de persona fratris Iacobi de Walderburga, monasterii de Villerio Metensi professi, ad dignitatem abbatialem monasterii de Fristorff, per dominum Morimundi, patrem abbatem, etc... approbat.

34. Ad idem, pro fratre Ioanne Sirck, monasterii de Fristorff, ad abbatialem dignitatem monasterii de Villerio Metensi, per provisionem et promotionem domini Morimundi, eiusdem monasterii patrem abbatem, factas.

35. Electionem, promotionem et installationem de persona fratris Antonii de Forges, ad dignitatem abbatialem Montispetrosi factas, ... approbat.

36. Ad idem, pro fratre Petro Maxhierii ad dignitatem abbatialem monasterii de Bonavalle Viennensi, per abbatem Chasseniae et priorem Cistercii, commissarios domini Cistercii.

37. Ad idem, pro fratre Antonio Desmer, monasterii Frigi-

dimontis, ad dignitatem abbatialem monasterii de Lanneyo, per abbates monasteriorum de Bellobecco et de Caroliloco, s. th. pr., commissarios Capituli generalis.

38. Ad idem, pro fratre Bernardo Hartman de Neuvenstein, monasterii de Speciosa valle professi, ad dignitatem abbatialem eiusdem monasterii, per abbatem de Alba, commissarium abbatis monasterii Caesariensis, ipsius monasterii immediati patris abbatis.

39. Ad idem, pro fratre Matheo, monasterii de Victoria professo, ad abbatialem dignitatem eiusdem monasterii, per abbatem de Runa, commissarium abbatis de Villario Metensi, dicti monasterii de Victoria immediate patris abbatis.

40. Ad idem pro fratre Roberto, monasterii de Caladia, ad dignitatem abbatialem eiusdem monasterii, per abbatem Trium fontium, eiusdem monasterii immediatum patrem abbatem.

41. Ad idem, pro fratre Ioanne Dñ. ad dignitatem abbatialem monasterii de Bildhausen, per abbatem monasterii Ebracensis, eiusdem monasterii patrem abbatem.

REHABILITATIONES

42. Ad instantiam et humilem supplicationem abbatis monasterii de Lanneyo, praesens generale Capitulum cum fratre Ioanne de Tienes, eiusdem monasterii professo, misericorditer dispensat, ut non obstante inhabilitate et infamiae nota, quam incurrere potuit quamdam mulierem suspectam in camera sua in curia tenendo, ac contra paupertatis votum et Dei praeceptum furtum semel faciendo, super quibus sibi iniunctam Ordinis poenitentiam humiliter et devote peregit, ad omnes Ordinis actus legitimos, gradus, voces, officia, beneficia et administrationes, abbatiali seclusa dignitate, promoveri valeat et admitti.

43. Ad idem, pro fratribus Adriano Pate et Iacobo le Conver, praedicti monasterii de Lanneyo professis, qui in eodem monasterio cum muliere suspecta communicationem habuerunt, et suis abbatis absque licentia monasterii metas exiverunt, habitu regulari temere dimisso.

44. Ad idem, pro fratre Hugone de Viis, eiusdem monasterii, qui pariformiter cum dicta muliere et quadam altera de carnis contagio, puerperio inde secuto, et introductione alterius mulieris in dormitorium extitit convictus.

45. Ad idem, pro fratre Ioanne Philippi, monasterii Charitatis, qui in apostasia celebravit.

46. Ad idem, pro fratre Achatio de Cella Dei, Ratisbonensis dioecesis, qui per spatium septem dierum vel citra apostatavit, abbatiali inclusa dignitate.

47. Ad idem, pro fratre Nicolao André, Ruris regis, Sleswicensis dioecesis, qui in apostasia existens omnes sacros ordines sumere praesumpsit, abbatiali seclusa dignitate.

48. Ad idem, pro fratre Matheo, in Clara provincia, regni Poloniae, qui pro extraordinaria expensa panis et cerevisiae minas sustinere non valens, apostatavit, inclusa dignitate abbatiali.

49. Ad idem, pro fratre Nicolao, eiusdem monasterii, qui sine licentia monasterium suum apostatando exivit, inclusa dignitate abbatiali.

50. Ad idem, pro fratribus Nicolao Dal et Martino Lers, monasterii de Villerio, de carnis contagio convicti, seclusa dignitate abbatiali.

51. Ad idem, pro fratre Henrico Flade, monasterii de Venevillerio, de contagio carnis convictus, seclusa dignitate abbatiali.

52. Ad idem, pro fratre Alberto, monasterio de Fonte salutis, pro apostasia.

53. Praesens generale Capitulum misericorditer dispensat cum fratre Henrico de Divione, ut non obstante contagio carnis, de quo convictus extitit, in monialem monasterii de Battanto, de causa pro nunc carceribus detinetur, ab eisdem relaxetur, proviso tamen quod de per eum receptis ab abbatibus monasteriorum Ordinis in dioecesi Bisuntina fidelem computum, et reliqua reddiderit ; huius diffinitionis executionem abbati Charitatis committendo.

GRATIAE

54. Generale Capitulum cum abbate Igniaci misericorditer agere cupiens, sibi uti lineis, attenta sui corporis debilitate, confert auctoritatem, et quod pro semel possit omnes personas sibi subditas et commissas ex parte domini episcopi Cenomanensis, absolvere cum poenitentia salutari ab omnibus et singulis peccatis, casibus, et excommunicationum sententiis, ipsi Capitulo specialiter reservatis, et sibi confessorem sufficientem et idoneum, qui consimilem habeat potestatem, eligere.

55. Ad idem, pro abbate et conventu de Villerio Metensi, pro semel.

56. Ad idem, pro abbate et conventu de Uterina valle.

57. Ad idem, pro abbate de Bonomonte, et omnibus utriusque sexus personis sibi subditis.

58. Ad idem, pro priore et monachis prioratus de Valle vinearum.

59. Ad idem, pro abbate et conventu de Clarofonte.

60. Ad idem, pro abbate de Fonteneto et sibi immediate subiectis.

61. Ad idem, pro abbate de Lucella dumtaxat.

62. Ad idem, pro abbate de Novocastro.

63. Ad idem, pro abbate de Lenym.

64. Ad idem, pro scolaribus collegii Sancti Bernardi in Lipzig super abusu in esu carnium.

65. Ad idem, pro abbate de Monte Sanctae Mariae et sibi immediate subiectis.

66. Generale Capitulum misericorditer dispensat cum fratribus Hermano, Ioanne, Henrico, Ioanne et Petro monasterii de Victoria professis, super irregularitate per ipsos in apostasia contracta, ipsos in foro exteriori benigne absolvendo.

67. Generale Capitulum cum abbate de Heymerode charitative dispensat, et a missione scolaris ad studium generale dehinc ad biennium excusat.

IUDICES

68. Abbatibus de Tribus fontibus, de Igniaco et de Longovado, et eorum cuilibet per se et in solidum, per generale Capitulum committitur, quatinus omnes et singulas Ordinis utriusque personas, quas in redditibus quibusdam seu pecuniarum summis aut aliis quibuscumque debitis, vel bonorum detentione invenerint domino Claraevallis et suo conventui obligatas aut detinentes, ad debite et plenarie per omnes iuris et iustitiae vias et Ordinis censuras, satisfaciendum et solvendum cogant et compellant, in plenaria Ordinis potestate.

69. Ad idem, pro collegio Sancti Bernardi Parisiis, de Caroliloco et de Regalimonte, s. th. pr., ac provisori et regenti ipsius collegii.

[DIFFINITIO] GENERALIS

70. Cum Ordo noster... contributionem sex millium florenorum... *etc. ut in anno* 1449.

* * *

71. Capitulum generale concedit abbati de Lenin, ut bona quaedam civitati Brandenburg tradat.

1469

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo nono, decimaquarta mensis septembris, acta fuerunt haec in Cisterciensi generali Capitulo.

[DIFFINITIONES] GENERALES

1. Generale Capitulum in favorem honestatis et sufficientiae fratris Ioannis Ratton, s. th. pr., dudum abbatis monasterii Ursicampi, benigne secum dispensat et sibi annuit, quatinus post decessum suum possit et valeat sepeliri in capitulo eiusdem monasterii, non obstante Ordinis consuetudine, quia soli abbates in capitulis consueverunt sepeliri.

2. Quia frater Gregorius de Lesines, conversus in monasterio Igniacensi, suae salutis immemor, contra Ordinis statuta, absque sui abbatis licentia exivit, ad monasterium Cartusiense de Bourfontaine indebite transeundo, et propterea iuste et canonice ab eodem suo abbate sententia excommunicationis fulminatus ; quia sententiam excommunicationis, attentis privilegiis Ordinis et statutis tamquam legitimam et regulariter factam, praesens generale Capitulum declarat, approbat et confirmat, ipsum de novo, si opus sit, excommunicando, abbati de Longoponte districte praecipiendo, quatinus omni dissimulatione semota, dictum fratrem Gregorium conversum, palam et publice auctoritate

---

1469. *Fontes* : L^4 : 1-139 ; *M* : 30, 64, 71 ; P^2 : 5, 18, 30, 37, 52, 56, 64, 68, 71 ; *W* : 64 *(abbrev.)*. [a] *Titulus apud* L^4.

Capituli generalis, per affixionem ad valvas ecclesiarum et alias debite et ubi oportebit, excommunicatum denuntiet.

3. Capitulum, non sine cordis dolore, plurium Ordinis patrum relatibus audiens clamores et rumores mali et dissoluti regiminis nonnullarum Ordinis monialium, adeo effrenate secundum desideria cordis sui vivere volentium, in maximum ipsius Ordinis opprobrium, scandalum et honoris denigrationem adeo et in tantum, quod plures bonae religiosae cum periculo animarum suarum inter malas existentes, horrore tamen confusionis perterritae exitum a locis suae professionis praestolantur et requirunt, cui pestifero morbo idem Capitulum per omne quod in se est obviare et de remedio providere cupiens opportuno, omnibus et singulis Ordinis patribus abbatibus et eorum commissariis, pro nunc deputatis et in futurum deputandis, in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae poena, districte praecipit et mandat, quatinus ad earumdem monialium debitam reformationem, reclusionem, punitionem et conversionem, omni dissimulatione semota, secundum Ordinis diffinitiones, statuta et ordinationes procedant et diligenter intendant, ipsas ad vivendum in communi viriliter et exacte compellando, omnium proprietatis et particularitatis vitium ab eis totaliter amovendo et repellando, in plenaria Ordinis potestate.

4. In favorem studii fratris Nicolai Bonepeaux, baccalarii formati in theologia, scolaris de Villanova, et propter paupertatem et desolationem ipsius monasterii de Villanova propter guerras, generale Capitulum praecipit et mandat abbati et conventui de Nigro monasterio, quatinus eidem scolari, quamdiu fuerit domino Cisterciensi ac provisori collegii Sancti Bernardi verus humilis et obediens, quindecim francos pro medietate bursae suae usque ad gradum doctoratus sui in theologia inclusive provideat, qua portione bursae poterit per eumdem dominum Cisterciensem privari, si Ordini fuerit rebellis ac inobediens, nec ad licentiam sine sua speciali permissione poterit promoveri; executionem huius diffinitionis, quoad compellendum ipsum abbatem de Nigro monasterio, abbati de Buzayo, suo patri abbati committendo, in plenaria Ordinis potestate.

5. Generale Capitulum ulterius sustinere non volens inconvenientia, quae sequuntur ex libertatibus, quibus contra Ordinis laudabilem consuetudinem in detrimentum et discrimen conscientiarum et regularium morum uti volunt baccalarii, tam cur-

sores quam formati, collegii Sancti Bernardi Parisiensis, qui sub praetextu et occasione sui gradus, ubi aliis scolaribus simplicibus deberent esse exemplum et forma virtutis et bene vivendi, sunt , proh dolor ! eis in ruinam et scandalum, ecclesiam minime frequentantes, neque diebus privatis neque festivis, a communitate et loco refectionis se et frequenter alios scolares absentantes, quaestiones [b] in commessationibus, potationibus et ludis tablarum et alias per cameras particulares exercentes, tempus sibi pro acquisitione scientiarum, et bonorum morum, concessum in otio et huiusmodi excessibus consumendo in maximum damnum, gravamen et deceptionem Ordinis et propriorum abbatum de eorum ferventi labore fructum expectantium, ipsum generale Capitulum provisori moderno, et omnibus qui pro futuro fuerint, districte et in virtute salutaris obedientiae praecipit et mandat quatinus omni dissimulatione semota, dictos baccalarios, tam cursores quam formatos, exceptis lectoribus ordinariis sub poenis emissionis ab ipso collegio compellat ad quotidie visitandum et frequentandum aulam communitatis hora refectionis et ad interessendum disputationibus, similiter etiam sub poena privationis a vino et pitantia, aut acceptionis disciplinae regularis in capitulo coram omnibus ad nutum provisoris, eosdem baccalarios ad frequentandum ecclesiam et intrandum chorum hora servitii, maxime diebus dominicis et festivis compellat, in plenaria Ordinis potestate.

6. Abbati de Sancto Bernardo extra muros Valentinos, generali Ordinis in Curia romana procuratori, praesens generale Capitulum committit potestatem absolvendi fratrem Matheum de Castilione, abbatem Morimundi Mediolanensis dioecesis, a censuris et sententiis excommunicationis quibus fuerat innodatus, et reponendi et restituendi eumdem in dignitatem abbatialem dicti monasterii de Morimundo, a qua per ipsum generale Capitulum fuerat iuste privatus, in plenaria Ordinis potestate.

7. Abbatibus de Aceyo, s. th. pr., et de Charitate coniunctim per generale Capitulum committitur, quatinus quamcitius poterunt se transferant ad monasterium de Caroloco, et villagia ac loca circumvicina, et super commoditate et incommoditate quorumdam villagiorum manus mortuae requirentium affranchissamentum, diligenter et debite se informent, et quid super hoc

[b] conventiones : *L*4.

invenerint fideliter domino Cistercii potestate Ordinis fungenti, referant, qui super hoc, prout melius videbit, ordinabit in plenaria Ordinis potestate.

8. In supportationem et exonerationem damnorum quae occasione guerrarum incurrit monasterium de Alna, et in favorem studii fratris Egidii de Presles, scolaris eiusdem monasterii, in proximo ordinario sententias lecturi, generale Capitulum misericorditer et benigne sibi remittit totaliterco ntributionem huius praesentis anni.

9. Generale Capitulum misericorditer et benigne dispensat cum Ioanna de Luxemburg, ut non obstante illegitimatione, quam contraxit extra matrimonium nascendo, valeat et possit religionis habitum in monasterio monialium de Oliva vel alibi suscipere, et ibidem Domino Deo vota sua firmare ac reddere, et observantias regulares servare, sibi conceditur et admittitur, in plenaria Ordinis potestate.

10. Ad laudem et honorem gloriossisimae Virginis Mariae Dei Genitricis, et augmentationem nominis sui, ad supplicationem matriculariorum ecclesiae Beatae Mariae de Bollonia parva prope Parisios, ubi causa devotionis confluit ex multis locis fidelium populus, generale Capitulum misericorditer et benigne omnibus dictam ecclesiam ob reverentiam dictae sanctissimae Christi Matris devote visitantibus et eidem de suis bonis benefacientibus et largientibus, participationem omnium orationum, missarum, servitiorum, ieiuniorum, vigiliarum, eleemosinarum, poenitentiarum, ceterorumque bonorum spiritualium, quae in toto Ordine Cisterciensi fiunt et fient in futurum, concedit et annuit.

11. Ad idem, conceditur monasterio de Sancto Bernardo extra muros Valentinos.

12. Ad idem, monasterio de Aceyo.

13. Ad idem, monasterio de Curia Dei.

14. Abbati de Signiaco auctoritate Capituli generalis committitur, quatinus in monasterio Sancti Desiderii vel aliquo alio Ordinis monialium monasterio regulato, ponat et collocet sororem Iacquelinam Danoul, dudum religiosam monasterii de Marcilliaco, ne amplius de cetero per mundum vagando in suae animae praeiudicium, sicut hucusque fecit, discurrat, eidem perpetuum silentium imponendo super quaestione et iure per eam praetenso in dignitate abbatiali monasterii de Curia Nostrae

Dominae, Senonensis diocesis, super quo ei ulterior quaestio et prosecutio interdicitur, in plenaria Ordinis potestate.

15. Cum abbate de Caroloco per generale Capitulum de speciali gratia dispensatur, ut usque ad proximum festum beati Ioannis Baptistae Parisios scolarem mittere non teneatur, usque ad praedictum terminum ipsum ad hoc supportando.

16. Generale Capitulum fratrem Nicolaum Dalyot, monasterii Sancti Angeli de Frangilio, Sanctae Severinae dioecesis, ad secundam diem praesentis Capituli citatum, promotori causarum quod iustum fuerit responsurum, debite et sufficienter expectatum, vocatum, et neque per se nec per procuratorem comparentem, quia iam per quatuor annos sic citatus et non comparens contumaciam sustinuit, ex nunc penitus et totaliter privat, deponit et destituit a dignitate abbatiali sui praefati monasterii ac excommunicatum, destitutum et depositum declarat et diffinit ; abbati de Sancto Bernardo extra muros Valentinos, generali Ordinis in Curia romana procuratori, districte praecipiendo, ut praesentem diffinitionem debitae executioni demandando, tamquam excommunicatum et ab eadem dignitate abbatiali destitutum, depositum et privatum publicet et denuntiet, alium religiosum virum et obedientem Ordini loco eius, secundum Ordinis statuta, instituendo, in plenaria Ordinis potestate.

17. Cum abbate de Rigniaco benigne et misericorditer per generale Capitulum dispensatur, ut non obstantibus regularibus Ordinis statutis, in collegio Sancti Bernardi Parisiis studendo, residentiam et moram trahere possit et valeat, in scientia et moribus diligenter et debite proficiendo, lectiones ordinarias, disputationes, sermones, ceterosque actus scolasticos exercendo et frequentando, et non perdendo tempus suum, neque in otio dies ad proficiendum concessos consumendo, hoc adiecto, quod ipse erit sub subiectione et directione provisoris praedicti collegii, et sine onere vel gravamine communitatis et scolarium ipsius collegii.

18. Provisionem, institutionem et installationem de persona fratris Petri Marguero [c], religiosi professi monasterii de Maceriis in dioecesi Cabilonensi, per Sanctissimum Dominum Nostrum Papam Paulum II, factas, generale Capitulum gratas, ratas et acceptas habet, ulterius secum, sicut cum abbate de Rigniaco,

[c] Marguenio : P^2.

quoad morandum in collegio Sancti Bernardi Parisiensi, cum conditionibus superius expressis dispensando.

19. Abbatibus totius nationis germanicae per generale Capitulum sub poenis in *Benedictina* contentis districte praecipitur, ut omnibus seclusis excusationibus, mittant de suis religiosis ad Universitates et studia generalia, nec scolares ad hoc excusentur sub praetextu mittendi eosdem suos religiosos ad studia particularia, ubi habent domos, et tamen non sunt generalia studia ; huius diffinitionis executionem abbati de Fonte salutis et provisori Heidelbergensi, et eorum cuilibet committendo, in plenaria Ordinis potestate.

20. Abbati de Tribus fontibus per generale Capitulum committitur, quatinus assumpto secum abbate de Monasteriis in Argona, debite et diligenter se informent de vita, conversatione et moribus fratrum Ioannis Louppi, Iacobi de Lachappe et Ioannis de Condé aliorumque religiosorum praedictae abbatiae de Monasteriis, de quorum dissoluta vita pessimus rumor apud Deum et homines scandalosus et scripto vicinorum relatu ad praesentis Capituli audientiam pervenit, et si eos tales, quales fama publica asserit, invenerint, aut alter eorum invenerit, secundum Ordinis statuta absque dissimulatione corrigant et puniant, eos strictis carceribus mancipando et detinendo, in pane et aqua usque ad nutum Capituli generalis, invocando ad hoc, si opus sit, auxilium brachii saecularis, et etiam carceres regios aut alios, si necesse et expediens viderint, requirendo et accommodando, cum plenaria Ordinis potestate.

21. Graves et scandalosos abusus in Ordine ortos et dietim insurgentes ex indebitis contractibus inter nonnullos Ordinis abbates et suos monachos factos et passatos, quibus damnabiliter sicut saecularibus frequenter ipsi abbates tradunt domos et grangias ad firmam, ac etiam contra Ordinis regularia statuta, litteras obligatorias sub sigillis abbatis et conventus se eis obligando tradunt ex quo fit, ut cum dicti monachi sensum propter hoc debitum suo monasterio reddiderunt, de residuo secundum suae voluntatis libitum, sicut puri et meri saeculares posse disponere arbitrantur, proprietatis vitium, proh dolor! in animarum suarum periculosissimum detrimentum, absque Dei et Ordinis timore incurrentes de medio tollere et radicitus eradicare desiderans, praesens generale Capitulum omnibus et singulis Ordinis abbatibus in virtute salutaris obedientiae, et sub poenis excommu-

nicationis latae sententiae, inhibet ne de cetero sub talibus formis et conditionibus domos, grangias seu firmas monasteriorum suorum quibuscumque suis religiosis tradant, quinimo iam traditas revocent huiusmodi conventiones penitus et totaliter revocando et cassando, in plenaria Ordinis potestate.

22. Commissionem anno elapso factam, qua abbati de Campo principum inhibeatur visitatio abbatiarum Germaniae nisi praesente et assistente sibi suo collega abbate de Fonte salutis, generale Capitulum renovat et confirmat, eidem de Campo principum sub poenis et censuris Ordinis iterum inhibendo ne durante tempore suae praefatae commissionis, visitare audeat seu praesumat, nisi eodem abbate de Fonte salutis vocato et praesente.

23. Abbati de Lucella districte per generale Capitulum praecipitur, quatinus diligenter et debite se informet super vita et moribus cuiusdam fratris Nicolai Bayer, religiosi professi monasterii de Caesarea, qui libellum infamiae contra patres et personas Ordinis dicitur scripsisse et fecisse, et ulterius contra proprii abbatis voluntatem et sine eius licentia moram trahit in monasterio de Campo principum, et si ita repererit et ipsum in praemissis vel aliis quibuscumque culpabilem invenerit, omni excusatione postposita eum puniat et corrigat per carceres et alias debite, in plenaria Ordinis potestate.

24. Considerato lamentabili et pessimo crimine sororis Margaretae Rietheim, monasterii monialium Beatae Mariae de Oberschonveld religiosae expresse professae, quae maligno et diabolo spiritu instigata, tribus solemnibus diebus festivis sacrosanctam communionem ficte recipiens reservavit in pixide, in cubiculo suo reponens et postea in malo perseverando apostatavit, iudicante tamen quod corpus Christi tali loco repositum reverenter ad ecclesiam reportaretur ; abbati de Caesarea, patri abbati eiusdem monasterii in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis poena praecipiendo committit, quatinus pro tanta tam dignissimi sacramenti irreverentia eam puniat et corrigat in modum sequentem, videlicet faciendo eam abstinere a susceptione corporis Christi, praeterquam in mortis articulo, per triennium, et nihilominus eam cogat ad confitendum omnibus diebus quibus aliae sorores dicti monasterii confiteri et communicare solent, quibus etiam diebus et dominicis ab elevatione corporis Christi inclusive usque ad finem missae continue levem culpam faciat per annum, et eodem tempore diebus venerinis in pane

et aqua ieiunet ; eam etiam secundum Ordinis statuta de apostasia, quam incurrit illicentiata exeundo puniat et corrigat ; conventusque insuper dicti loci super tam nefando crimine poenitendo una die ieiunabit in pane et aqua, et omnes et singulae religiosae regularem accipiant disciplinam, et ad placandum Altissimum super tanto scelere processionem solemnem faciant, hanc devotam antiphonam *O Sacramentum pietatis* humiliter et devote decantando, vel aliam ad ordinationem patris abbatis, ad quae omnia supradicta facienda et observanda pater abbas de Caesarea easdem religiosas cogat et compellat, in plenaria Ordinis potestate.

25. Attento quod impositio abbatiis comitatus Burgundiae auctoritate generalis Capituli facta ad conducendum processum contra dominum archiepiscopum Bisuntinensem, facta est pro generali defensione iurium et privilegiorum Ordinis, cui merito omnes volentes privilegiis gaudere, contribuere debent, praesens generale Capitulum statuit et diffinit quod abbas de Roseriis se ab huiusmodi impositione eximere volens, ad solvendum pro quota sua compelletur sicut ceteri abbates dicti comitatus ; executionem huius diffinitionis abbati de Caroloco committendo, in plenaria Ordinis potestate.

26. Dominis abbatibus de Cistercio et de Firmitate super Gronam, s. th. pr., committit generale Capitulum, quatinus quamcitius commode fieri poterit, ad monasterium de Maceriis eidem domino Firmitatis immediate subiectum personaliter accedentes ibidem visitent, et de causis, modo et forma resignationis factae per fratrem Gerardum Margueron, nuper dicti monasterii Maceriarum abbatem, se diligenter informent, et si, ut fertur, eumdem bene rexisse et gubernasse, et ipsum monasterium plurimum augmentasse repererint, sibi honestam et competentem pensionem, abbatibus bene meritis, sponte cedentibus, debitam assignent, in plenaria Ordinis potestate.

27. Generale Capitulum visa et audita supplicatione sororis Martinae Lambert, nuper abbatissae de Blandequa, quae ob sua demerita timens ab Ordine deponi et sua dignitate abbatiali privari, in manibus commissariorum domini Cistercii sponte et libere cessit et resignavit, professionem fecit, et pensionem recepit et acceptavit, et licet antea se appellasse dicat, tamen per praedictas resignationem et professionem suae appellationi etiam expressa vivae vocis declaratione coram notario et testi-

bus renuntiavit. Quare idem Capitulum attento quod ipsa apostatando illicentiata dictum monasterium turpiter et ignominiose, inverecunde et in maximam sui infamiam et honoris Ordinis denigrationem exivit, sententiam excommunicationis secundum Ordinis statuta incurrendo, eamdem non debere audiri neque tamquam appellantem recipi, diffinit et declarat, et insuper ipsam fugitivam, apostatam et excommunicatam publicat et denuntiat; huiusmodi diffinitionis executionem omnibus et singulis Ordinis abbatibus committendo, et illis praecipiendo ut ubicumque eam invenerint, strictis carceribus usque ad nutum Capituli generalis vel domini Cistercii mancipent, abbatibus de Claromarisco et de Caroliloco et eorum cuilibet potestatem conferendo, ipsam Martinam a censuris et excommunicationibus, quas incurrit, absolvendi, postquam ad plenam et veram Ordinis obedientiam poenitens et contrita redierit, et omnibus processibus per eam suscitatis, impetrationibus et aliis omnibus per eam contra Ordinis iura et statuta factis et procuratis renuntiaverit, et non alias, in plenaria Ordinis potestate.

28. Abbati de Belloloco per generale Capitulum committitur, ut quemadmodum anno elapso diffinitum fuit, viriliter et exacte per Ordinis censuras et omnes iuris et iustitiae vias compellat abbatem de Ardorello, ad satisfaciendum plenarie fratri Armando de Solages, abbati de Salvanesio de expensis per eumdem factis in purgatione super infamia eidem Armando per dominum abbatem de Ardorello imposita, a qua per abbatem de Fonte frigido omnino immunis et innocens repertus fuit, in plenaria Ordinis potestate, cui abbati de Ardorello relinquitur facultas prosecutionem faciendi super verificatione nonnullorum articulorum super quibus eumdem accusat.

29. Visitationem et reformationem omnium et singulorum monasteriorum Ordinis utriusque sexus in regnis Hungariae, Bohemiae et Poloniae ac in omnibus provinciis totius nationis germanicae cuiuscumque generationis existant, et in Hispaniae, Arragoniae, Navarrae et Cataloniae partibus et in tota sua generatione, ubicumque existant, generale Capitulum committit domino Morimundi cum clausulis opportunis per dominum Cisterciensem addendis.

30. Cum arma clericorum sint eorum lacrimae, et ludi inhonesti maxime dedeceant viros religiosos, generale Capitulum districte inhibet omnibus et singulis regularibus personis, ne ludis

balistae, spadae, seu aliorum baculorum armis exercendis aptorum se exerceant [d], neque de cetero gerant aves praedales supra manum, puta accipitres, falcones et huiusmodi.

31. Abbati de Grandisilva in virtute salutaris obedientiae, et sub poenis excommunicationis et depositionis per generale Capitulum districte praecipitur, quatinus omni negligentia semota, reaedificet, relevet ac reparet, sicut tenetur, collegium Sancti Bernardi in Tolosa, taliter quod scolares ibidem convenientes tute et secure habitare possint ; huius diffinitionis executionem abbati de Ardorello committendo, in plenaria Ordinis potestate.

32. Generale Capitulum omnibus et singulis Ordinis abbatibus et ceteris regularibus eiusdem personis, sub poenis et censuris Ordinis, prohibet ne pensiones supra aliqua Ordinis monasteria vel membra, quibuscumque possint dari vel assignari, nisi per specialem et expressam licentiam et ordinationem Sanctissimi Domini Nostri Summi Pontificis, vel Capituli generalis, et quidquid secus et aliter in contrarium factum vel attentatum fuerit, ex nunc irritum, inane et nullius vigoris et momenti existat.

33. Abbatissam, priorissam, ceterasque moniales monasterii monialium de Bons in Sabaudia, per abbatem de Caroloco, commissarium Capituli generalis, debite monitas, quatinus portarent scapularia nigra secundum formam et modum aliarum religiosarum Ordinis, tamquam rebelles et Ordini in hac re inobedientes, contumaces et excommunicatas, praesens generale Capitulum denuntiat, absolutionem ipsi Capitulo seu abbati de Altaripa, Lausannensis dioecesis, retinendo, quibus tamen sententia et contumacia non vult praesens Capitulum, nec mandat eas posse absolvi, nisi primitus realiter et de facto Ordini obedientes praedicta scapularia nigra more aliarum religiosarum portent et induant ; executionem huius diffinitionis eidem abbati de Altaripa committendo, in plenaria Ordinis potestate.

34. Ad idem, contra abbatissam et moniales Iamien. (?) absolutionem abbati de Sancto Bernardo, generali Ordinis in Curia romana procuratori, postquam obedierint, et non alias, committendo.

35. Abbati de Fonte frigido per generale Capitulum praeci-

---

[d] exerceantur : *MP*².

pitur, quatinus compellat abbatem et conventum de Grandisilva ad recuperandum, et ad ipsum monasterium reducendum, quamdam grangiam vocatam de Grande selva, secus Narbonam, dudum per quemdam abbatem ipsius loci in emphiteosim perpetuam traditam, in praeiudicium et damnum praefati monasterii, modernum abbatem de Grandisilva et singulos eiusdem abbatiae religiosos a iuramento super hoc praestito absolvendo, in plenaria Ordinis potestate.

36. Abbatibus de Tribus fontibus et de Monasteriis in Argona, et eorum cuilibet in solidum, per generale Capitulum committitur, quatinus tam auctoritate dicti Capituli quam domini Firmitatis, fratrem Philibertum de Sancto Stephano, religiosum professum, et nuper cellerarium monasterii de Firmitate, qui spreto suae religionis et professionis voto, et suae immemor salutis, illicentiatus per mundum apostatando vadit et discurrit, ubicumque ipsum apprehendere vel invenire poterunt, capiant, seu capi faciant et severissimis carceribus mancipent, cum auxilio brachii saecularis, si opus sit, ipsius monasterii Firmitatis propriis expensis, in plenaria Ordinis potestate.

37. Commissionem per dominum Cisterciensem in regnis Arragoniae, Castellae, Navarrae et principatu Cataloniae abbati de Sancta Fide traditam, generale Capitulum confirmat et approbat, in plenaria Ordinis potestate.

38. Abbati de Villalonga per generale Capitulum committitur, quatinus diligenter et debite se informet de expensis per abbatem de Bolbona, s. th. pr., factis occasione reformationis collegii Sancti Bernardi in Tolosa, per resistentiam abbatis de Grandisilva, qui cum appellasset ab eadem reformatione condemnatus fuit per Capitulum, male appellasse et secundum quod rationabiliter invenerit eumdem de Bolbona in prosecutione huiusmodi reformationis, ad plene satisfaciendum per censuras Ordinis et omnes iuris et iustitiae vias, cogat et compellat dominum abbatem de Grandisilva, in plenaria Ordinis potestate.

39. Generale Capitulum benigne et pia charitatis compassione abbatem de Bellabrancha ob gravium suarum infirmitatum continuationem, ab hoc praesenti Capitulo generali benigne excusat, et excusatum habet pro duobus proxime futuris annis, eadem Capituli generalis auctoritate secum dispensando, ut ab omnibus et singulis casibus, peccatis, excommunicationum sententiis, apostasiis, irregularitatibus generali Capitulo reser-

vatis, possit et valeat omnes et singulas regulares personas sibi subiectas, in foro conscientiae pro semel absolvere, cum iniunctione salutaris poenitentiae, aut quibus visum fuerit, ex suis religiosis confessoribus hanc pro una vice potestatem conferre, quodque eamdem potestatem habeat eligendi sibi confessorem, qui hoc beneficium et gratiam ei valeat impertiri modo supradicto, in plenaria Ordinis potestate.

40. Abbati de Sancta Fide per generale Capitulum committitur, quatinus diligenter et debite se informet de expensis per dominum Morimundi factis Valentiae, occasione sororum Elienor de Sancto Felice, Aldoniciae de Miraculo, Acociae de Castelin, Castellanae, Catalanae, Yolans de Rivosico, ac ceterarum earumdem complicium, quarum occasione dominus Morimundi certis diebus arrestatus fuit cum omnibus suis bonis, residentiam fecit longam Valentiae, et prout per debitam informationem repererit, easdem ad eidem domino Morimundi satisfaciendum cogat et compellat per censuras Ordinis et omnes iuris et iustitiae vias, in plenaria Ordinis potestate.

41. Quia ad audientiam praesentis Capituli nuper deductum est, nonnullos Ordinis abbates contra *Benedictinam* et alia Ordinis statuta duros, remissos et rebelles esse in solutionibus quotarum contributionum sibi praefixarum, generale Capitulum omnibus et singulis Ordinis abbatibus ad recipiendum contributiones Ordinis deputatis et commissis praecipit, quatinus sub poenis excommunicationis latae sententiae, pro omni praefixionis termino cogant et compellant omnes et singulos Ordinis abbates ad solvendum quotas contributionum, infra quindecim dierum spatium a monitione sibi facta per eosdem collectores, vel ab eis deputatos, alias idem Capitulum excommunicatos praedicto elapso termino reputat, declarat et denuntiat, eisdem deputatis et deputandis sub poenis et censuris praecipiendo, quatinus ipsos sic negligentes et inobedientes, tamquam excommunicatos publicent et denuntient, in plenaria Ordinis potestate.

42. Abbati de Sancto Andrea, s. th. pr., per generale Capitulum committitur, quatinus quamcitius commode poterit, assumto secum abbate de Brolio Benedicti, patre abbate de Trap[p]a, et ambo simul videlicet ipse de Sancto Andrea tamquam Ordinis commissarius et alter tamquam pater abbas, visitent et reforment ipsum monasterium de Trap[p]a in omnibus et singulis quae ibidem invenerint corrigenda et reformanda, et omnes et

singulas querelas, controversias et differentias motas et ortas inter abbates ipsos de Brolio Benedicti et de Trap[p]a, pacificent, appunctuent et debito fine terminent, religiosos per bonam et regularem correctionem et punitionem ad veram obedientiam sui abbatis reducendo, in plenaria Ordinis potestate.

43. Abbatibus de Caroliloco et de Regalimonte, s. th. pr., et de Theoloco, in sacra pagina bacc. form., et eorum cuilibet per se et in solidum, per generale Capitulum committitur, quatinus diligenter et debite se informare studeant vel alter eorum studeat, super commoditate vel incommoditate cuiusdam tractatus facti et initi inter abbatem et conventum monasterii de Vallibus Sernaii ex una parte, et Ioannem le Garnetier iuniore ex altera, de sua domo Parisiensi sita in vico ad fenum, prout in litteris super hoc confectis quibus haec praesens diffinitio annectitur, plenius continetur, et si ipsum tractatum et alienationem domus sic traditam ad redditum invenerint eidem monasterio utilem et commodum, confirment, ratificent et approbent, in plenaria Ordinis potestate.

44. Ad idem, pro alio tractatu de domo eorumdem abbatis et conventus Ducharentonneau grangia, bergeriis ceterisque aedificiis, dependentiis, et aliis pertinentiis, per eosdem abbatem et conventum ad centum et quinque annos traditis nobili viro Yvoni Thomae scutifero.

45. Abbatibus de Vetericella et de Valkenried coniunctim, in virtute salutaris obedientiae ac sub excommunicationis latae sententiae ac depositionis a suis abbatialibus dignitatibus poenis, per generale Capitulum districte praecipitur, quatinus infra proximum festum Sancti Ioannis Baptistae, pro omni dilatione et termino in aliquo loco sibi magis competenti decenti conveniant, et causam, querelas et controversias inter abbaten et conventum de Lenym ex una, et magistrum Arnoldum, abbatem de Veteri monte, partibus ex altera, motas et ortas, vocatis vocandis et examinatis testibus per partes ipsas producendis, super instructionibus et articulis super hoc a praesenti Capitulo destinatis et per ipsum Capitulum eisdem commissariis sub sigillo Diffinitorum transmissis, partibus hinc inde auditis, brevis et bonae iustitiae ministrent complementum, cum omnimoda Ordinis auctoritate, causam istam totaliter terminando, sententiando et secundum Ordinis diffinitiones et statuta diffiniendo, eam amplius ad audientiam Capitali vel quamcumque aliam iustitiam non

remittendo, sed partes ipsas coram ipsis faciant citari et conveniri, et eas per censuras Ordinis et sub poenis amissionis causae ad comparendum et procedendum in ipsa compellant, et partem per eos in hac materia condemnandam ad standum et acquiescendum eorum sententiis plene astringant, et ad solvendum expensas factas et fiendas occasione huius processus compellant, ceteraque in hac re dependentia et pertinentia agant et faciant in plenaria Ordinis potestate, eademque auctoritate approbent, ratificent et confirment quemdam contractum factum et passatum inter praedictos abbatem et conventum de Lenym et Brandenburgenses, sicut Capitulo et petunt inspectores et commissarii alias per Capitulum ad hoc deputati.

Ulterius eisdem commissariis et abbati de Lenym committendo, quatinus diligenter et debite se informent super amissione et deperditione cuiusdam pretiosi et pulcherrimi calicis aurei magni valoris et aestimationis, monasterio de Chorym pertinentis, et dudum eidem monasterio per fundatores in eleemosinam dati, et si per debitam informationem repererint abbatem ipsum de Chorym de alienatione vel amissione huiusmodi calicis notabiliter et evidenter culpabilem et convictum, ipsum a sua abbatiali dignitate destituant et deponant, in plenaria Ordinis potestate.

46. Priori monasterii Claraevallis Mediolanensis dioecesis, per generale Capitulum districte praecipitur, quatinus auctoritate Ordinis diligenter et debite secundum ipsius Ordinis statuta et diffinitiones, puniat et corrigat omnes et singulos eiusdem monasterii religiosos propter reformationem emissos, eos compellendo ad bene et religiose vivendum et tenendum se in aliquibus Ordinis monasteriis, ubi bene et religiose vivant et se teneant, rebelles et inobedientes per ablationem, emissionem, sive pensionum sibi assignatarum privando, in plenaria Ordinis potestate.

47. Generale Capitulum volens inter fratres et religiosos huius sacri Ordinis pacem, amicitiam et concordiam servare et intertenere, audita controversia et querela mota et orta inter magistrum Arnoldum abbatem de Veterimonte, s. th. pr., ex una et fratrem Ioannem Flebusch partibus ex altera, super iure per utramque partem praetenso in dignitate abbatiali dicti monasterii de Veterimonte, absque altero strepitu et figura iudicii rigorosi eosdem in modum sequentem de consensu et beneplacito utriusque partis concordavit et pacificavit, videlicet quod ipse magister Arnoldus erit et manebit verus et pacificus abbas eiusdem mo-

nasterii, cui etiam iuri dignitatis abbatialis idem frater Ioannes Flebusch penitus et totaliter renuntiavit ; et propter hoc silentium perpetuum eidem fratri Ioanni super hoc ex nunc imponit idem Capitulum, utrique earumdem partium similiter super omnibus et singulis querelis et controversiis hucusque hac occasione ortis et motis perpetuum silentium imponendo, et pro pensione gratiosa eidem fratri Ioanni Flebusch singulis annis, donec et quousque dignitatem abbatialem in Ordine pacifice assecutus fuerit, 50 flor. renens. ipse abbas de Veterimonte vel eius successores solvere tenebuntur in duobus terminis per aequalem portionem, videlicet in festo Nativitatis Domini medietatem, et sancti Baptistae aliam partem, quorum primus terminus solutionis erit in festo sancti Ioannis Baptistae proxime futuro ; et pro expensis per eumdem Flebusch occasione huiusmodi prosecutionum factis, ipse de Veterimonte pro semel 100 florenos renens. infra unum annum solvere tenebitur ; et 20 flor. renens. etiam pro una vice pro arreragiis dictae pensionis eidem Flebusch debitis, medioque huius amicabilis concordiae idem Flebusch renuntiavit et renuntiat professioni per eum factae eodem magistro Arnoldo abbati de Veterimonte et suo monasterio, et idem abbas eumdem ab eadem etiam absolvit cum tali conditione quod ipse Flebusch infra proximum festum Omnium Sanctorum in aliquo Ordinis regulato monasterio professionem facere tenebitur, et de eadem ipsum abbatem de Veterimonte infra proximum festum Natalis Domini certificare sub poena privationis eiusdem pensionis sibi assignatae legitime ; quas quidem partes plenum in omnibus praemissis auditas, amicabilem et de earum beneplacito et consensu idem Capitulum ad omnia supradicta observanda, tenenda et adimplenda, secundum sui formam et tenorem idem generale Capitulum condemnat per censuras Ordinis et ad huiusmodi diffinitionis executionem quoad coactionem solutionis pensionis praedictae ordinat et deputat abbatem, cui ipse Ioannes frater Ioannes Flebusch professionem faciet, in plenaria Ordinis potestate.

48. Abbati de Vallibus Sernay omnibus et singulis Ordinis abbatibus per generale Capitulum districte, et in virtute salutaris obedientiae, ac sub excommunicationis latae sententiae poena praecipit, quatinus sororem Coletam de Mesnil, monasterii monialium Beatae Mariae Regalis religiosam professam, suae salutis immemorem et in animae suae grave periculum per saeculum vagando et absque suorum superiorum licentia a longo tem-

pore damnabiliter discurrentem, tamquam fugitivam et excommunicatam palam et publice per affixionem ad valvas ecclesiarum et villarum denuntient et publicent, eamque carceribus in aliquo Ordinis monialium monasterio, usque ad nutum generalis Capituli vel domini Cistercii mancipent, et alias debite, prout secundum eorum conscientiam viderint, iuxta Ordinis regularia instituta, puniant et corrigant cum plenaria ipsius Ordinis auctoritate ; eidem abbati de Vallibus committendo, ut si humiliter et devote ad Ordinis obedientiam redire voluerit, et de facto redeat, eam a censuris et sententiis quas incurrit absolvere possit, abbatissam Maloduni compellendo ab sibi dandam quittanciam professionis et ipsam sic quittatam ad aliquod aliud nostri Ordinis monasterium monialium transmittat, abbatissam ad quam eam miserit ad eam recipiendum per censuras Ordinis et alias iuris et iustitiae vias compellendo, in plenaria Ordinis potestate.

49. Cum fratre Benigno, religioso professo monasterii Claraevallis Mediolanensis dioecesis, attenta sua sufficientia, honestis moribus et conversatione laudabili, per generale Capitulum benigne et misericorditer dispensantur, ut non obstante illegitimatione, quam extra matrimonium natus contraxit, ad sacerdotium, omnes Ordinis actus legitimos, gradus, voces, officia, dignitates, abbatiali seclusa, promoveri valeat et assumi.

50. Reformationem et reclusionem in monasterio monialium de Biloqua in Gandavo, pro animarum salute nuper factam, praesens generale Capitulum ratam et gratam habens eamdem reclusionem ratificat, confirmat et approbat.

51. Ad idem, pro reclusione monasterii Vallis virginum in Auldenardo, per dominum Cistercii, s. th. pr., pro animarum salute nuper facta.

52. Quia nemo tenetur propriis stipendiis militare, attentis laboribus per provisorem collegii Sancti Bernardi Parisiis sumptis et sumendis, in directione agendorum ipsius collegii et scolarium eiusdem, ad supportandum onera et expensas ratione officii pro honore et gloria dicti collegii frequentes occurrentes, generale Capitulum benigne annuit provisori moderno quod singulis annis de communi bursa scolarium habeat et percipiat 20 francos, usque ad revocationem ipsius Capituli generalis.

53. Abbati monasterii de Eberbaco praesens generale Capitulum praecipit et mandat, quatinus quamprinum commode

fieri poterit, personaliter accedat ad prioratum Montis Sanctae Mariae Walburgis, ibidemque visitet, corrigat et reformet, in spiritualibus et temporalibus, in capite et in membris, omnia et singula quae invenerit visitanda, corrigenda et reformanda, ibidem si opus fuerit, de novo priore providendo, in plenaria Ordinis potestate.

54. Generale Capitulum condolens desolationi monasterii Vallis Sancti Lamberti, in quo novissime diebus istis ignis de cœlo descendens tota ecclesiam combussit usque ad lapides, quotam contributionum monasterium praedictum concernentium dehinc ad quinquennium misericorditer relaxat et remittit.

55. Ad idem, pro monasterio Vallis Dei, Leodiensis dioecesis, attentis guerrarum incommodis, pro anno isto dumtaxat.

56. Ut materia et occasio vagandi et discurrendi personis regularibus Ordinis penitus auferatur, praesens generale Capitulum inhibet omnibus abbatibus Ordinis universi, sub gravibus Ordinis poenis et depositionis, quod de cetero nullatenus suos monachos licentiare praesumant, nisi per ipsos fuerit terminus brevis assignatus, qui tamen non excedat duos menses, quodque provideant dictis monachis de monasteriis, in quibus recipi valeant, antequam per ipsos emittantur, si ad tempus voluerint illos ad alia monasteria emittere.

57. Tractatum passatum et initum inter abbatem et conventum monasterii Ursicampi et Antonium Coppe, dictu Bouchar, hospitalarium et burgensem Parisiis, prout plenius continetur in litteris... *etc.* approbat.

58. Attenta desolatione et ruina monasterii de Bithania, generale Capitulum abbatem dicti monasterii a via Capituli dehinc ad quinquennium de speciali gratia habet excusatum.

59. Ad idem, pro abbate monasterii Altaecumbae, attento eius senio, pro praesenti anno.

60. Domino Firmitatis, s. th. pr., per generale Capitulum committitur et praecipitur, quatinus per Ordinis censuras, ac alias iuris et iustitiae vias compellat abbatem et officiarios monasterii Maceriarum ad satisfaciendum Stephano Bergier de Chaneyo de his, in quibus legitime eidem invenerit obligatos, in plenaria Ordinis potestate.

61. Abbatissam monasterii monialium de Virgulto, Cameracensis dioecesis, praesens generale Capitulum habet benigne supportatam dehinc ad quinquennium a solutione medietatis

pensionis sororis Margaretae Ghemars, moniali de Pratis iuxta Duacum, dudum praedicti monasterii de Virgulto per 9 menses dumtaxat abbatissae alias sibi assignatae, non obstante confirmatione eiusdem Capituli super hoc concessa.

62. Provisionem et pensionem per abbates monasteriorum de Belloprato et de Caroliloco, s. th. pr., et generalis Capituli commissarios, fratri Petro Pipon, religioso professo monasterii de Regalimonte, nuper abbati monasterii de Lanneyo, assignatam, prout in litteris super hoc confectis, quibus haec praesens diffinitio annectitur plenius continetur, praesens generale Capitulum ratificat, confirmat et approbat, abbatibus de Belloprato et de Regalimonte, et eorum alteri super hoc requirendo, huiusmodi diffinitionis executionem in plenaria potestate committendo, ulterius declarando, quod scissurae sive rupturae in eisdem litteris per notam notarii apostolici factae ipsas litteras nullatenus reddunt vitiosas.

63. Fratrem Alanum, monasterii de Bonarequie abbatem, ad Capitulum generale debite citatum et non comparentem, praesens generale Capitulum contumacem, rebellem et excommunicatum reputat et denuntiat, abbatibus de Precibus, s. th. pr., et de Boquien, et eorum alteri praecipiendo et mandando, quatinus dictum abbatem de Bonarequie, palam et publice contumacem et excommunicatum ubicumque opus fuerit, denuntient et denuntiari faciant, seque fideliter et debite informent de et super excessibus et criminibus contentis, in articulis sigillo Diffinitorum signatis, eisdem praesentandis, et informatione facta secundum exigentiam ipsius demeritorum ipsum taliter puniant et corrigant, quod aliis cedat in exemplum et terrorem, etiam si opus exegerit, a dignitate abbatiali deponendo, in plenaria Ordinis potestate.

64. Cum secundum nostri Ordinis regularia statuta ab omnibus et singulis eiusdem Ordinis regularibus personis uniformitas, tam in modo vivendi quam in habitibus deferendis, debeat observari, nihilominus novissime istis diebus ad notitiam generalis Capituli devenit, quod in nonnullis monasteriis in partibus Germaniae situatis, huiusmodi uniformitas et signanter in habitu minime observatur, cum in multis locis abbates et monachi nationis germanicae griseas deferant cucullas contra communem modum, alias per generale Capitulum salubriter ordinatum ; hinc est quod praesens generale Capitulum huiusmodi abusum

radicitus amputari cupiens, inhibet omnibus et singulis dicti Ordinis regularibus personis, sub poenis et censuris Ordinis, ne de cetero tales habitus discolores, seu alterius coloris quam albi vel nigri deferre praesumant, in locis tamen in quibus griseis utuntur cucullis, ne albae foedentur, idem Capitulum permittit, quod a prandio inclusive, si voluerint, loco grisearum nigras gerant cucullas, eisdem de cetero et ceteris Ordinis regularibus personis, demptis conversis, usum praefatarum cucullarum penitus et totaliter prohibendo et interdicendo.

65. Abbati de Oratorio per generale Capitulum committitur, quatinus quamprimum poterit ad monasterium Claritatis personaliter accedat, ibidemque se informet de et super emissione fratris Mathei Marie, eiusdem monasterii Claritatis professi, et informatione habita, si invenerint dictum fratrem casus commisse adeo graves, quod merito debeat e monasterio eliminari, dictum fratrem Matheum in aliquo Ordinis monasterio sic provideat quod vagandi materiam non habeat, sin alias abbatem suum ad ipsum recipiendum, in plenaria Ordinis potestate, viriliter et exacte compellat.

66. Abbatibus de Recluso et de Charmeya per generale Capitulum committitur, quatinus se debite et fideliter informent de iure paterno, quod praetendit habere abbas Ioyaci in prioratu de Iardino iuxta Plamastrum, domino Cistercii, s. th. pr., nullo medio pertinentem, et habitis informationibus dicto Capitulo generali proxime futuro singula quaeque fideliter referant.

67. Desolationi et ruinae pergrandi, ad quas tendit ecclesia monasterii monialium Beatae Mariae de Gronninghes, praesens generale Capitulum condolens et relevamen ex intimo desiderans, abbati de Dunis idem Capitulum committit, quatinus gratiosum subsidium pro reparatione praedictae ecclesiae de Gronninghes monasteriis utriusque sexus in comitatu Flandriae constitutis fideliter imponat, et ad solvendum quotam per ipsum deputandam abbates et abbatissas charitative roget et requirat.

68. Diffinitionem de scolaribus ad studia generalia mittendis alias per generale Capitulum editam, secundum sui formam et tenorem praesens generale Capitulum confirmat et renovat. Quia in litteratis viris... *etc. ut supra anno* 1460 *n*⁰ 19.

69. Abbati de Claratumba per generale Capitulum committitur, quatinus virtute commissionis suae exactam diligentiam faciat ad recuperandum bona temporalia monasteriorum de Obra

et de Premaut pertinentia, ad hoc, quod in eisdem religiosi divinum possint et valeant Altissimo servitium exhibere et celebrare, inhibeatque sub censuris Ordinis abbatibus monasteriorum ad saecularia iudicia se trahentibus, ne de cetero talia facere praesumant.

70. Generale Capitulum declarat fratrem Hubertum de Duaco, monachum monasterii Trium fontium non incurrisse aliquam infamiae notam seu inhabilitatem occasione huius quod affuit in percussione cuiusdam fratris Roberti, eiusdem monasterii monachi, ex qua laesione post duos dies migravit a saeculo.

71. Ad evitandum scandala dietim in Ordine nostro per commendas emergentia, praesens generale Capitulum dat et concedit plenariam [e] licentiam abbatibus monasteriorum de Gimundo, de Nizorsio [f] et de Scala Dei, monasteria sua pro bono et utilitate eorumdem, si voluerint in manibus abbatum Grandissilvae et de Bardonis, tam coniunctim quam divisim, pure cedendi, et absque aliqua simoniae macula, resignandi, eisdem auctoritatem concedens de aliis sufficientibus et idoneis nostri Ordinis personis in ipsis monasteriis, secundum papalia et dicti Ordinis regularia statuta, providendi.

72. Abbati de Ardorello per generale Capitulum committitur, quatinus se debite et fideliter informet de expensis factis in provisione facta de novo abbate in monasterio Villaelongae, et informatione facta partibus hinc inde auditis, debitae iustitiae complementum ministrare non omittat, in plenaria Ordinis potestate.

73. Omnes abbates qui ad praesens Capitulum non venerunt, nec se debite excusaverunt, praesens generale Capitulum contumaces et excommunicatos reputat et denuntiat.

74. Abbati de Sancto Andrea, s. th. pr., praesens generale Capitulum committit, quatinus se diligenter et fideliter informet de et super iniuriis per abbatem de Brolio et quemdam fratrem Ioannem de Vernieul, domino Ioanni Lorel in artibus magistro et curato Sancti Martini, ut dicit, illatis et post debitam informationem, partibus hinc inde auditis, debitae iustitiae complementum ministret, in plenaria Ordinis potestate.

75. Generale Capitulum committit abbati de Curia Dei, quatinus se fideliter informet de et super contentis in quibusdam

[e] plen. lic. *deest M.* [f] Nirossio : P^2.

litteris tractatuum pro monasteriis de Eleemosina et de Fontanis albis, et ea quae per informationem debitam invenerit, proximo Capitulo generali referat et indicet.

76. Intuitu pietatis, et contemplatione paupertatis monasterii de Boneffia, quod in suis aedificiis ruinam non modicam patitur, praesens generale Capitulum ordinat et diffinit quod media pars eleemosinarum, quae fiunt de pecuniis ad portas monasteriorum Ordinis utriusque sexus dehinc ad biennium in partibus Flandriae, Brabantiae, Hannoniae et Picardiae, esui pauperum deputatarum et ordinatarum, ad reparationem ruinae et desolationis aedificiorum dicti monasterii de Boneffia convertatur, realiter et cum effectu deliberetur abbatibus monasteriorum... *(locus vacuus)* huiusque diffinitionis executionem committendo, ad viriliter et exacte compellendum huiusmodi eleemosinarum distributores ut debite abbati dicti monasterii de Boneffia, aut suo certo mandato persolvant.

77. Devotioni personarum utriusque sexus monasterium Beatae Mariae de Boneffia visitantium, praesens generale Capitulum annuere cupiens, eisdem personis dictum monasterium devote visitantibus, ac eidem de bonis suis temporalibus largientibus, praesens generale Capitulum plenariam participationem omnium bonorum spiritualium, videlicet missarum, eleemosinarum, orationum, abstinentiarum, ieiuniorum, ceterorumque divini cultus obsequiorum, quae fiunt ac fient in futuro in ipso Ordine, tam in vita quam in morte, benigne largitur et concedit.

78. Committitur per generale Capitulum abbatibus de Andreow et de Sulejow, et cuilibet eorum in solidum, quatinus diligenter et debite se informent, si pro utilitate et commodo monasterii Claraetumbae debeat vendi quaedam villa per guerras deserta, vocata Dombremika, quae quidem villa dicto monasterio valere solebat in annuo redditu 14 marcas bohemicales, et informatione facta, singula quaeque in materia repererint, proximo Capitulo referant.

79. Pensionem factam per abbatem Fonteneti sorori Annae de Saint Pore, pridem abbatissae monasterii Beatae Mariae de Requie assignatam, prout plenius continetur in litteris, quibus haec praesens diffinitio annectitur, praesens generale Capitulum confirmat, ratificat et approbat, mandans idem Capitulum domino Pontigniaci, quatinus abbatem dicti monasterii de Fonteneto ad realiter persolvendum huiusdi pensionem dictae sorori

Annae, per censuras Ordinis compellat, in plenaria Ordinis potestate.

80. Quia dolenter ad notitiam generalis Capituli devenit quomodo retroacto tempore abbates et conventus monasterii de Claromarisco nonnullos tractatus indebitos in praeiudicium et damnum dicti monasterii fecerunt, contra Ordinis regularia statuta, generale Capitulum super hoc remedium apponere cupiens, omnes et singulos tractatus per praefatos abbates et conventum monasterii de Claromarisco sic indebite et absque patris abbatis et Capituli generalis licentia factos et passatos, cassat, annullat et irritat, ac nullius vigoris et efficaciae esse declarat, mandans et praecipiens abbati moderno, quatinus exactam diligentiam faciat in recuperando bona quaeque sic indebite alienata; dispensat quoque idem Capitulum super iuramentis per dictos abbates et conventum praedicti monasterii de Claromarisco inde factis.

81. Ad idem, pro monasterio de Moris.

82. Cum abbate monasterii Villariensi praesens generale Capitulum benigne dispensat, ut a manutenentia scolaris in collegio Sancti Bernardi Parisiis dehinc ad biennium, non obstante diffinitione in contrarium facta, absolvit.

83. Abbatibus de Claraprovincia et de Sulejow, et eorum cuilibet per se et in solidum, praesens generale Capitulum praecipit et mandat in virtute salutaris obedientiae, quatinus quam citius poterunt ad monasterium de Wanchoczsco personaliter accedant, ibidemque visitent, corrigant et reforment, in spiritualibus et in temporalibus, in capite et in membris, omnia et singula quae invenerint visitanda, corrigenda et reformanda, seque debite informent super contentis in articulis, quibus haec praesens diffinitio annectitur, ac etiam de et super controversia, querelis, querimoniis et iniuriis atque excessibus fratri Ioanni Mirzecstri per dictum abbatem, ut fertur, illatis, et si per informationem invenerint, aut alter eorum invenerint dictum abbatem fore culpabilem, ipsum taliter corrigant et puniant, quod aliis cedat in exemplum, etiam, si sua exigant demerita, a dignitate abbatiali deponendo, et dicto fratri Ioanni debitae iustitiae complementum ministrando, in plenaria Ordinis potestate.

84. Quia in litteratis viris totus pendet nostri Ordinis decus et honor, praesens generale Capitulum plenariam confert licentiam fratri Petro praesentium latori, monasterii in Obra expresse

professo, ad scolasticos actus exercendos in collegio Cracoviensi moram trahendi quamdiu honeste et religiose ibidem se rexerit, aut usque ad revocationem dicti Capituli generalis, mandans idem Capitulum abbati de Obra sub excommunicationis et depositionis poenis, quatinus dictum fratrem Petrum praesenti gratia uti pacifice et gaudere permittat, abbati de Claratumba Ordinis reformatori maioris Poloniae, quatinus hanc praesentem diffinitionem debitae executioni demandet, compellendo abbates de Obra, de Paradiso, de Blesseno et de Preimet, quatinus quotas seu taxas consuetas pro manutenentia dicti fratris Petri realiter et integre persolvant, non obstantibus quibuscumque ordinationibus seu privilegiis in contrarium datis, in plenaria Ordinis potestate.

85. Abbati Trium fontium per generale Capitulum praecipitur, quatinus per censuras Ordinis compellat abbatem et officiarios monasterii de Monasteriis in Argona, ad satisfaciendum abbati monasterii de Claroloco infra proximum festum Paschae, de omnibus expensis per ipsum factis in informatione facta super aetate fratris Ioannis Bacquelier, abbatis monasterii de Moris, et hoc in plenaria Ordinis potestate.

86. Abbati de Landa Poloniae per generale Capitulum committitur, quatinus diligenter et debite se informet super electione, provisione et institutione ad dignitatem abbatialem monasterii de Luckna Poloniae, per abbatem de Paradiso secundum tenorem litterae dicti abbatis de Paradiso, et si dictam provisionem invenerit esse factam absque auctoritate abbatis de Veterimonte, patris abbatis eiusdem monasterii, eumdem fratrem Mauritium pro non abbate, sed pro intruso declaret et denuntiet, ipsum monasterium tamquam vacans declarando, et eidem de novo abbate secundum Ordinis statuta provideat, ipsum abbatem de Paradiso ad proximum generale Capitulum qui debite de praemissis informare tenebitur, citando, in plenaria Ordinis potestate.

87. Generale Capitulum sufficienter et debite informatum de et super praesumptione et abusibus factis per abbatem Populeti in monasterio monialium Beatae Mariae de Casuis, ibidem absque aliqua auctoritate, per abbatem Sanctae Fidis, commissarium domini Morimundi, dicti monasterii de Casuis immediate patris abbatis institutum, destituendo ab officio procuratorii ipsius monasterii de Casuis, et quemdam Guillelmum de la Bruna

loco dicti Martini instituendo, occasione cuiusmodi orta est contentio et lis inter partes. Praesens generale Capitulum huiusmodi abusus tolerare non valens, cassat, irritat et annullat institutionem sic, ut praemittitur, indebite factam per dictum de Populeti de persona praedicti Guillelmi, ac in ipso procuratorii officio instituit de novo dictum Martinum de Valle, omnia et singula per dictum abbatem Sanctae Fidis ibidem facta, et ad Dei laudem ordinata confirmando, partibus quoque sic contendentibus perpetuum imponit silentium, mandans idem Capitulum abbati praefato Sanctae Fidis, in virtute salutaris obedientiae, quatinus sub censuris et gravibus Ordinis poenis, inhibet omnibus utriusque sexus regularibus personis, ut de cetero de huiusmodi controversiis, processibus, querelis et questionibus quovismodo se intromittere audeant aut praesumant, et haec omnia in plenaria dicti Ordinis potestate.

88. Generale Capitulum, quantum cum Deo potest, salutem animarum operari cupiens, fratri... *(locus vacuus)* moderno abbati de Eberbaco, quamdiu dumtaxat plenariam confert auctoritatem licentiandi moniales monasteriorum monialium sibi subiectarum, et ei per dominum Claraevallis commissarum, ut de monasteriis non reformatis possint et valeant transire ad alia Ordinis monasteria monialium reformata, etiam licentia abbatissae petita et non obtenta, in plenaria Ordinis potestate.

89. Abbas de Castellariis quotas contributionum secundum antiqua Ordinis registra solvere recusans, ratione cuius ad Capitulum generale extitit citatus, quia per procuratorem comparuit, praesens generale Capitulum ordinat et diffinit quod praedictas contributionum quotas monasterium suum concernentes de cetero secundum dicti Ordinis antiqua registra indefectibiliter persolvat, eidem abbati et monasterio dictarum contributionum arreragia de toto tempore praeterito benigne quittando, et de speciali gratia remittendo.

90. Attentis periculis et viarum discriminibus omnes abbates regni Poloniae de hinc ad quadriennium a via Capituli benigne et de speciali gratia habet excusatos.

91. Ad evitandum scandalum et animarum salutem facilius procurandum, praesens generale Capitulum inhibet omnibus abbatibus regni Poloniae sub gravibus Ordinis poenis, ne de cetero religiosos suos ad primitias celebrandas in aliquibus villis aut civitatibus licentiare praesumant ; quodque si quae fuerint licen-

tiatae alias datae, huiusmodi licentias in praeiudicium salutis animarum et populi scandalum, idem Capitulum cassat, irritat et annullat, abbati de Claratumba districte praecipiendo, quatinus ubicumque invenerit tales licentiatos Ordinis honorem denigrantes, ad sua propria monasteria indissimulanter remittat, in plenaria Ordinis potestate.

92. Visitationem et reformationem omnium et singulorum monasteriorum regni Poloniae, necnon monasteriorum terrae Prussiae Polplin et Oliva, abbati de Claratumba praesens generale Capitulum committit in plenaria Ordinis potestate.

DISPENSATIONES

93. Generale Capitulum misericorditer et benigne dispensat cum abbate de Caroliloco, s. th. pr., ut omnes et singulos religiosos suos pro semel ab omnibus et singulis casibus, peccatis et excommunicationum sententiis, ipsi Capitulo specialiter reservatis, possint in foro conscientiae audire, et eosdem absolvere cum poenitentia salutari, etiam cum eisdem super irregularitatibus inde contractis plenarie dispensare, sibique confessorem Ordinis, qui similem habeat potestatem, eligere.

94. Ad idem, pro abbate Regalismontis, s. th. pr., pro suis religiosis.

95. Ad idem, pro abbate Igniacensi, commissario domini Cenomanensis, pro religiosis monasterii Ursicampi.

96. Ad idem, pro abbate de Alna, tam pro se quam pro suis religiosis.

97. Ad idem, pro abbate Charitatis per se vel aliquem seu aliquos per ipsum deputandum vel deputandos, pro suis religiosis et aliis personis regularibus monasterii Bellaevallis, Theoloci et de Gratia Dei, pro semel.

98. Ad idem, pro priore et religiosis prioratus de Valle vinearum semel.

99. Ad idem, pro abbate Altaecumbae, et omnibus personis utriusque sexus sibi subiectis.

100. Ad idem, pro abbate et conventu de Caricampo.

101. Ad idem, pro abbate et conventu de Ioyaco.

102. Ad idem, pro abbate et conventu de Pruliaco, pro se et suis religiosis, et pro religiosis de Barbello, aut hanc potestatem possit, quibus voluerit confessoribus, dare.

REHABILITATIONES

103. Generale Capitulum benigne et misericorditer cum sorore Iaquina Destailleurs, religiosa professa monasterii de Vivario, dispensat, ut non obstante illegitimatione et defectu natalium, quam patitur extra matrimonium nata, ad omnes Ordinis actus legitimos, gradus, voces, officia et dignitates, abbatiali seclusa dignitate, promoveri valeat et assumi.

104. Ad idem, pro fratre Guillelmo Chevalier, religioso professo monasterii de Valloliis, qui spreto suae religionis iugo, monasterium illicentiatus exiens, per saeculum evagando sex hebdomadarum spatio apostatavit, habitu regulari dimisso super quo, etc.

105. Ad idem, pro sorore Catherina Soulas, religiosa professa monasterii monialium de Willencourt, in carnis contagio usque ad prolis subsecutionem deprehensa et convicta.

106. Ad idem, pro sorore Iudoca de Brello, religiosa professa monasterii monialium de Valle Nostrae Dominae, in dioecesi Leodiensi, convicta de carnis contagio, puerperio inde semel subsecuto, abbatiali dignitate seclusa.

107. Ad idem, pro fratre Theobaldo de Verrières, religioso professo monasterii de Monasteriis in Argona, de carnis contagio convicto usque ad prolis procreationem, etc.

108. Ad idem, pro fratre Matheo Lamorey, religioso professo monasterii de Frigidomonte, in dioecesi Belvacensi, ut non obstante contagio carnis, quod usque ad prolis procreationem incurrit, etc.

109. Ad idem, pro fratre Ioanne Morel, religioso professo eiusdem monasterii de Frigidomonte, quod semel manum violentam in suppriorem monasterii ipsius de Frigidomonte in dormitorio post completorium iniecit, et post modum fere per tres menses, habitu regulari semper retento, apostatavit, ut non obstante, etc.

110. Ad idem, pro fratre Ioanne Warnet, religioso professo monasterii de Alna, convicto de contagio carnis.

111. Ad idem, pro fratre Symone Steynberg, qui illicentiatus metas monasterii exivit, et per saeculum octo diebus vagando se fugitivum reddidit, super quo, etc.

112. Ad idem, pro fratre Ioanne de Strabourg, religiosi pro-

fessi monasterii de Laude, qui monasterium illicentiatus exeundo, et per quindecim dies extra morando apostatavit.

113. Ad idem, pro fratre Sebastiano Grandin, religioso professo monasterii de Boheriis, qui illicentiatus, a dicto suo monasterio recedendo per mundum, habitu regulari dimisso, discurrit, ad supplicationem sui abbatis dispensatur, etiam abbatiali dignitate inclusa.

114. Ad idem, pro fratre Gerardo de Vitreolo, religioso professo monasterii de Aceyo, qui monasterium praedictum illicentiatus exiens habitum regularem relinquendo, et per saeculum fere per sex menses vagando, apostatavit, abbatiali dignitate inclusa.

115. Ad idem, pro fratre Adam, religioso professo monasterii de Lutzella, convicto de carnis contagio, et quai per saeculum illicentiatus vagando, habitu regulari dimisso, apostatavit.

116. Ad idem, pro fratre Dominico de Lansio in theologia praesentato, religioso professo monasterii Beatae Mariae de Bonacumba, qui de carnis contagio usque ad prolis procreationem convictus est, super quo, etc. dignitate abbatiali inclusa, ad supplicationem abbatis de Bolbona.

117. Ad idem, pro fratribus Nicolao Schynlda, monacho professo dicti monasterii, et Bocardo eiusdem loci converso, ut non obstante inhabilitatis et infamiae nota, monasterium illicentiati exeuntes apostatando, monacho habitu regulari non dimisso, et converso habitu regulari dimisso, incurrerunt, ad omnes Ordinis actus, abbatiali seclusa dignitate, etc.

118. Ad idem, pro fratribus Adelpho Dehagis, Michaele Dehagis et Stephano de Novovillari, religiosis professis monasterii de Novocastro, quorum primus scilicet frater Adelphus Dehagis, habitu regulari non dimisso, per mensem apostatavit, et postea de contagio carnis convictus fuit, alii vero duo, scilicet Michaël et Stephanus votum castitatis frangentes de contagio carnis in monasterio convicti sunt, ad supplicationem abbatis de Novocastro.

119. Ad idem, pro fratre Martino de Cracovia, religioso professo monasterii de Claratumba, in carnis contagio deprehenso et convicto, super quo, etc. ad supplicationem abbatis sui.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

120. Electionem, institutionem, installationem et provisio-

nem de persona fratris Ioannis de Divione, religiosi professi monasterii de Charitate, in sacra pagina baccalarii formati, et nuper collegii Sancti Bernardi Parisiensis provisoris, ad dignitatem abbatialem monasterii de Theoloco, in dioecesi Lingonensi, per dominum Morimundi, patrem abbatem ordinarium et immediatum eiusdem monasterii factas, prout in decreto... *etc.* confirmat.

121. Ad idem, pro magistro Iacobo Guichardi, s. th. pr., religioso professo monasterii de Fonte frigido, ad dignitatem abbatialem monasterii de Calercio, per abbatem de Grandisilva, patrem abbatem immediatum, eiusdem monasterii, cum suppletione defectuum, si qui intervenerint.

122. Ad idem, pro fratre Ioanne de Indagine, religioso professo monasterii de Otterburg, ad dignitatem abbatialem dicti monasterii, per abbatem de Eberbaco, patrem abbatem eiusdem monasterii.

123. Ad idem, pro fratre Reginaldo Leuvard, religioso professo monasterii de Barbereyo, in theol. bacc. ad dignitatem abbatialem dicti monasterii, per abbatem de Savigniaco, patrem abbatem dicti monasterii.

124. Ad idem, pro fratre Claudio de Tintavilla, religioso professo monasterii Claraevallensis, ad dignitatem abbatialem [monasterii] de Regniaco, per abbatem de Fonteneto, commissarium domini Claraevallis, s. th. pr., patris abbatis immediati eiusdem monasterii.

125. Ad idem, pro fratre Iacobo Taillefer, religioso professo monasterii de Eleemosina, ad dignitatem abbatialem eiusdem monasterii, per abbatem de Curia Dei, commissarium domini Cistercii, s. th. pr., et eiusdem monasterii patris abbatis immediati.

126. Ad idem, pro fratre Mathia Georgii, religioso professo monasterii de Czenna, ad dignitatem abbatialem eiusdem monasterii, per abbatem de Valle Sanctae Mariae, patrem abbatem immediatum eiusdem monasterii.

127. Ad idem, pro fratre Roberto Chayrley, monasterii de Woburnia in Anglia, religioso expresse professo dicti monasterii, ad dignitatem abbatialem ipsius monasterii per resignationem fratris Ioannis Esselin, nuper abbatis dicti loci, factam in manibus abbatis de Fontibus, patris abbatis eiusdem monasterii.

128. Ad idem, pro fratre Guillelmo Breton, monasterii de

Buckland dudum priore, ad dignitatem abbatialem dicti monasterii, per abbatem de Quarrera, dicti monasterii patrem abbatem, promotionem et installationem factas alias approbat, ratificat et confirmat, praecipiendo, etc.

IUDICES

129. Abbatibus de Prulliaco, de Caroliloco, s. th. pr., et de Sacro portu, et eorum cuilibet per se et in solidum, per generale Capitulum committitur, quatinus per censuras Ordinis, et alias iuris et iustitiae vias, in plenaria Ordinis potestate, omnes eiusdem Ordinis regulares personas utriusque sexus, tam conventuales quam non conventuales, quas per testes, litteras, cartas, registra, et alia sufficientia et legitima documenta invenerint abbati et conventui monasterii de Ioyaco, dioecesis Senonensis, aut alicui de eodem monasterio regulari personae, in aliquibus pecuniarum summis, censibus, redditibus, seu alias quomodolibet fore obligatas vel debentes, ad debite et plenarie satisfaciendum cogant et compellant, secundum ipsius Ordinis regularia statuta.

130. Ad idem, pro abbate et conventu Caroliloci, in diocesi Silvanectensi, abbatibus de Regalimonte, s. th. pr., de Theoloco et de Longoponte, et eorum cuilibet in solidum.

131. Ad idem, pro abbatissa et conventu monasterii monialium de Sancto Antonio prope muros Parisienses, abbatibus de Regalimonte et de Caroliloco, s. th. pr., de Theoloco et de Vallibus Sernay, et eorum cuilibet per se et in solidum.

132. Ad idem, pro monasterio Ursicampi, abbatibus de Caroliloco, s. th. pr., et de Longoponte.

133. Ad idem, pro monasterio Claraevallensi, abbatibus de Tribus fontibus et de Longovado.

134. Ad idem, pro monasterio de Bellabrancha, abbatibus de Oratorio, Cenomanensis dioecesis, et de Ponte octrani.

135. Ad idem, pro abbate monasterii de Barbereyo, abbati Sancti Andreae, s. th. pr.

136. Ad idem, pro provisore, cellerario et bursario, scolaribus ceterisque studentibus Parisiis, abbati de Boquien.

137. Ad idem, pro monasterio de Savigniaco, abbatibus de Sancto Andrea et de Barbereyo, et eorum cuilibet per se et in solidum.

138. Ad idem, pro Regalimonte, abbatibus de Caroliloco, s. th. pr., de Theoloco, de Vallibus Sernay, et de Valle Beatae Mariae, et eorum cuilibet in solidum.

DIFFINITIO GENERALIS

139. Cum Ordo noster... contributionem sex millium florenorum... *etc. ut in anno* 1449.

1470

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo, quartadecima die mensis septembris apud Cistercium, statuta sunt haec in eiusdem Ordinis Cisterciensis Capitulo generali [b].

ORATIONES

1. Pro beatissimo [c] ac sanctissimo Domino nostro Domino Paulo, divina Providentia Papa moderno, necnon... *etc. ut in anno* 1458.

2. Praeterea pro christianissimo... *etc.* ... ac etiam pro illustrissimo principe domino Carolo, Dei gratia duce Burgundiae... *etc. ut in anno* 1461.

3. Insuper pro burgensibus ... *etc. ut in anno* 1449.

4. Ceterum pro pace ... *etc. ut in anno* 1449.

5. Postremo pro felicis... *etc.* ... et praesertim pro domino Philippo, duce Burgundiae ultime defuncto... *etc. ut in anno* 1449.

1470. *Fontes* : L^4 : 1-53 ; *M* : 24 ; P^2 : 1, 17, 19, 21, 24 ; *W* : 31.

[a] *Titulus apud* L^4. [b] *De isto Capitulo haec leguntur apud W* : De mandato pape omnes abbates ad reformationem ordinis convocati sunt. Convenerunt abbates 400, procuratores abbatum 200; alii vero procuratoria sive excusationes miserunt. Nicolaus de Siegen, *Chronicon ecclesiasticum* (ed. Wegele), p. 383. Post multos autem et varios tractatus nec minima mencio saltem in publico facta est de ordinis reformacione. [c] Sub Paulo. S. P.; Philippi card. Bon. ; Frederico reg. rom. ; Ludovico reg. franc. ; Carolo duce Burg. : P^2.

[DIFFINITIO] GENERALIS.

6. Cum Ordo noster ... *etc.* contributionem novem millium florenorum ... *etc. ut in anno* 1449.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

7. Electionem, promotionem et installationem de persona fratris Symonis Viriti, religiosi monasterii Pontigniaci, ad dignitatem abbatialem monasterii de Rigniaco, per abbatem Caroliloci, s. th. pr., commissarium domini Claraevallis, s. th. pr., ipsius monasterii de Rigniaco immediate patris abbatis factas, prout... *etc.* approbat.

8. Ad idem, pro fratre Iacobo Bertini, monasterii de Fonteneto professo, ad dignitatem abbatialem monasterii Beatae Mariae de Requie, alias de Marcilleyo factum per abbatem dicti monasterii de Fonteneto, ipsius monasterii de Marcilleyo immediatum patrem abbatem.

9. Ad idem, pro fratre Servatio, monasterii de Lukna, alias Wangrowiensis, ad dignitatem abbatialem eiusdem monasterii, per abbatem de Paradiso, commissarium abbatis Claraetumbae, visitatorem et reformatorem totius Poloniae, per dominum Cistercii et Capitulum generale specialiter deputatum, cum potestate subdelegandi.

10. Ad idem, pro sorore Blasia de Monclar, professa monasterii monialium Elnensis, alias Nonenca, ad dignitatem abbatialem monasterii Luminis Dei, per resignationem sororis Ioannae de Bili in manibus abbatis de Ardorello commissarium Ordinis factam.

11. Ad idem, pro fratre Ioanne Plemolis, monasterii de Calercio professi, iam alias de Clariana, per abbatem monasterii de Ardorello, ipsius monasterii immediate patrem abbatem.

12. Ad idem, pro fratre Ioanne le Sel, s. th. pr., ad dignitatem abbatialem in monasterio Vallis Beatae Mariae, per permutationem prioratus de Masuris, ex ordinatione domini Cisterciensis, s. th. pr.

13. Ad idem, pro fratre Iacobo Crucifix, monasterii de Longovillari professo, ad dignitatem abbatialem monasterii de Valloliis, per abbatem Caroliloci, s. th. pr., domini Cistercii commissarium promoto, etc.

14. Ad idem, pro fratre Nicolao, monasterii de Alba dominorum professo, ad dignitatem abbatialem eiusdem monasterii vacantis per resignationem fratris Ioannis novissimi abbatis, factam per abbatem monasterii de Novocastro, ipsius monasterii de Alba patrem abbatem.

15. Ad idem, pro fratre Antonio Schorteo, monasterii Veteris cellae, ad dignitatem abbatialem eiusdem monasterii, per electionem canonice factam, per abbatem de Porta ipsius immediatum patrem abbatem.

16. Provisionem, promotionem, institutionem et installationem de persona fratris Claudii de Dintavilla, monasterii de Rigniaco nuper abbatis, ad dignitatem abbatialem monasterii de Firmitate super Gronam, per dominum Cistercii, s. th. pr., patrem abbatem immediatum tamquam rite et canonice iure providendi sibi devoluto factas, et irritationem, cassationem et annullationem cuiusdam abusivae et indebitae postulationis contra papalia et nostri Ordinis statuta, absque licentia et praesidente debitis per religiosos dicti monasterii Firmitatis de persona fratris Ioannis de Tholosan nigri monachi, et in Ordine nostro non professi, factae, prout in decreto... approbat... solemnitatum consuetarum omissionum, si quae omissae fuerint, aliarumque circumstantiarum defectus, in plenaria Ordinis potestate supplendo.

17. Promotionem, provisionem, institutionem et installationem fratris Iacobi Crucifix[c], nuper religiosi professi et prioris monasterii Sanctae Mariae de Valloliis, per abbatem Caroliloci, s. th. pr., commissarium domini Cisterciensis, s. th. pr., patris abbatis immediati eiusdem monasterii, per cassationem et irritationem electionis vitiosae de persona fratris Ioseph Lemotier[e] ad hoc inhabilis, et sententiam venerabilium abbatum de Regalimonte et de Theoloco, s. th. pr., per eumdem dominum Cisterciensem propter hoc ob appellationem per eosdem de Valloliis super hoc emissam, factam et datam, prout in decreto dicti de Caroliloco, et sententia eorumdem de Regalimonte et de Theoloco commissariorum praedictorum, quibus haec praesens diffinitio annectitur plenius continetur, secundum sui formam et tenorem praesens generale Capitulum ratificat, approbat et confirmat, praefatis eiusdem monasterii de Valloliis religiosis,

---

[d] Trucifix : P^2. [e] le Moittier : L^4.

in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae poena praecipiendo, quatinus omnibus mora et dissimulatione semotis, ipsi abbati in omnibus humiliter et devote pareant et obediant, tamquam suo pastori, prout in dictis decretis et sententia ipsis praecipiendo mandatur et iniungitur.

18. Capitulum generale utilitatem et sublevamen monasteriorum Ordinis nostri in regno Ungariae consistentium, per insignes et in litteris doctos cordialiter desiderans, percipiensque regiam sublimitatem in dicto regno id appetere, et nuper de laudabili vita, maturisque moribus, necnon litterarum sufficientia dilecti filii, fratris Francisci Enkanitani, per litteras regias sufficienter informatum, praefatum fratrem Franciscum Enkanitani in monasterio Pelisiensi postulatum, et in abbatem dicti monasterii Pelisiensis promotum et ordinatum, ad Dei laudem ipsiusque monasterii in utroque regimine sublevamen et reparationem, idem Capitulum generale dictum fratrem Franciscum, sic per religiosos praefati monasterii postulatum, in abbatem et pastorem ipsius monasterii Pelisiensis confirmat, ratificat et approbat, salvis prius in omnibus apostolicis, nostrique dicti Ordinis salubribus statutis, et post ipsius in novitiatu probationem, ab aliquo nostri Ordinis abbate munus benedictionis, habitumque nostrae religionis suscipiat.

19. Noverint universi praesentem diffinitionem inspecturi, quod cum ultima die mensis novembris anno Domini 1469, per obitum sororis Ysabellae de Gayan, monasterii de Casuis [f] eiusdem Cisterciensis Ordinis, Oscensis dioecesis, abbatissa et pastrice fuisset destitutum, ipsa die in eodem monasterio abbas Sanctae Fidis commissarius abbatis Morimundi, patris abbatis immediati eiusdem monasterii de Casuis, ac totius Capituli generalis, veniens, solemnitates omnes ad debitam et canonicam electionem requisitas fecerit et observaverit, et a personis regularibus eiusdem monasterii de Casuis fieri et observari procuraverit, secundum eiusdem Ordinis canonica instituta, in ipsaque electione ea die facta et celebrata, soror Catharina Roys, religiosa expresse professa eiusdem monasterii de Casuis habuerit quinque voces, soror vero Guillerma de Guerrea [g] eiusdem monasterii de Casuis professa habuerit tantum quatuor electionis voces, secunda vero die mensis decembris eiusdem anni sororem Elyono-

[f] Casins : P^2. [g] Guerreu : P^2

rem Azuar [h], etiam eiusdem monasterii professam, quae sufficienter ad diem praemissae electionis vocata non venit, nec comparuit, praefatus commissarius abbas Sanctae Fidis in capitulo per eum congregato, coram omnibus ad eligendum admiserit, admissamque vocem suae electionis eidem sorori Guillermae dedit, sexta insuper eiusdem mensis et anni praefata soror Guillerma in eodem loco capitulari existens de licentia praefati commissarii et illarum quinque sororum, quae ipsam sororem Guillermam in abbatissam eiusdem monasterii de Casuis elegerant missas voces suae electionis in sororem Beatricem Cerdam, professam monasterii de Tresonares [i], eiusdem Ordinis, transtulerit, et quantum poterat, dederit, unamque aliarum monialium eiusdem monasterii de Casuis, quae in dicta electione unam vocem habuerat, illam vocem sorori Beatrici tunc palam contulerat et dederit, et illico absque consilio et matura deliberatione post huiusmodi translationem vocum in praefatam sororem Beatricem, praelibatus commissarius translationem illam et voces translatas approbando confirmaverit, de qua quidem confirmatione et institutione dictae sororis Beatricis sic factis, praefata soror Catharina se sentiens gravatam illico appellavit, causas suae appellationis scriptis eidem commissario exhibendo ; tandem praefatus commissarius super isto negotio plenius informatus, sciensque dictam Guillermam per debitam informationem minime esse habilem ad eligendum tam active quam passive, propter certos casus in ea repertos, quare nec posse alteri quodcumque ius super dicta electione conferre dictam suam sententiam, et errorem suum in quo ignorante ceciderat, ut ipse fatetur, humiliter confitendo et corrigendo cassaverit, irritaverit, et annullaverit, ipsamque Catharinam, utpote a saniori et maiori parte conventus electam, tamquam idoneam et ad dignitatem abbatialem sufficientem ordinaverit et confirmaverit dictae sororis Catharinae, dominus Cistercii, in plenaria Ordinis potestate, approbavit, ratificavit et confirmavit, quibus sic, ut praemittitur, factis et ordinatis, praemissus commissarius per commissum suum praefatam sororem Catharinam in possessionem realem et actualem omnium spiritualium et temporalium eiusdem monasterii, praemisso ad cautelam absolutionis beneficio posuerit et instituerit, a qua sententia et institutione praefata soror

[h] Aznar : *P*². [i] Tresonaires : *P*².

Beatrix ad illum seu illos etc. appellavit, super quibus differentibus terminandis praefatus dominus Cistercii requisitus, plenaria Ordinis et Capituli generalis auctoritate fungens, commissionem destinavit abbati de Petra, s. th. pr., cum potestate se informandi super praemissis et iuribus partium, et debita informatione habita, sententiandi ac illam earumdem, quae potius ius haberet, veram abbatissam pronuntiandi et declarandi, rebellesque secundum demeritorum exigentiam puniendi, in plenaria potestate sibi commissa, ipseque autem commissarius de Petra multiplices fecerit processuum involutiones, sententiamque talem qualem contra et adversus dictam sororem Catharinam dederit et protulerit, a qua gravatam se sentiens ipsa soror Catharina merito ad praefatum generale Capitulum appellaverit et provocaverit, appellationemque suam cum toto processu signis manualibus notariorum publicorum sufficienter, ut videtur, munito, ad dictum Capitulum transmiserit, quod et facere curavit diligenter praefata soror Beatrix, Capituli sententiam humiliter implorans. Praesens generale Capitulum, visis et diligenter inspectis et examinatis omnibus et singulis videndis et inspiciendis in iuribus partium, praemissam sententiam dicti abbatis de Sancta Fide commissarii, ut dictum est, qua praetensam electionem dictae sororis Guillermae, translationemque vocum suarum in dictam sororem Beatricem Cerdam [j], errorem suum corrigendo, irritavit, cassavit et annullavit, dictamque sororem Catharinam Roys, sic, ut praemittitur, electam instituit, veram abbatissam eiusdem monasterii de Casuis, et confirmavit in forma et secundum suum tenorem, confirmat, ratificat et approbat in plenaria Ordinis potestate, supplendo omnes et singulos defectus, si qui forte intervenerint, sive in forma eletionis sive in materia, declaransque ipsam sororem Catharinam fore et esse veram et indubitatam abbatissam eiusdem monasterii de Casuis, expresse mandando sub poenis excommunicationis latae sententiae praecipiendo omnibus et singulis eiusdem monasterii de Casuis regularibus personis, quatinus eamdem sororem Catharinam tamquam suam et dicti monasterii veram et indubitatam abbatissam et pastricem suscipientes, eidem in omnibus et per omnia secundum nostrae religionis saluberrima instituta humiliter pareant et obediant, praefatis sororibus Guil-

---

[j] Serdon : P^2.

lermae et Beatrici ac omnibus eisdem super hoc adhaerentibus, sub eadem poena excommunicationis latae sententiae, perpetuum silentium imponendo, expresse etiam mandantes et in virtute salutaris obedientiae abbati de Populeto praecipiendo, quatinus quamcito commode fieri poterit, ad dictum monasterium de Casuis personaliter se transferens omnia et singula praemissa debitae executioni demandet, aut per alterum abbatem eiusdem Ordinis, quem loco sui ad hoc substituere poterit, demandari procuret, non obstantibus oppositionibus vel appellationibus quibuscumque, invocando ad praemissa et quodlibet praemissorum, si opus fuerit, auxilium brachii saecularis, in eadem plenaria Ordinis potestate.

[ALIAE DIFFINITIONES]

20. Reformationem monasterii Beatae Mariae de Casuis, et morum honestatem personarum eiusdem, generale Capitulum summe desiderans, statuit et ordinat, quod de cetero in ipso monasterio per omnes et singulas dicti monasterii regulares personas uniformitas, et Ordinis honestas, tam in indumentis, ligaturis, quam in modo vivendi, indissimulanter observetur. Insuper inhibet sub censuris Ordinis idem Capitulum omnibus dicti monasterii regularibus personis, ne quovismodo praesumant ad alia Ordinis monasteria transire absque expressa abbatissae licentia et beneplacito ; praeterea praecipit idem Capitulum sub excommunicationis poena, cuius absolutionem reservat patri abbati, personis regularibus contra voluntatem modernae abbatissae bona abbatissae et priorissae defunctarum detinentibus, quatinus infra tempus debitum ipsis praefigendum dicta bona aut eorum valorem abbatissae restituere non omittant ; idcirco certis de causis dictum Capitulum deponit ab officio procuratoris Martinum de Val, modernum dicti monasterii procuratorem, alias per ipsum Capitulum institutum et ordinatum in ipso procuratoris officio, praecipiens abbatissae, quatinus ex sanioris partis consilio suarum religiosarum alius institutatur et ordinetur. Item, ad evitandum inconvenientia maiora et discordias, quae oriri possent, occasione abbatialis dignitatis nuper praetensae per sororem Beatricem in ipso monasterio, praecipit et mandat idem Capitulum abbati de Populeto, quatinus si expediens iudi-

caverit, ipsam a dicto monasterio eliminet, et ad suum monasterium remittat, et haec in plenaria Ordinis potestate.

21. Generale Capitulum damnabiles et excessivas inobedientias, rebelliones et pertinaces resistentias per religiosos monasterii Firmitatis super Gronam suae salutis et votorum per eos emissorum immemores, domino Cistercii, s. th. pr. et ipsius monasterii Firmitatis patri abbati immediato, et totius huius religionis supremo capiti, quod criminis non parum gravitatem auget, factas et procuratas, similiter et quamdam abusivam et frivolam postulationem per eosdem de Firmitate de persona fratris Ioannis de Thoulosan, monachi nigri, nuper contra Ordinis statuta et regulares ipsius observantias, absque debito praesidente factam, non sine lacrimosis doloribus audiens et in suis filiis sustinere non valens, ipsos sic enormiter ab aequitatis via aberrantes et declinantes, conspiratores et excommunicatos reputat, declarat et pronuntiat ; illam talem qualem postulationem, contra totius rationis aequitatem et nostrae religionis privilegia ac ordinationes factam, irritando, cassando et penitus annullando, omnibus et singulis Ordinis abbatibus districte in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae poena praecipiendo, quatinus omni dissimulatione et excusatione semotis, eosdem de Firmitate monachos, huius pestiferi sceleris auctores culpabiles tamquam conspiratores et excommunicatos publicent et denuntient per suarum patentium litterarum affixionem ad valvas eiusdem monasterii Firmitatis, et omnium ecclesiarum et locorum aliorum publicorum ubicumque opus fuerit. Et eorumdem conspiratorum magis culpabiles strictis carceribus in pane doloris et aqua tristitiae, usque ad nutum Capituli generalis mancipent et detineant ; alios autem secundum nostri Ordinis statuta, invocato in praemissis omnibus, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, secundum suorum exigentiam delictorum taliter quod aliis cedat in exemplum, puniant et corrigat, potestatem et auctoritatem eosdem de Firmitate monachos sic excommunicatos et conspiratores, cum contriti et poenitentes ad Ordinis obedientiam redierint, eidem domino Cisterciensi aut per eumdem deputandis committentes, in plenaria Ordinis potestate.

22. Abbati de Ardorello committitur per Capitulum generale quod, quamprimum fieri poterit, se personaliter transferat ad monasterium de Villalonga, et absque dissimulatione se informet,

si frater Petrus Rovas, dicti monasterii professus, teneat quamdam grangiam ipsi monasterio pertinentem contra voluntatem sui abbatis, et si ita invenerit, ipsum omnino privet regimine illius grangiae, eidem sub censuris Ordinis praecipiendo ne deinceps grangiam illam teneat, aut in ea residentiam quamcumque faciat, quinimo idipsa grangia dispositioni abbatis et conventus ex integro restituatur ; verum quoniam ad aures dicti Capituli pervenit dictum fratrem sic tenuisse ipsam grangiam contra sui abbatis voluntatem, nullum censum aut emolumentum quodcumque monasterio solvendo, eidem abbati de Ardorello expresse mandat et praecipit, ut bona quaecumque apud dictum fratrem Petrum invenerit, ne deinceps vitio proprietatis laboret, dicto abbati suo realiter tradat, compellendo sive per carceres sive per alia quaecumque media dictum fratrem Petrum ad continue residendum in monasterio et per omnia obediendum suo abbati, in plenaria Ordinis potestate.

23. Abbati de Lutzella per generale Capitulum committitur, ut quam primum commode poterit, ad monasterium de Capella, Constantiensis dioecesis, quod, ut idem Capitulum generale intellexit, propter defectum reformationis, in spiritualibus et temporaralibus, plurimum a rectitudine regulae deviat, personaliter accedat, ibidemque auctoritate totius Capituli generalis et Ordinis instituta regularia invenerit reformanda, visitanda, corrigenda et emendanda, etc. ; seque informet super causis emissionis et informandi de neglectis fratris Ulrici Toler, quod idem frater Ulricus conquestus est ante septem annos abbas et conventus dicti monasterii de Capella emiserunt ad quinquennium, quo elapso, usque modo eum assumere renuentes, in exilio degere et per mundum vagari in scandalum Ordinis et suae salutis interitum coegerunt, informationeque facta, si casus... non pervenerit, praedictos abbates et conventum cogat eumdem fratrem Ulricum se conventui suo associandum, si non aliter invenerit, iudicet et disponat, prout conscientia dictaverit iudicandum et disponendum, in plenaria, etc.

24. In primis, ut omnia in pace incipiant et in [k] pace terminentur, statutum est prima die Capituli ante omnia, ut die sequenti fiat solemnis, devota et religiosa processio per claustrum Cistercii omnibus ibidem devote Altissimum orantibus pro pace,

---

[k] ad pacem : *MP*[2].

concordia et unitate regum, principum ac dominorum, praesertim illorum, in quorum dominiis situata sunt monasteria Ordinis nostri.

COMMISSIONES

25. Volens Capitulum generale omnia quae fiunt in Ordine esse ordinata ad laudem Dei, aedificationem fidelium et salutem animarum, imponendo finem clamoribus, qui ad eius aures pervenerunt ex malo regimine monasteriorum existentium in ducatu Bavariae, committendo mandat et praecipit abbati de Campo principum, quod in plenaria auctoritate Capituli intimet, praecipiat et ordinet omnibus abbatibus existentibus in dominiis domini ducis Bavariae habentibus visitationem seu filiationem in illo ducatu, ut omnia monasteria utriusque sexus in eodem ducatu existentia visitent diligenter, et secundum disciplinam regularem reforment infra tempus ab eo determinandum et praefigendum, prout opportunum iudicaverit, quod si negligentes reperti fuerint, ipse de Campo principum in plenaria Ordinis potestate visitet, ordinet et reformet ipsa monasteria absque tamen praeiudicio iurisdictionis patrum abbatum.

26. Cum monachis monasterii de Bellavalle, Capitulum generale misericorditer agere volens, committit abbati de Charitate, ut eorum quemlibet in foro conscientiae possit pro semel ab omnibus peccatis, casibus et excommunicationum sententiis, ipsi Capitulo generali reservatis, poenitentiam salutarem secundum casuum exigentiam eis iniungendo, professionem cuiusdam novitii profiteri volentis recipere, ac benedictionis munus ei conferendo reliquis monachis loci illius adiungere.

27. Ad idem, cum abbate de Igniaco, commissario domini episcopi Cenomaniae pro omnibus et singulis utriusque sexus regularibus personis, sibi subditis et commissis quantum ad absolutionem.

28. Ad idem, pro domino de Aceyo, pro monasterio de Balerna, pro semel.

IUDICES

29. Abbatibus de Caroliloco, de Regalimonte, s. th. pr., et de Vallibus Sernay, et eorum cuilibet per se et in solidum, tam coniunctim quam divisim, praesens generale Capitulum committendo praecipit, ut omnes et singulas utriusque sexus personas,

tam abbates, abbatissas, quam eorumdem monasteria, quos et quae per testes fide dignos, instrumenta, litteras, acta, obligationes seu alia quaecumque legitima documenta, invenerint abbati et conventui monasterii de Valle Beatae Mariae, aut singulis eiusdem loci personis debite teneri et obligatos seu obligata esse in quibuscumque pecuniarum summis seu aliis redditibus aut quibuscumque bonis aut debitis, seu iniuste detinentes, ad eisdem plenarie, realiter et de facto satisfaciendum astringant et compellant in plenaria Ordinis potestate, etiam cassando et annullando omnes et singulos tractatus per abbates et conventus dicti monasterii indebite et absque Capituli generalis licentia factos.

30. Ad idem, abbatibus de Tribus fontibus, de Longovado et de Bullencuria, pro domino Claraevallensi et suo monasterio.

31. Praesens generale Capitulum committit abbati Claraetumbae in Polonia visitationem personarum Ordinis, et reformationem studentium in Universitate Cracoviensi, secundum privilegia a Sancta Sede Apostolica suis praedecessoribus alias indulta et concessa, cum potestate compellendi abbates regni Poloniae ad mittendum ad dictam Universitatem Cracoviensem religiosos et scolares suos cum provisione decenti, non obstante diffinitione alias data abbati Veteris cellae, quam non intendit vigorem habere in praefato Poloniae regno.

32. Quod, proh dolor ! ad praesentis generalis Capituli aures devenit, quod frater Ioannes Billon, monasterii de Elancio, inimico humani generis suadente falsam fecit aut fieri procuravit monetam, in dedecus nostri Ordinis et suae salutis pergrande praeiudicium ; idem generale Capitulum graviter ferens districte praecipit et mandat in virtute salutaris obedientiae, ac sub excommunicationis poena abbati dicti monasterii de Elancio, deinde omnibus Ordinis abbatibus et eorum cuilibet, quatinus exactam faciant, vel aliter eorum faciat diligentiam, dictum fratrem Ioannem Billon capiendi vel capere faciendi ubicumque fuerit, ut sumptibus dicti monasterii districtis mancipetur carceribus, cum pane doloris et aqua tristitiae, usque ad nutum ipsius generalis Capituli.

33. Attentis temporum discriminibus et guerris in partibus Ungariae vigentibus, praesens generale Capitulum benigne dispensat cum abbate in Lubens, ut ad quinquennium a via Capituli et solutione contributionum excusetur.

34. Visitationem et reformationem et morum correptionem monasterii monialium Felicis vallis, abbati de Campo principum praesens generale Capitulum committit, in plenaria Ordinis potestate, eidem conferens facultatem confessiones personarum regularium audiendi et easdem in foro conscientiae ab omnibus casibus, sententiis excommunicationum, et peccatis Capitulo reservatis, cum poenitentia salutari absolvendi, in eadem Capituli generalis plenaria potestate.

35. Generale Capitulum praecipit et mandat abbati de Sancto Sulpitio, quatinus per censuras Ordinis compellat fratrem Humbertum de Ferramentio, monasterio Altaecumbae, ad solvendum realiter et cum effectu summam 15 flor. monetae Sabaudiae domino Ioanni Francisci sacerdoti, in qua quidem summa ipse frater Humbertus legitime dicitur obligari eidem domino Ioanni, ut patet per quamdam cedulam papiream manu sua signatam, ut dicitur, de data 16 iunii anni Domini 1456, in plenaria Ordinis potestate.

36. Pensata corporis invaletudine et antiquitatis fractione et infirmitatum gravi multiplicatione abbatis de Candelio, qua praepediente non videtur ad Capitulum posse venire, quare eius supplicationibus misericorditer favens Capitulum generale ipsum excusat et excusatum vult esse ad triennium, ne ad dictum Capitulum proficisci compellatur.

37. Benigno favore respiciens generale Capitulum supplicationem abbatissae de Valle Nostrae Dominae annuit et concedit, quod illa camera quae vocatur gloriette in illo monasterio situata, quam ipsa possidebat et in ea habitabat, antequam abbatiali dignitate fungeretur, perpetuo remaneat cum pertinentiis domus abbatialis.

38. Per generale Capitulum committitur abbati de Alna, quod ad monasterium de Vivinis se transferens diligenter, sollicite et prudenter se informet super vita, moribus, conversatione et honestate sororis Mariae Lombarde, eiusdem monasterii professae, et si invenerit eam monasterio inutilem, aliarum conturbatricem, et talem quod merito expelli debeat, ipsam ad aliud regulare nostri Ordinis monasterium transferat expensis sui monasterii, si vero aliter invenerit, sive nunc sit in monasterio sive extra, praesentiam monasterio iudicaverit utilem, ipsam ibidem manere faciat, taliterque agat ut, si possit, et pacis uni-

tatem et disciplinae observantiam inter se teneant, et ad hoc in plenaria Capituli potestate.

39. Abbati de Altasylva committit generale Capitulum, quatinus omnes et singulas Ordinis personas, tam abbates quam religiosos, quos invenerit abbati et conventui monasterii de Belloprato Metensi, in aliquibus pecuniarum summis, aut aliis quibusdam bonis debite obligatas, ad integraliter solvendum et satisfaciendum per censuras Ordinis compellat, in plenaria Ordinis potestate.

40. Ad idem, committitur abbatibus de Aceyo, s. th. pr., de Caroliloco et de Bethania, et eorum cuilibet per se et in solidum, pro domino de Charitate.

41. Ad idem, pro domino Caroliloci et de Longovado, et eorum cuilibet, pro monasterio de Ursicampo.

42. Audita querimonia abbatis monasterii Beatae Mariae de Briostello, alias de Lanneyo in dioecesi Belvacensi, super eo quod dicebant multos et varios contractus per eorum praedecessores fuisse factos et passatos cum pluribus personis in traditionibus terrarum et aliarum possessionum dicti monasterii in emphiteosim, et sub annuo et perpetuo censu, contra *Benedictinam* et alias nostrae religionis institutiones, absque suorum superiorum licentia, assensu et approbatione, imo et in magnum ipsius monasterii de Lanneyo praeiudicium, damnum et gravamen, requirentes super hoc relevari dictos contractus et traditiones penitus et totaliter revocari et annullari, super iuramentis, si quae super hoc facta fuerint, secum dispensari ; praesens generale Capitulum abbatibus de Caroliloco et de Belloprato Belvacensi, et eorum cuilibet committit, ut districte super huiusmodi se informent, seu alter ipsorum informet, et quidquid repererint proximo generali Capitulo fideliter verbo aut suis scriptis authenticis referant.

43. Tractatum passatum et initum inter abbatem et conventum monasterii de Fontanis albis, et illustrem comitem de Dunoys, de et super iure prioratus leprosariae Castri reginaldi, ac aliis in praedictis litteris, quibus haec praesens annectitur diffinitio, contentis, praesens generale Capitulum super hoc per abbatem Curiae Dei Ordinis commissarium, debite et sufficienter informatum de eius utilitate, confirmat et secundum formam et tenorem ipsius ratificat et approbat.

44. Ad idem, pro monasterio de Eleemosina, de et super trac-

tatu facto et inito inter abbatem et conventum ipsius monasterii de Eleemosina, et magistrum Dyonisium Chenu, de emptione cuiusdam domus Blesis situatae.

45. Ad instantiam illustrissimi Ludovici comitis palatini, superioris inferiorisque Bavariae ducis, praesens generale Capitulum abbati de Campo principum committendo, mandat et praecipit, quatinus ad monasterium sanctimonialium Felicis vallis personaliter se transferat, ipsum visitando, reformando, corrigendo, instituendo, et destituendo, prout expedire viderit, in capitibus et in membris, in spiritualibus et temporalibus, quaecumque viderit, et fuerint ibi secundum Deum et nostri Ordinis regularia statuta visitanda, etc.; computationes etiam earumdem audiendo, approbando vel reprobando, confessionesque dum requisitus fuerit audiendo, et easdem ab omnibus sententiis excommunicationum, peccatis et casibus Capitulo generali reservatis absolvendo in plenaria Ordinis potestate, praesenti diffinitione usque ad quinquennium duratura ; datum, etc.

* * *

46. Ad instantiam, etc. fratri Ioanni, religioso monasterii de Campo principum expresse professo, idem Capitulum concedit, quatinus in monasterio sanctimonialium Felicis vallis residentiam faciat, regularem observantiam per commissarios Ordinis laudabiliter institutam observando et observari faciendo.

47. Capitulum generale propter bonam religionem ad ipsum per fide dignos delatam et deductam de bona et religiosa conversatione et scolastico profectu fratris Nicolai Bonexeau, religiosi professi monasterii Beatae Mariae de Villanova, actu studentis in collegio Sancti Bernardi Parisiensis, in facultate theologica et in eadem baccalarii formati, praesens ratificat et confirmat diffinitionem anno elapso factam per quam eidem baccalario assignabantur annuatim 15 franci super monasterio de Nigro monasterio percipiendi usque ad gradum doctoratus in eadem facultate inclusive, ad quem quidem gradum doctoratus ut liberum et voluntarium suum tempus advenerit, non obstante quadam clausula eiusdem praeteritae diffinitionis in gravamen edita ascendere et promoveri valeat. Idem Capitulum benigne annuit et concedit, eumdem scolarem et baccalarium hortando et monendo, quatinus de bono in melius semper proficere et laborare studeat in scientia et moribus proficiendo ; huius dif-

finitionis executionem abbatibus de Begar et de Precibus et de Caroliloco, s. th. pr., et eorum cuilibet et in solidum committendo, in plenaria Ordinis potestate.

48. Per generale Capitulum committitur abbatibus de Novocastro et de Alba dominorum coniunctim, quod se transferentes ad monasterium de Mulbrunna se informent sollicite et diligenter, super quadam permutatione certorum bonorum immobilium usque ad valorem sexcentorum florenorum ascendentium usque ad supradictam summam, et quidquid repererint, diligenter scriptis commendando sufficienter informent proximum generale Capitulum.

49. Appellationem per abbatem de Loco Dei Ruthenensi emissam, ratione monitionis sibi factae sub poena excommunicationis per abbatem de Candelio, visitatorem et reformatorem in provinciis Bituricensi et aliis multis, ut mitteret unum scolarem ad Universitatem cum suis provisionibus Tolosanam, ad plenum attendens generale Capitulum, mandat abbati de Calercio, s. th pr., quatinus eidem abbati de Loco Dei ordinationem istam et diffinitionem, quamprimum commode fieri poterit, denuntiet et ad integrum executioni demandet, sub eisdem poenis eidem expresse praecipiendo auctoritate dicti Capituli generalis, ut infra Pascha proximum quamdam bullam seu indultum apostolicum, ut fertur, ab eodem contra Ordinis statuta ad hos fines impetratum, declarat esse irritam ac nullam, certis ex rationibus ad hoc moventibus, eidem praecipiens sub excommunicationis latae sententiae poena, quatinus infra 30 dies ab intimatione huius ordinationis mittat et teneat unum scolarem in Universitate Tolosana, qui omisso iuris studio artes et theologiam solum studeat expresse, qui indissimulanter transmittat faciatque ad manus eiusdem domini Cisterciensis perveniat, alias noverit se sententiam praemissam praefato termino elapso incurrisse.

50. Ad instantiam et humilem supplicationem abbatis de Signiaco, qui emendationis fratris Stephani Orguenault, religiosi de Pietate, testimonium perhibuit, Capitulum favorabiliter dispensat super inhabilitate et irregularitate, quam ipse Stephanus incurrit eucharistiae sacramentum in sententia excommunicationis et apostasiae celebrando, ipsum ad omnes actus, officia, gradus et dignitates, seclusa abbatiali dignitate, rehabilitando.

51. Abbatibus de Claraprovincia et de Szuleor [Sulejow] per

generale Capitulum praecipitur in virtute salutaris obedientiae, quatinus quamprimum poterit personaliter accedant ad monasterium Wanchocense, et ibidem, si opus fuerit, se debite et diligenter informent de et super articulis praesenti diffinitioni annexis, nisi prius sufficienter fuerint informati dictum monasterium visitando et reformando in capite et in membris, in spiritualibus et temporalibus, et informatione habita terminent et sententient, in plenaria Ordinis potestate, etiam abbatem dicti monasterii, si sua exigant demerita ab abbatiali dignitate deponendo, et loco sui de alia Ordinis persona sufficienti et idonea, secundum Ordinis statuta, providendo.

52. Attendens Capitulum generale tenuitatem monasteriorum filiationis Trium fontium, benigno favore eidem compatitur, nolens eam super missione studentium onerare, abbatum ipsius inclinatum precibus, statuit, mandat et sub poena excommunicationis latae sententiae praecipit, committendo abbati de Igniaco, quatinus abbatem Trium fontium et omnes alios abbates compellat sub censuris Ordinis ad mittendum Parisiis duos scolares infra festum Paschae proxime futurum ad collegium Sancti Bernardi, cum provisionibus sufficientibus et necessariis sub hac forma, videlicet quod monasteria de Aureavalle, de Castellione, de Caherio coniunctim faciant unum scolarem, et eidem providebunt, monasteria de Tribus fontibus, de Altofonte, de Monasteriis in Argona et de Cheminione unum alium, cui similiter providebunt secundum taxam et dispositionem ipsius abbatis de Igniaco, attentis valore dictorum monasteriorum, in plenaria Ordinis potestate.

1471

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo primo, statuta sunt haec apud Cistercium, quartadecima die mensis septembris, in eiusdem Cisterciensis Ordinis Capitulo generali.

1471. *Fontes* : L^4 : 1-55 ; *M* : 21 ; P^2 : 1, 21, 27.
[a] *Titulus apud* L^4.

ORATIONES

1. Pro [b] beatissimo ac sanctissimo Domino nostro, Domino Sixto, divina Providentia Papa moderno, necnon ... *etc. ut in anno* 1458.

2. Praeterea pro christianissimo ... *etc. ut in anno* 1470.

3. Insuper pro burgensibus... *etc. ut in anno* 1449.

4. Ceterum pro pace ... *etc. ut in anno* 1449.

5. Postremo pro felicis ... *etc. ut in anno* 1470.

[DIFFINITIO] GENERALIS.

6. Cum Ordo noster ... contributionem novem millium florenorum... *etc. ut in anno* 1449.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

7. Promotionem, institutionem, installationem et confirmationem, die 26 iulii novissime elapsi, post obitum bonae memoriae domini Henrici de Derby nuper abbatis de Bildwas, in eodem monasterio per viam compromissi secundum formam nostrae sacratissimae religionis factas, per fratres Hugonem et Robertum monasteriorum de Straford et Woburn abbates, in persona fratris Ioannis Tynternii, professi dicti monasterii de Bildwas, praesens generale Capitulum confirmat, roborat et ratificat in plenaria Ordinis potestate.

8. Capitulum generale gratam habet et admittit provisionem factam per Sanctissimum Dominum Nostrum Papam in abbatiali dignitate monasterii de Luzella, de persona fratris Ludovici Kessler de Alba, et quia quidam illius conventus, maligno spiritu moti, huiusmodi provisioni contradicere nituntur, praecipitur domino de Salem, quatinus assumpto secum, si opus fuerit, aliquo vicino abbate, de huiusmodi contradictoribus se informent, et eos si quos inveniant, puniant, et ad obedientiam plenariam compellant.

9. Acceptationem resignationis dignitatis abbatialis monasterii Locicrescentis factae per dominum Ioannem pridem eius-

---

[b] Sub Sixto IV, *etc. ut in anno praec.* : P^2.

dem monasterii Locicescentis abbatem, in manibus domini abbatis Lutzellensis, eiusdem monasterii patris abbatis, propter diversa infirmitatis incommoda eiusdem domini Ioannis, atque electionem, institutionem et promotionem de persona fratris Petri Paypan in abbatialem dignitatem eiusdem monasterii, per eumdem patrem abbatem factas et celebratas, praesens generale Capitulum ratificat, approbat et confirmat.

10. Informatum sufficienter generale Capitulum super violentiis et tortionibus diversis domino Richardo Rochester, abbati monasterii de Dora, contra iuris rationem illatis, necnon sciens iniustam promotionem fratris Roberti Ford ad dignitatem abbatialem eiusdem loci, confirmat, ratificat et approbat, quidquid super his per abbatem de Woburn in cassatione, irritatione, promotione eiusdem fratris Roberti Ford in eodem monasterio, necnon in restitutione praefati domini Richardi Rochester ad dictam suam abbatialem dignitatem extitit factum, mandando eidem fratri Roberto sub excommunicationis latae sententiae poena, ne deinceps per se aut alium super his dictum abbatem conturbet, molestet aut impediat, perpetuum sibi silentium imponendo.

REHABILITATIONES

11. Auctoritate totius Ordinis dispensatur cum fratre Henrico Conradi de Wins, professo in monasterio Vallis Beatae Mariae, alias Sturtzeborn, quatinus non obstante inhabilitate quam contraxit ex contagio carnis, de quo accusatus fuit et punitus, licet non convictus, ad omnes possit Ordinis actus legitimos, gradus, voces, officia et dignitates abbatiali seclusa, promover[1] valeat et admittit.

12. Ad idem, pro fratre Ioanne Terdinger, monasterii de Alba professo, dignitate abbatiali seclusa.

13. Ad idem, pro sorore Beatrice de Helinstorff, monasterii de Velpach professa, de contagio carnis, etc., ad instantiam abbatis de Salem.

14. Ad idem, pro sorore Brigida Losterin, monasterii de Beind professa, ad instantiam abbatis de Salem.

15. Cum reverendissimus pater dominus abbas Cistercii fratrem Ludovicum abbatem in Aurora, pridem ad hoc Capitulum sui monasterii computa delaturum, citaverit, ipseque abbas, nec per se nec per alium sufficienter instructum comparuerit,

neque computa miserit, reputat praesens Capitulum ipsum abbatem de Aurora contumacem et Ordini inobedientem, et propter hoc censuras Ordinis ac poenas in carta domini Cistercii positas incurrisse, mandans ac praecipiens abbati in Salem, quatinus ad ipsum monasterium de Aurora personaliter accedat, ipsumque iam nominatum abbatem huiusmodi poenas incurrisse publice denuntiet ; denique super observantia cartae nuper ibidem relictae per praefatum dominum Cisterciensem, se diligentius informet, et si eam minus bene observatam invenerit, poenis ibidem contentis transgressores puniat, etiam si usque ad depositionem abbatis fuerit procedendum, quem si deponendum iure invenerit, eum deponat, aliumque sufficientem et idoneum, sive per electionem canonicam, sive per auctoritatem paternam, aut totius Ordinis generalem, ipsi monasterio praeficiat, in plenaria Ordinis potestate, invocando ad hoc, si opus sit, quorumcumque dominorum et potentum auxilium et favorem.

16. Ad idem, pro fratribus Georgio, quondam abbate Sancti Gothardi, Martino priore in Iardino Petri, Stephano Huoter monacho Sancti Gothardi, citatis per abbatem Montis Sanctae Mariae in Hungaria, quorum causa committitur abbati Sanctae Crucis.

[COMMISSIONES]

17. Committitur domino abbati de Fonte salutis, quatinus assumpto secum aliquo abbate vicino, se informet de utilitate venditionis lignorum non coeduorum monasterii de Ebraco, et si inveniant esse pro utilitate monasterii, absque fraude certam partem, et prout viderint expedire, ad vendendum per triennium assignent, licentiamque praebeant eidem abbati de Ebraco, ut pecuniam receptam in utilitatem monasterii convertat, sub censuris Ordinis praecipiendo.

18. Capitulum generale admittit, ut visis necessitatibus, quibus nunc subiacet monasterium de Salem, ipse abbas possit impignorare curias et possessiones in Hersersingen et Ingingen, quoadusque eas commode redimere possit.

19. Capitulum generale minime sufferre volens rebelliones quorumdam protervorum monasterii de Salem, qui contempto abbate proprio et etiam praecepto domini Cisterciensis, fregerunt aedificia facta ad reformationem eiusdem monasterii, ordinata per eumdem dominum Cisterciensem, committit eidem de Salem,

quatinus puniat eos poena conspiratorum usque ad nutum suum, in plenaria Ordinis potestate.

20. Auditis enormibus et criminosis vitiis cuiusdam fratris Henrici Bartenheim, professi in Sancto Urbano, qui saepius apostatando in habitu regulari discurrit, portans arma, et diversa discrimina inferens monasterio, proprio abbati et personis eiusdem, etiam contrahendo matrimonium cum quadam filia nefanda, committendo, Capitulum generale ipsum ad carceres durissimos in eodem monasterio de Sancto Urbano condemnat sub poenitentia panis et aquae, secundis, quartis et sextis feriis, usque ad nutum eiusdem Capituli generalis.

21. Acceptationem ad Ordinem nostrum et eidem Ordini incorporationem prioratus de Galilea, [Daventriensis] dioecesis, dudum fratrum [c] Ordinis Sancti Francisci de tertia regula, qui nostro Cisterciensi Ordini singulari devotione moti nuper eidem Ordini se et locum suum praedictum subiecerunt, instituta eiusdem Ordinis et habitum recipientes, ac sub priore et obedientia ipsius Ordinis plenarie in perpetuum vivere promittentes, per abbatem monasterii de Campo, pro nostri Ordinis praedicti augmentatione et animarum salute, factas et passatas, praesens generale Capitulum gratas acceptasque habet et recipit, necnon per praesentes approbat, ratificat et confirmat, dummodo tamen in nullius vergat praeiudicium, ac nulli per hoc iniuria fiat, sitque dioecesanus de huiusmodi Ordinis transmutatione contentus, et paratus privilegia nostri Ordinis illaesa tenere, prout in Carta caritatis expresse cavetur. Concedit etiam idem Capitulum eidem abbati de Campo, ut si de cetero aliquem locum religiosum nostro Ordini incorporandum invenerit, eumdem acceptet, et eidem Ordini nostro incorporet, in plenaria Ordinis potestate, praemissis tamen conditionibus per omnia observatis.

22. Cum decisio differentiae ac litis inter partes Guillelmum Breton et Thomam Olivier, super dignitate abbatiali in Bucklanden, dudum fuerit non solum per reverendissimum patrem dominum Cisterciensem ac Capitulum generale, sed etiam Sanctissimum Dominum Nostrum Papam, venerabilibus abbatibus de Straford, Gratiis et Woburnia commissa, ipsique commissarii sententiam diffinitivam contra dictum alium iam pridem pro-

---

[c] patrum : *MP*².

tulerunt, cui tamen ipse Olivier rebellis et inobediens existit et usque adhuc permansit, diversis machinationibus sinistris ipsum dictum fratre Guillelmum Breton, verum et indubitatum abbatem molestando, aliquorum, ut dicitur, abbatum nostri Ordinis malivolorum instigatione et protectione suffultus, praedictis commissariis idem generale Capitulum denuo praecipit, ut abbates et alias quascumque Ordinis personas, praedicto Olivier clam vel palam assistentes, sententias excommunicationis et alias censuras Ordinis tamquam rebelles et conspiratores publice denuntient ipso facto incurrisse, ipsum Olivier extra monasterium proprium eliminando et in alio monasterio poena condigna tantae rebellionis plectendo, inhibens nihilominus abbati de Quarrera et aliis quibuscumque, praedictis commissis exceptis, ne praetextu cuiuscumque auctoritatis ordinariae aut delegatae, in praedicto monasterio visitare, reformare aut quidquam attentare audeant, quousque dicta lis et controversia fuerit totaliter sopita.

23. Abbatibus Angliae cedentibus praecipit Capitulum generale sub poenis in statutis contentis, quatinus infra bimestre tempus a sua destitutione computando, profiteri habeant in ipso monasterio vel alio regulato et non amplius discurrant per monasteria, alias sua pensione penitus priventur.

24. Domino abbati de Salem indulgetur gratiose ut omnes et singulas personas Ordinis utriusque sexus proprii monasterii aut monasteriorum sibi subiectorum absolvere valeat a casibus Capitulo generali reservatis pro semel, atque eamdem auctoritatem alteri vel aliis communicare.

25. Condolens generale Capitulum tam diuturnae desolationi monasterii Fontis regis, domino abbati de Salem eiusdem monasterii patri abbati, in virtute salutaris obedientiae, districte praecipit, quatinus quamprimum poterit, ad idem monasterium se transferat, et ibidem abbatem ac ceteros officiarios instituat, sicque faciat ut monasterium ad frugem meliorem perducatur, in plenaria Ordinis potestate.

26. Attenta paupertate prioratus de Paris, Capitulum generale gratiose supportat priorem et conventum de solutione contributionum Ordinis iam debitarum pro biennio immediate transacto.

27. Conceditur monialibus de Seyna [d] in civitate Coloniensi,

---

[d] Leyna : *L*[4].

ut celebrare valeant festum sancti Severini archiepiscopi Coloniensis, cum XII lectionibus, eo quod sint in parochia illa sitae, et magna solemnitas illa die a saecularibus illius parochiae celebretur.

28. Ad idem, pro monialibus in Nunnenmunster in suburbiis Wormatiensibus, quoad festum sanctae Margaretae, virginis et martyris, propter singularem devotionem quam ad eamdem sanctissimam virginem habebant.

29. Auditis diversis desolationibus et incommodis monasteriorum de Runa et Sittich in Austria, Capitulum generale gratiose supportat abbates illorum a missione studentis hinc ad quinquennium, medietatem contributionum per idem quinquennium eis misericorditer relaxando.

30. Ad idem, pro monasterio de Cella angelorum ad biennium quoad studentem mittendum ; conceditur etiam eidem ut omnes suos subditos pro semel a casibus Capitulo reservatis in foro conscientiae absolvere habeat, et ipse similiter confessorem eligere possit in simili potestate.

31. Quia fratres Iacobus Martelli et Antonius Michael, monasterii de Valeta expresse professi, sufficienter citati ad hoc Capitulum generale non comparuerunt, nec per se nec per alium, multosque alios excessus enormes commiserunt, praesens Capitulum reputat eos contumaces, dominis abbatibus de Bonavalle Ruthenensi et Bonis campis praecipiendo, quatinus eos, ubicumque poterint, capiant et diris carceribus mancipent, aliundeque puniant secundum delictorum qualitatem, in plenaria Ordinis potestate.

32. Abbatibus de Novocastro et Mulbrunn per generale Capitulum committitur, quatinus de et super resignatione et traductione iuris collationis ecclesiae parochialis in Etlingen ad moniales Vallis lucidae pertinentis, ad instantiam illustris principis domini marchionis in Baden, per easdem moniales facta ecclesiae collegiatae ibidem de novo fundatae, praetextu tamen recompensae aequivalentis per eumdem dominum marchionem eisdem monialibus faciendae se informent, et si eamdem recompensam aequivalentem et aeque monasterio utilem invenerint, eamdem resignationem et traductionem in plenaria Ordinis potestate confirment et approbent, sin autem, eamdem irritent, cassent et nullius roboris ac momenti, utpote sine licentia Capituli et contra privilegia Ordinis nostri factam, declarent

33. Super enormibus et gravissimis criminibus cuiusdam fratris Gerardi de Chissey, monasterii de Buxeria professi, magno cum moerore informatum praesens generale Capitulum, qui primo associatus quibusdam saecularibus spurcissimis et nequissimis hominibus, quamdam puellam nocte rapuit, et dormientem cum quadam avuncula sua ad silvam quamdam propinquam abduxit, sive abduci iuvit, et ibidem una cum aliis eam oppressit, violavit et corrupit, postea vero timens super hoc vindictam et punitionem Ordinis, monasterium de Buxeria apostatando dereliquit, et ad auxilium saecularium confugit, saepiusque in apostasia, timore Domini postposito, divina celebravit, saepius etiam post latenter nocte ipsum monasterium de Buxeria subintravit, et ibidem multa furens et subtrahens denuo recessit, mulieres etiam dissolutas ibidem introduxit, et eas in loci ac monasterii scandalum et laesionem diutius tenuit et corrupit, et novissime propter tot et tanta a quodam saeculari captus et in monasterii carceri, ut iustum erat, mancipatus, ipsos carceres fregit, ad Cistercium quoque ductus et ibidem similiter incarceratus denuo carceres frangendo evasit, quodam breviario inde secum sublato. et nunc per saeculum discurrit ; omnibus et singulis abbatibus, prioribus et Ordinis personis regularibus universis, in virtute salutaris obedientiae praecipit idem generale Capitulum, quatinus ubicumque eis occurrerit idem frater Gerardus, aut eum repererint, ipsum capiant, et carceribus dirissimis mancipent, vel saltem abbati suo eum remittant, ut super excessibus suis valeat poena sibi condigna plecti et puniri.

34. Super multis, de quibus venerabilis abbas de Valeta a commissariis domini nostri Cisterciensis nuper appellavit, et ad hoc praesens provocavit Capitulum, et primo propter hoc, quod dicti commissarii in quadam carta eidem abbati dudum praeceperant sub excommunicationis poena, ut infra festum Nativitatis Beatae Mariae tres haberet assumere novitios, ac infra festum beati Dionysii unum studentem ad studium Parisiense vel Tolosanum mitteret, visis hinc inde diversis allegationibus, iudicat ipsum praesens Capitulum et diffinit, quod dicti commissarii bene ordinaverunt, et male appellavit, praesertim cum idem abbas in instrumento suae appellationis protestetur, se multos plures saeculares habere in monasterio quam religiosos, quorum si numerum minuat, poterit absque damno conventum augmen-

tare; cum etiam, ut dicitur, quosdam saeculares forsitan de parentela sua in studiis teneat, magis dignum est, ut Ordinis statutis obediendo pro utilitate et honore sui monasterii scolarem Ordinis in studiis habeat ; de eo vero quod dicti commissarii poenam sive poenitentiam cuiusdam fratris Petri Iarrigha cessare et eum ad gradum pristinum restitui decreverunt, sic fieri et observari omnino decernit hoc Capitulum, quousque per abbatem loci de causa huiusmodi tam longae poenitentiae plenius fuerit informatum, propter quam causam et alia multa eidem abbati de Valeta praecipit in virtute salutaris obedientiae, ut in proxime futuro Capitulo personaliter comparere non omittat. Porro de fratre Antonio dudum ad monasterium Obasinae, auctoritate generalis Capituli perpetuo emisso, et a monasterio de Valeta eliminato, decernit ipsum praesens Capitulum iam dudum factam diffinitionem in suo robore permanere debere, unde quoad hunc articulum solum diffinit idem Capitulum eumdem abbatem bene appellasse.

35. Viso quod abbas de Heysterbach pro nunc nullum de suis religiosis ad studium generale mittendum dispositum habeat, tresque teneat scolares in scolis particularibus in primitivis fundandos, quos in futurum, dum satis fundati fuerint, ad studium generale mittere proponit, a missione studentis vel studentium per immediate sequens biennium, ipsum praesens Capitulum benigne supportat, relaxando censuras Ordinis contra non mittentes fulminatas, sic tamen ut finito eodem biennio, absque ullo defectu mittere teneatur, ipsum quoque dominum abbatem a via Capituli praesentis dumtaxat habet excusatum.

36. Viros litteratos ad honorem et decus nostri Ordinis in ipso Ordine multiplicare cupiens, praesens generale Capitulum concedit licentiam et plenam facultatem fratri Detmaro, monasterii Portae coeli, Brandenburgensis dioecesis, professo, et nunc propter diversa incommoda eiusdem monasterii cum aliis confratribus suis ad exsilium emisso, quatinus tempore desolationis et dispersionis sui monasterii, quamdiu abbati suo, aut suo monasterio placuerit in studio generali Oxoniensi stare et ibidem de fontibus sapientiae salutaris haurire valeat et potare, omnes et singulos abbates dictae nationis necnon quoscumque christifideles deprecans et requirens, quatinus intuitu Dei et sacrae religionis nostrae, ob favorem sibi in huiusmodi studio commoranti manus porrigant adiutrices, conferens sibi nihil-

ominus licentiam, ubi et quoties vel pro devotione propria, vel aliorum amicorum et benefactorum suorum ad instantiam, divina celebrare, Domino inspirante, voluerit, eadem et in locis Ordinis et aliis locis Deo dicatis quibuscumque possit et valeat, nemine eum impediente.

37. De bono zelo et sanctae religionis fervore abbatis de Pelisio moderni gratulanter informatum, praesens generale Capitulum committit et in plenaria Ordinis potestate, visitationem et reformationem monasteriorum ab antiquo Ordini subiectorum, in capite et in membris, hortando eum, ac eidem praecipiens, quatinus ad hoc sollicite elaborare velit, ut in regulari observantia, quam heu ! penitus neglexerunt, denuo instituantur, assumptoque secum venerabili abbate Montis Sanstae Mariae ad eripiendum cetera monasteria regni Hungariae de manibus saecularibus, omnibus viis et modis possibilibus diligentius intendat, ponatque in eisdem abbates Ordinis, in plenaria Ordinis potestate, quorumcumque dominorum et potentum ad hoc faciendum auxilia requirendi habeat liberam facultatem; dat quoque sibi idem Capitulum potestatem et plenum posse omnes et singulas personas Ordinis monasteriorum sibi subiectorum in foro conscientiae pro semel absolvendi ab omnibus casibus Capitulo generali reservatis.

38. Non parum dolenter audiens hoc generale Capitulum querimoniam quorumdam fratrum monasterii de Trizayo, nostri Cisterciensis Ordinis, de et super oppressionibus et molestationibus iniquis eis et aliis confratribus suis illatis per quemdam fratrem Nicolaum Borelli, reverendi in Christo patris domini episcopi Nannetensis in eodem monasterio vicarii asserti, dominis abbatibus de Moroliis et de Ré, ac cuilibet eorum in solidum committit, quatinus de et super huiusmodi oppressionibus et molestationibus iniquis dictorum fratrum, necnon vita, moribus et regimine dicti fratris Nicolai Borelli se informent, et si dicta ut per huiusmodi religiosos proposita fuerunt, vera invenerint, eum a praedicto regimine et administratione dictae amoveant, eumque ad proprium suum monasterium de Charone, ubi professus est, redire compellant in plenaria Ordinis potestate, aliunde etiam aliis poenis Ordinis, si meruisse videatur ipsum puniendo, ipsos autem religiosos, videlicet fratres Martinum Forestarii, Leodegarium Mestrier, Nicolaum Agerni, qui ad hanc diffinitionem impetrandum ad idem Capitulum venerunt, propter eorum a monasterio reces-

sum nullam prorsus sententiam, irregularitatem et inhabilitatem incurrisse, idem Capitulum declarat.

39. Monialibus monasterii Puraevallis, alias Eberseck, sub excommunicationis poena praecipit Capitulum, quatinus de cetero recipiant et teneant confessorem Ordinis probum et honestum, per abbatem Sancti Urbani earum vsitatorem eis deputandum, qui etiam tamquam verus et legitimus eiusdem monasterii procurator et gubernator totum onus et regimen temporalitatis ipsius monasterii habeat, ipsisque monialibus necessaria administret, ac etiam de bonis ipsius monasterii vivat, fidelemque computum reddat ipsi abbati Sancti Urbani singulis annis, aut quoties fuerit necessarium ; huius diffinitionis executionem praefato domino Sancti Urbani committendo, praecipiens eidem, ut rebelles, si quae sint, ad eius observantiam per censuras Ordinis compellat, in plenaria Ordinis potestate.

40. Monialibus monasterii Domus Consilii, alias Rathausen, praecipit generale Capitulum sub excommunicationis poena, ut de cetero confessorem Ordinis in suo monasterio residentem recipere et habere teneantur, eis deputandum per abbatem Sancti Urbani, patrem suum ac visitatorem immediatum, neque de cetero sacerdotibus saecularibus confiteri praesumant, nec alteri sacerdoti quam confessori eis deputato, cui etiam confessori in victu, vestitu et mansione honesta ac ceteris necessariis provideant competenter ; huius diffinitionis executionem praefato domino Sancti Urbani committendo, praecipiens eidem... *etc. ut supra.*

41. Quasi peccatum ariolandi et tamquam idololatriae scelus abhorrens generale Capitulum rebellionem detestabilem quarumdam monialium Ordinis in inferioris Germaniae partibus commorantium, quae, ut ad eiusdem Capituli deductum est notitiam, propriae suae salutis immemores, solemnium etiam votorum, quibus se Christo regi summo devoverunt et desponsarunt, oblitae, spretis sui Ordinis institutis salutaribus, monitisque suorum superiorum ac praeceptis penitus conculcatis non verentur per civitates et oppida ac alia saecularium loca girovago dissolutoque et irreligioso gressu discurrere, saeculares et suspectas personas ad sua monasteria et loca conventualia aut etiam privata ad se intromittere, sicque se in omnibus dictis, factis, habitibus et gestibus irreligiosis et indecentibus habere et gerere, ut fidelis populus non modicum inde scandalizetur, nosterque

Ordo sacerrimus non parvam inde contrahat dedecoris et infamiae notam, utque suae turpitudinis vitia liberius exercere valeant ac continuare, gravissimis censuris, quas inde incurrunt, pro nihilo reputatis, contra suorum superiorum correctiones salutiferas, ad patrocinium currunt brachii saecularis ; quibus omnibus finem imponere cupiens idem generale Capitulum domino abbatis Veteris campi, in virtute salutaris obedientiae, districte praecipit, quatinus assumpto vel assumptis secum, si opus fuerit, alio Ordinis abbate vel abbatibus, sive etiam monacho vel monachis ad hoc apto vel aptis, omnia et singula Ordinis monasteria monialium in praedictis partibus vel vicinis sita cuiuscumque filiationis et lineae existant, praesertim non clausa, aut non reformata, visitet et reformet, in capitibus et in membris, atque regularem vivendi modum et observantiam, sive sub clausura perpetua sive aliunde, prout expedire viderit, per censuras Ordinis et alias poenas possibiles, viriliter et exacte compellat, in plenaria Ordinis potestate, invocato ad hoc etiam quorumcumque dominorum nobilium ac potentum consilio, auxilio et favore, quos etiam idem Capitulum per praesentes instantissime precatur et rogat, quatinus dicto abbati et aliis secum assumptis in praemissorum executione, Dei et Ordinis intuitu, benivole assistant, cui abbati Campensi dat facultatem nihilominus praesens Capitulum suam potestatem praedictam alteri vel aliis, ad hoc idoneo vel idoneis committendi, si forsan per se intendere non valuerit.

42. Toties ad amaritudinem provocatur generale Capitulum quoties de vita irreligiosa, vaga ac lubrica personarum Ordinis informatur ; non itaque sine magno cordis dolore ad audientiam ipsius generalis Capituli nuper deductum est, quod quidam Ordinis potius discoli quam monachi, post transgressum per eosdem primae suae professionis votum, quoad locum certum per stabilitatis suae promissionem se restrinxerunt, quem tamen vel apostatando, vel aliunde sua importunitate et impatientia licentiam extorquendo dimittuntur aliis abbatibus, non ad manendum cum eis, sed sub eorumdem permissionis colore liberius suas insequantur voluntates noxias profitentur. Qui quidem abbates sive pretio, sive alia sinistra machinatione circumventi, eosdem monachos sic sibi professo per eorumdem licentiam suis patentibus litteris roboratam libere permittunt in quibuscumque civitatibus, locis ac terrarum spatiis, etiam saecularibus et nostri

Ordinis, observantiis minime imbutis, et cum quibuscumque personis habitare et commorari, quo fit, ut iidem monachi tamquam effrenes et a iugo monasticae disciplinae penitus emancipati non iam coenobitae sed sarabaitae et girovagi, qui teste beatissimo patre nostro Benedicto in sua regula, duo sunt teterrima monachorum genera, esse incipiant, multaque et damnabilia inter saeculares personas commorando et circumvagando, committant scandalosa crimina contra Deum et sanctam, quam professi sunt, regulam, necnon sanctorum patrum, quibus obedire tenentur, saluberrimas traditiones, in suarum animarum periculum, fidelis populi scandalum, ac totius nostri sacri Ordinis honoris ac famae non modicum detrimentum ; quibus omnibus finem imponere cupiens praesens generale Capitulum, sub excommunicationis poena omnibus et singulis Ordinis abbatibus, prioribus, et aliis monasteriorum rectoribus quibuscumque districtissime inhibet, ne de cetero quemquam monachorum ad professionem suam recipiant, nisi quem apud se, et in suo monasterio sive aliquo membrorum eius voluerint retinere, quinimo cassat, irritat et annullat omnes licentias per quoscumque et quibuscumque Ordinis personis hactenus datas de manendo extra monasteria vel loca Ordinis, sive perpetuo sive ad tempus ; praecipiens nihilominus omnibus abbatibus sive prioribus, qui huiusmodi licentias dudum concesserunt, in virtute salutaris obedientiae, et sub excommunicationis poena latae sententiae, quatinus quamprimum praesens diffinitio eis publicata fuerit, suos monachos, quibus huiusmodi licentiam tribuerunt, ad propria sua monasteria revocent, ibidemque eos sub regulari disciplina et Ordinis observantia faciant de cetero vivere et manere. Qui abbates si forsan negligentes aut huiusmodi diffinitioni inobedientes existant, praecipit idem Capitulum in virtute salutaris obedientiae omnibus et singulis abbatibus Ordinis ubilibet constitutis, et praecipue domino abbati Veteris montis, s. th. pr., quem tamquam principalem executorem eiusdem diffinitionis constituit, quatinus in civitate Coloniensi, ad quam tamquam ad sentinam quamdam huiusmodi vagi monachi ac discoli, sive sub colore studii, sive aliis de causis maxime confluunt, sive etiam alibi, ubicumque tales vagos et dissolutos repererint, eos statim capiant et vinctos ad monasteria, ubi se professos dicunt, in expensis abbatum ipsorum monasteriorum deduci faciant, si tamen a dicto loco Coloniensi aut aliis locis, ubi praedicti

discoli reperti fuerint, huiusmodi monasteria non sint nimium distantia ; si vero in nimium distanti monasterio se professos dixerint, ad alia aliqua Ordinis monasteria propinquiora eos deducant, ibidemque tamdiu poena carceris, aut aliis gravissimis poenitentiis puniant et emendent, quousque ad perfectam Ordinis stabilitatem et obedientiam de cetero firmiter observandum fuerint penitus inclinati, invocato etiam ad praemissa, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

43. Quasi scelus ariolandi suscepit generale Capitulum rebellionis abbatissae et sororum conventus monialium Beatae Mariae de Valle Sanctae Crucis, quae reverendissimo domino Cistercii, nuper partes Germaniae et maxime monasterium ipsum visitanti, omnino inobedientes extiterunt et rebelles adversus eum, etiam brachium-saeculare evocantes et provocantes, in quo peiores Absalon videri possunt et iudicari ; quamobrem ipsum dictum generale Capitulum inobedientes quasi conspiratrices, excommunicatas, et dignas depositione abbatissam scilicet indignam abbatiali dignitate, religiosasque suis officiis et gradibus privandas, et omnes simul a monasterio emittendas sententiat et iudicat, misericorditer autem cum eis ad insinuationem eiusdem reverendissimi patris et aliorum piorum patrum agere cupiens, abbati de Salem committendo praecipit, in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis poena, quatinus ad dictum monasterium Vallis Sanctae Crucis se, quamcito commode fieri poterit, transferens, dictas abbatissam et moniales ab officiis divinis et ingressu ecclesiae pro minori per dies septem suspendat, et si eas humiles et delictum cognoscentes cum proposito emendandi repererit, iniuncta salutari poenitentia plenissime absolvat, in plenaria Ordinis potestate.

44. Misericorditer agere volens Capitulum generale cum fratre Wolgando, professo in Campo principum, a reverendissimo domino Cistercii, quia illicentiatus ad Capitulum veniens de monasterio exivit, ipsum destinat domino Montis Sanctae Mariae in Ungaria ad tempus emendandum, sustinendum et ab omni violentia sui abbatis praeservandum, ut tamden ei conciliari mereatur, annuens ut si et dum eidem proprius abbas consentiat, habita suae professionis quittancia in eodem Sanctae Mariae monasterio profiteri valeat, ipsi abbati de Campo principum inhibendo, ne ipsum quomodocumque quia absque licentia ad Capitulum venit, quacumque poena animadvertat aut plectat, praecipit

tamen eidem, ut in eodem Sanctae Mariae monasterio infra duos menses se recipiat, et ibidem honeste se habeat.

45. Abbatibus de provinciis Austriae, Stiriae et Bavariae omnibus et singulis praecipit praesens generale Capitulum, quatinus omni anno ante Capitulum in unum conveniant, ac de nuntio ad Capitulum generale mittendo inter se concordent, qui quidem nuntius deferre habeat omnes contributiones Ordinis per eos debitas, cui etiam nuntio de expensis sufficientibus provideatur ; omnes et singuli super hoc inter se contribuendo huius diffinitionis executionem ad compellandum videlicet omnes et singulos abbates praemissos ad conveniendum in unum et suas contributiones mittendum, ac nuntio praedicto pro expensis contribuendum abbati de Sancta Cruce committit in plenaria Ordinis potestate, cui etiam pro semel dat auctoritatem idem Capitulum omnes et singulas personas Ordinis utriusque sexus in foro conscientiae ab omnibus casibus, criminibus, et sententiis Capitulo generali reservatis, in eisdem provinciis degentes absolvendi, et auctoritatem suam, si per se non possit, aliis communicandi, ac pro se confessorem cum simili potestate eligendi.

46. Viros litteratos in Ordine nostro promovere ac multiplicare cupiens, praesens generale Capitulum, attenta etiam habilitate ac dispositione bona ad studium sapientiae, necnon proficiendi voluntate venerabilis domini Leonardi, abbatis Montis Sanctae Mariae, Jaurinensis dioecesis, facultate concedit eidem domino abbati ad standum in studio Viennensi hinc ad quinquennium, ibique in facultate theologica profitendi, dummodo tamen occasione illa monasterium suum debite regere et gubernare in spiritualibus et temporalibus non omittat.

47. Sufficienter informatum praesens generale Capitulum de zelo religionis, circumspectione, prudentia, discretione et fideli diligentia venerabilis domini Leonardi monasterii Sanctae Mariae, Jaurinensis dioecesis, commissionem sibi dudum factam per venerabilem coabbatem de Morimundo, pro visitatione et reformatione monasteriorum Ungariae per triennium, confirmat et ratificat, ac in suo robore per idem triennium vult omnino permanere, eamdem commissionem nihilominus etiam ad monasteria regnorum Slavoniae, Croatiae et Carinthiae extendi declarans, datque idem Capitulum eidem commissario auctoritatem et mandatum speciale compellendi omnes et singulas religiosas personas Ordinis extra propria monasteria, sive in monasteriis

Ordinis sancti Benedicti, sive alibi residentes, ad monasteria sua redire per censuras Ordinis ac alias poenas possibiles ; monasteria quoque Ordinis a manibus saecularium et aliorum iniuste occupantium recipiendi, invocando quoad haec quorumcumque iudicum, dominorum ac potentum auxilium et favorem ; eidem denique commissario dat auctoritatem plenariam idem Capitulum, ubi et quando expedire viderit, omnes et singulas personas Ordinis utriusque sexus, in eisdem regnis degentes ab omnibus casibus, criminibus et sententiis Capitulo generali specialiter reservatis absolvendi in foro conscientiae, et eamdem etiam auctoritatem aliis confessoribus communicandi.

48. Fervore studii sacrarum litterarum, sed nihilominus intellectus perspicacitate ac profunditate scientiae, multiplicibusque aliis virtutum insigniis discreti ac religiosi viri fratris Ioannis Leyler, s. th. bacc. form. ac prioris et professi monasterii Fontis salutis, multipliciter inductum praesens Capitulum generale, talesque ad altiora promovere cupiens per quorum doctrinam ipse noster Ordo universus illuminari possit et valeat in futurum, auctoritate totius Ordinis in favorem studii ipsius et ut ampliorem habeat ulterius proficiendi opportunitatem, officium provisoratus in collegio Sancti Nicolai Viennensis studii eidem fratri Ioanni Leyler usque ad revocationem suam dat et committit, non obstante quod per quamdam commissionem iam dudum domino abbati Sanctae Crucis factam provisio provisoris ceterorumque officiariorum eiusdem collegii ad ipsum abbatem Sanctae Crucis spectat, quam quidem commissionem pro hac dumtaxat vice et in hac causa revocatam habere vult et revocat per praesentes, in ceteris ac in futurum in nullo sibi per hoc praeiudicando, praecipitque idem generale Capitulum omnibus et singulis dicti collegii suppositis praesentibus et futuris, quatinus dicto fratri Ioanni Leyler tamquam suo vero et indubitato provisori in omnibus et per omnia, quae ad officium suum pertinent, obediant, omnibusque aliis iniungit, quorumcumque interest, ut emolumentis suo officio iam dicto debitis, eum libere gaudere et uti permittant, inhibendo nihilominus omnibus et singulis Ordinis personis cuiuscumque auctoritatis existant, ne eumdem provisorem in suo officio aut eius administratione quovismodo turbare aut impedire praesumant, nisi de auctoritate eiusdem nostri generalis Capituli specialiter ad hoc data et expressa.

49. Cupiens generale Capitulum iniustist urbationibus et

molestiis per Ordinem occurrentibus finem imponere et cuilibet, quod iustum est, conferre, cassationem et annullationem intrusionis fratris Ioannis Norton in monasterio de Quarrera, per abbatem de Woburnia factam, necnon restitutionem et reductionem fratris Galfridi Newehyth in eodem monasterio per eumdem de Woburnia institutam factam et completam, velut rationabilem, iustam et debitam, confirmat, approbat et ratificat, eidem fratri Ioanni Norton perpetuum silentium in hac materia imponendo, sub excommunicationis latae sententiae poena, in plenaria Ordinis potestate.

50. Abbatibus de Stratford et Woburnia et eorum cuilibet committendo praecipit Capitulum generale, in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis poena, quatinus ad monasterium de Newhamio se transferentes debite se informent super modo promotionis abbatis moderni, et si invenerint quod obligationem quamcumque causa et ratione suae dictae promotionis cuicumque fecerit, tamquam symoniaca labe conspersam et contaminatam cassent, irritent et annullent, de alio pastore ibidem licite et canonice providendo ; verum quia dictum generale Capitulum saluti animarum inter cetera sollicitum, audivit nonnullos eiusdem Ordinis fratres in regno Angliae, partibus Walliae et Hyberniae adeo proprietatis, conspirationis, inobedientiae, girovagationis et propriae voluntatis laqueis irretiri, ut etiam nec suorum abbatum, nec Ordinis visitatorum hortamentis, iussionibus, aut imperiis obedire curent aut velint, in eorum salutis non modicum impedimentum et praeiudicium, committendo mandat et praecipit eisdem abbatibus et eorum cuilibet sub eisdem poenis, quatinus diligenter de talibus se informent, et quoscumque talibus aut vitiis consimilibus laborare invenerint, per Ordinis censuras districte puniant, eos debitis poenis plectendo. et ad viam salutis et religiosae conversationis reducendo, necnon compellant abbates, qui cesserunt aut dignitate abbatiali privati fuerunt, ad faciendum infra duorum mensium spatium professionem in aliquo certo Ordinis monasterio, prout expediens eisdem videbitur, et eosdem compellant ad standum et permanendum realiter in certis monasteriis, prohibendo sub poenis in nostris regularibus statutis taxatis, ne pensiones suas indebite aut inhoneste expendant, quas nihilominus si expediens viderint, in quo eorum conscientias oneramus, rescindere poterunt in plenaria Ordinis potestate.

51. Etsi cunctis ea, quae rationis sunt, petentibus aures inclinare soleat, prout et debet, generale Capitulum, cum nihilominus a sublimioribus Ordinis reformationem concernentia eidem in medium adducuntur, propensiori animo vires consuevit applicare, regalibus itaque praeventum monitionibus audiens Mellifontis monasterium in fontem fellis conversum amarissime condolens, ut et quae Dei sunt, et quae regiae maiestati iuste complacerent impleat, districtissime mandat et praecipiendo committit abbatibus de Furnesio et Woburnia, quatinus ad dictum monasterium Mellifontis se personaliter transferentes, seque super statu et regimine tam spirituali quam temporali, in capite et in membris, rite et diligenter se informantes cuncta ordinent et instituant, quae viderint et invenerint secundum Deum, iuris et rationis, ordinanda et instituenda cum potestate visitandi, reformandi, instituendi, destituendi ac cetera omnia faciendi, quae in casu consimili secundum nostrae religionis saluberrima instituta fieri solent et debent, sicque in hoc sibi commisso negotio suae prudentiae et zelum iustitiae exerceant, quod inde nullus rumor indebite oriatur, utentes plenaria Ordinis potestate.

52. Singularem militiam gerere solet regularis curia adversus vitia summo Deo nostro summe displicentia; cum igitur praesens generale Capitulum informatum fuerit, quod abbas Kingeswode, spretis Ordinis salutaribus institutis, suum ad studendum iura canonica destinaverit studentem, contributionesque Ordinis solvere pertinaciter renuat, se poenis ultro et sententiis in *Benedictina* et aliis eiusdem Ordinis statutis contentis immergendo, in quo Domino Deo nostro, qui obedientiam praefert victimis, displicuisse dignoscitur, committendo mandat et praecipit, in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae poena, abbatibus de Stratford et de Woburnia, et eorum cuilibet, quatinus per omnes Ordinis censuras compellant dictum abbatem de Kingeswode ad solvendum contributiones, tam de praeterito quam de futuro, ipsumque suum scolarem ad alias convertat salutares scientias, nec ulterius in iure eum studere permittat, nisi prius habita per Capitulum licentia, alias contra dictum abbatem et suum scolarem realiter et indissimulanter procedant, in plenaria Ordinis potestate.

53. Maxima et cum gravi cordis amaritudine suscipiens Capitulum generale horrificam ac violentam quorumdam abbatum Germaniae ad dictum Capitulum generale venientium, iamiam-

que in monasterio Morimundi existentium, manu crudeli contra sanctae Ecclesiae et monasteriorum Ordinis privilegia, immunitatem et libertates per capitaneum de Coffey, et alios complices armatos, captivationem saevamque eorum usque ad dictum castrum de Coffey deductionem, diuturnam detentionem, talemque calamitosam vexationem, ut usque ad trecentum viginti florenos renenses, cum sex de melioribus equis comitatus eorum et multis aliis bonis se redimere coacti sunt, in non modicam Ordinis et omnium eiusdem suppositorum confusionem, damnum simul et contumeliam, committendo praecipit abbati Morimundi, quatinus expensis generalibus Ordinis recuperationem dictorum bonorum, necnon reparationem tantae contumeliae apud omnes et singulos, ad quos spectat viriliter, exacte, diligenter et absque dissimulatione, per se et alias quascumque Ordinis personas tam abbates, quam non abbates, quasi doneas iudicaverit, quibus nihilominus imperare poterit sub censuris Ordinis, prosequatur, nihil de necessariis omittendo.

54. Volens generale Capitulum vires applicare possibiles ad sedandum iurgia quaecumque in Ordine suborta, auditis per scripta rationibus domini Morimundi super rebellionibus, inobedientiis, opprobriis et violentiis ac periculosis detentionibus sibi per abbatem de Ridagshusen, suisque complicibus, cum ipsum monasterium, sicut Capituli generalis commissarius, novissime visitaret, factis et multipliciter illatis, aliundeque visis pro parte eiusdem abbatis de Ridagshusen multis adductis, partes autem ipsas, nec earum procuratores multis obstantibus evidentissimis viarum discriminibus non habens, ut unicuique quod iustum est tribuatur, committendo abbatibus de Veteri cella et de Lehnin mandat et praecipit, in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae poena, quatinus quamprimum licite et commode fieri poterit, personaliter ad dictum monasterium de Ridagshusen se transferentes, clare et recte et debite super omnibus et singulis praemissis et ea concernentibus aut ab eis dependentibus, omnibus sinistris affectionibus semotis, in quo eorum conscientias coram summo Deo oneramus, se a non suspectis in eadem materia informent, et materias ipsas melioribus modo et forma prout invenerint, pacificent, ordinent, finiant et terminent, cuilibet parti super hoc, quod iustum est fuerit, ordinando, eisque perpetuum silentium imponendo, nisi forte talis et tanta emergat difficultas, quod

ad dictum Capitulum necesse iudicaverint recurrendum ; interea autem fratres eiusdem monasterii ab omni sententia excommunicationis, suspensionis aut interdicti, si occasione praemissorum innodati fuerint, eos praesens generale Capitulum absolvit, ab eisque commissariis absolvi et absolutos mandat per eosdem declarari, in omnibus et singulis praemissorum plenaria fungentes potestate.

55. Zelo iustitiae succensum praesens generale Capitulum cupiens omnia quae rationis sunt et iustitiae, ac per eum diffinita, suum debitum sortiri effectum, diffinitiones quasdam anno novissime elapso in eodem Capitulo editas, confectas et passatas pro omni earum parte confirmat, ratificat et approbat, ac in suo robore et vigore ordinat et statuit permanere, quarum quidem commissionum tenor sequitur et est talis (quaere in praecedenti anno...) [*n*o 19]. Et quia eisdem sententiis et diffinitionibus minime obediunt, quinimo multipliciter eisdem quae soror dicta Beatrix Cerdan cum sororibus Guillelma de Guerrea, Eleonora Azuor, Ysabella de Alcolea, Ioanna Marcuello, Ysabella de Mollano, Ioanna Lescossa, eiusdem monasterii professis monialibus ipsi sorori Beatrici Cerdan adhaerentibus, omnia et singula ad executionem harum per abbatem de Bonifacio tam processu quam in sententiis excommunicationis, aggravationis, reaggravationis, quam in depositione habitus regularis confirmando, ratificando et approbando eamdem Beatricem et sorores moniales nominatas, excommunicationis, aggravationis, reaggravationis ad depositionis habitus regularis sententias incurrisse, idem Capitulum generale declarat, diffinit et pronuntiat, expresse et sub excommunicationis latae sententiae poena praecipiendo committit omnibus et singulis abbatibus in regno serenissimi domini regis Arragonum constitutis, super hoc debite requirendis, quatinus dictas Beatricem Cerdan et moniales nominatas, ac earumquaslibet in locis suis et aliis Ordinis subiectis, excommunicatas, aggravatas, et reaggravatas, palam et publice denuntient et declarent, easque et earum quamlibet, si et quamdiu in sua duritia perstiterint, corporaliter apprehendentes, carceribus securis mancipent et detineant, donec per dictum Capitulum aut dominum Cistercii super hoc aliter fuerit dispositum ; omnibus personis regularibus eidem Ordini subiectis sub eisdem poenis expresse mandando, quatinus omnia et singula bona eidem monasterio de Casuis pertinentia praefatae dominae Catharinae abbatissae

restituendo, dictam Beatricem et nominatas moniales sibi adhaerentes tamquam excommunicatas vitent et fugiant, ac eas ubilibet se invenerint, tales esse denuntient et promulgent. Ut autem iuxta prophetam maiori vexatione intellectum accipiant, omnes reverendissimos patres dominos episcopos, eorum vicarios, dominos abbates, archidiaconos, priores, curatos, plebanos et singulos quosque ecclesiastica iurisdictione gaudentes, in eodem regno constitutos rogamus et in subsidium iuris requirimus, quatinus quoties requisiti fuerint, easdem Beatricem et sibi adhaerentes moniales voce publica et per affixionem cedularum ad valvas tam ecclesiarum quam civitatum et oppidorum, excommunicatas, aggravatas et reaggravatas, quamdiu in sua obstinatione permanserint, palam et publice denuntient, publicent et declarent, ad omnia insuper et singula praemissa in subsidium iuris imploramus favorem et auxilium omnium et singulorum dominorum officiariorum, ac iustitiariorum necnon omnium et singulorum loca tenentium eorumdem in et per totum regnum et dominationes praefati illustrissimi domini regis, et singulorum dominorum in eodem regno existentium, quatinus dictam Beatricem, et quamlibet dictarum sororum sibi adhaerentium, sive per apprehensionem et detentionem corporalem, sive alias quomodolibet, ad unitatem et obedientiam, iuxta vota ab eisdem coram summo Deo solemniter emissa, reducant et revocent, eas nihilominus Ordini semper quoties per commissarios Ordinis requisiti fuerint restituendo. Datum... etc.

1472

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo secundo, statuta sunt haec apud Cistercium, quartadecima die mensis septembris, in eiusdem Cisterciensis Ordinis Capitulo generali.

ORATIONES

1. Pro [b] sanctissimo ac beatissimo ... *etc. ut anno* 1471.

1472. *Fontes* : L^4 : 1-57 ; *M* : 30 ; P^2 : 1, 30, 33.

[a] *Titulus apud* L^4. [b] Sub Sixto IV pontifice ; Philippo card. episc. Albanen., *etc. ut in anno praeced.* : P^2.

2. Praeterea pro serenissimo et invictissimo domino nostro Friderico ... *etc. ut anno* 1470.

3. Insuper pro burgensibus ... *etc. ut in anno* 1449.

4. Ceterum pro pace ... *etc. ut in anno* 1449.

5. Demum pro felicis ... *etc. ut in anno* 1470.

[DIFFINITIO] GENERALIS.

6. Cum Ordo noster ... contributionem novem millium florenorum... *etc. ut in anno* 1449.

NB. Hic per lacerationem folii aliquae lineae deesse videntur.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

7. Electionem, promotionem et installationem de persona fratris Ioannis de Salinis in abbatem monasterii de Bithania, per abbates de Theoloco, s. th. pr., et de Clarofonte, commissarios domini Morimundi, dicti monasterii de Bithania patris abbatis immediati, rite et canonice celebratam, prout in decreto... *etc*... ratificat.

8. Ad idem, pro fratre Ioanne, abbate de Fonte regis, per abbatem de Salem, patrem abbatem immediatum eiusdem monasterii.

9. Ad idem, pro fratre Nicolao de Bassuncuria, in s. pag. bacc. form., per abbatem Claraevaliis, s. th. pr., domini Cistercii commissarium, ad dignitatem abbatialem Morimundi.

10. Ad idem, pro fratre Ioanne Geomerszheim ad dignitatem abbatialem monasterii de Eberbaco, per abbates de Schonaugia, Otterburg et Castro aquilae, commissarios domini Claraevallis, s. th. pr., patris abbatis immediati eiusdem monasterii.

11. Ad idem, pro fratre Christiano ad dignitatem abbatiaem monasterii de Runa, per abbatem monasterii Ebracensis, patrem abbatem immediatum eiusdem monasterii.

12. Ad idem, pro fratre Ioanne ad dignitatem abbatialem monasterii de Cella angelorum, per abbatem monasterii Hylariensis, patrem abbatem immediatum eiusdem monasterii.

REHABILITATIONES

13. Ad humilem instantiam domini abbatis de Firmitate praesens generale Capitulum dispensat benigne cum fratre Stephano..., monacho suo, ut non obstante apostasia per eum

perpetrata, habitu regulari temere reiecto, super quo regulariter poenituit, ad omnes ordinis gradus legitimos, abbatiali seclusa dignitate, promoveri valeat et admitti.

14. Ad idem, pro fratre Conrado, monasterii in Speciosa valle expresse professo, de apostasia, ad instantiam sui abbatis, seclusa dignitate abbatiali.

15. Ad idem, pro fratre Ioanne de Herrenberge, ad instantiam abbatis de Mulbruna, seclusa dignitate abbatiali.

* * *

16. Cum ex antiquo Ordinis decreto dispositio collegii Sancti Nicolai in Viennensi studio ad abbatem Sanctae Crucis, tamquam ad ordinarium ipsius visitatorem, pertineat, praesenti diffinitione statuit praesens generale Capitulum inviolabiliter, ut de cetero provisor eiusdem collegii nequaquam possit aut debeat scolares ad dictum collegium missos pro libitu suo ad propria remittere, neque abbates, ut eos revocent latenter incitare, sed si aliqui forsitan insufficientes, indigni et minus habiles fuerint reperti, aut aliunde propter certa sua vitia remittendi, cum consilio et voluntate eiusdem domini de Sancta Cruce, et non alias fiat, seniorum etiam de collegio deliberatione et consilio minime contempta ; quia etiam domus quaedam iuxta idem collegium idcirco ipsi collegio sit incorporata, ut ea pecunia quae ex locatione eius provenerit, collegiique praedicti aedificia reparentur, statuit idem Capitulum, ut eadem pecunia non ad usus provisoris aut alterius cuiusquam cedat commodum, sed in praedicti collegii structuram et reparationem integre convertatur.

17. Quamquam monasterium Eberbacense hodiernis temporibus, ut pie creditur, in sacrae religionis observantia satis floreat, quia tamen pluralitas portarum in ipsum monasterium ingressum et ab eo egressum undequaque patentium malignare volentibus faciliter praebere posset opportunitatem, praesens generale Capitulum huiusmodi malignandi occasionem et opportunitatem amputare cupiens, districte praecipit et mandat abbati et conventui eiusdem monasterii, in virtute salutaris obedientiae, et sub excommunicationis latae sententiae poena, quatinus infra festum Nativitatis proxime futurum, omnes monasterii portas lapidibus claudant et obstruant, una sola, per quam publicus ingressus in monasterium pateat, dumtaxat derelicta.

18. Non sine displicentia ad generalis Capituli deductum est notitiam, abbatissae et monialium monasterii in Zymern perniciosissima rebellio, quae propriae salutis et votorum per eas emissorum penitus oblitae, abbati Caesariensi, earum visitatori patri immediato, et quod maius est reverendissimo in Christo patri domino Cistercii, ac suis commissariis earumdem reformationem facere et perficere intendentibus, per potentiae saecularis invocationem, et commissionis praefati domini Cistercii dilacerationem, ac multorum opprobriorum et convictiorum obiectionem, resistere non sunt veritae et contraire, quae omnia absque condigna animadversione ac punitione praeterire non intendens idem Capitulum, sicut nec debet, domino abbati Fontis regis monasterii praesentium serie committit, districte eidem in salutaris obedientiae virtute praecipiendo, quatinus quamprimum commode poterit, ad ipsum monasterium de Zymern se personaliter transferat, ac de et super praemissis omnibus se diligenter informet, et informatione facta, culpabiles in huiusmodi sive per depositionem a suis dignitatibus et officiis, sive aliunde poena debita iuxta quantitatem criminis taliter puniat ut cedat ceteris in exemplum, et nihilominus in eodem monasterio auctoritate totius Ordinis visitet, reformet, corrigat, instituat et destituat, in capitibus et in membris, in spiritualibus et temporalibus, quae iuxta sacri Ordinis nostri instituta invenerit visitanda, reformanda, corrigenda, instituenda et destituenda, assumptoque secum, si opus fuerit, abbate de Caesarea, dicti monasterii patre abbate immediato, aut alio abbate quem voluerit, ad clausuram ipsius monasterii, iuxta Ordinis statuta, et prout in Ordine antiquitus consuetum extitit, intrepide procedat in plenaria Ordinis potestate, rebelles per censuras Ordinis, aut eiectionem perpetuam ab ipso monasterio ad huiusmodi reclusionem et observantiam regularem districtissime compellendo, invocato ad praemissa, si opus fuerit, etiam auxilio brachii saecularis.

19. Ad aures generalis Capituli non sine magna displicentia deductum extitit, quod frater Ioannes dudum abbas monasterii in Alba dominorum, post resignationem dicti monasterii et regularis professionis in manu moderni abbatis emissionem, contra vota sua ac sanctam regulam quam professus est, bona quaedam mobilia, etiam minime sibi necessaria, absque abbatis proprii scitu et voluntate possidet, atque de ipsis bonis inventa-

rium dare abbati licet requisitus recusat, quodque contra *Benedictinam* carnes in habitatione sua comedat, et saecularibus et aliis personis diversi status, quas pro libitu suo praeter sui abbatis beneplacitum convocat, administrat, etiam diebus his, quibus fratres in conventu ab esu carnium abstinere consueverunt, denique quod abbatis sui licentia minime requisita extra monasterium suum, quoties sibi bonum videtur, ad principes et alias personas saeculares, etiam in locis remotioribus constitutas accedat, ac contra sanctam regulam litteras scribat ac recipiat, easdem abbati suo minime ostendendo, et quamvis abbatiali dignitati resignaverit, et ab eadem sit absolutus, ornamenta tamen ecclesiastica et vestes sacras tamquam abbas consecret et benedicat, aliquae multa exorbitantia contra sanctam regulam quam professus est, statuta papalia et Ordinis, ac diffinitiones Capituli generalis faciat, perpetret et agat, de quibus tam religiosi dicti monasterii, quam laici vicini scandalum non modicum, et ipse suae salutis detrimentum maximum. Quibus omnibus finem imponere cupiens, praesens generale Capitulum abbatibus de Bebenhusen et Uterina valle per praesentes committit, in virtute salutaris obedientiae, ipsis nihilominus districte praecipiendo, quatinus ad praedictum monasterium de Alba dominorum personaliter accedant, ibidem super huiusmodi excessibus senioris abbatis se plenius informando, quem si in huiusmodi abusibus laborare repererint, inventarium de omnibus bonis quae habet faciendo, ac superflua et sibi minime necessaria auferendo et abbati tradendo, et si, quod absit, eorum inductioni et monitioni obtemperare minime voluerit, per poenas eidem iuxta excessuum qualitatem et personae suae considerationem infligendas, ab huiusmodi excessibus vel abusibus viriliter cohortentur et resilire compellant, in plenaria Ordinis potestate.

20. Excessibus enormibus ac maximis quorumdam monachorum vel vitio suo, vel abbatum indiscretione, a propriis monasteriis emissorum, ac vago discursu per saeculum discurrentium, in grande totius Ordinis dedecus ac praedictorum religiosorum salutis detrimentum, et totius populi christiani scandalum non modicum obviare cupiens, praesens generale Capitulum omnibus et singulis abbatibus, prioribus ac monasteriorum sive locorum regularium totius nostri Ordinis rectoribus, in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis poena, hac deliberatis-

sima diffinitione prohibet, ne de cetero aliquos monachos, conversos, ac regulares personas locorum suorum, nisi pro casibus in statutis et diffinitionibus antiquis contentis emittant, sed excedentes et criminosos pro vitiis suis in propriis monasteriis et locis suis puniant et castigent, nisi forte talis fuerit excessus, qui in loco proprio propter aliorum scandalum puniri non possit. Quod si pro casibus, in statutis Ordinis contentis forsitan aliquis emittendus fuerit vel iam emissus, praecipit districtissime sub eisdem poenis idem Capitulum abbati vel priori sic emittenti et emittendis, vel his per saeculum iam emissi absque pastoris solatio evagantur, de expensis sufficientibus in victu et vestitu, ac etiam de monasterio aut loco Ordinis regulato, ubi exilium suum peragat, sibi provideat, alioquin ad propria eum recipere sit coactus. Executionem huius diffinitionis ubi opus fuerit, si ipsi sic emissi requisierint patribus abbatibus, visitatoribus Ordinis et eorum commissariis per singulas provincias committendo.

21. Abbati de Veteri cella, in virtute salutaris obedientiae mandando, committit praesens generale Capitulum ut omnes et singulos abbates monasteriorum in terminis suae commissionis existentes per censuras in *Benedictina* contentas viriliter et intrepide compellat ad solvendum suas contributiones Ordini debitas cum arreragiis et restis earumdem, si quas de praeteritis debere fuerint reperti, rebellesque et solvere renuentes huiusmodi, sententias et censuras post debitam monitionem incurrisse denuntiet et ubique declaret, per easdem etiam poenas compellat abbates praemissos ad suos scolares ad generale studium Lipziense, vel aliud cum sufficientibus expensis, prout per eos concordatum fuit, ac in *Benedictina* plenius cavetur mittendum in plenaria Ordinis potestata.

22. Capitulum generale in virtute salutaris obedientiae praecipit abbati de Lutzella, quatinus ad monasterium de Pomario ac ad alia eius loca personaliter accedat, ibidemque ex parte reverendissimi patris domini Cistercii et totius Ordinis, super vina et alia bona manum ponat, atque ad solvendum Ordini summam centum et quindecim florenorum renensium, quam abbas eiusdem monasterii de Pomerio de contributionibus Ordinis iam dudum per eum collectis adhuc ipsi Ordini tenetur, per omnes vias et modos iustitiae possibiles compellat, et assumpto secum, si opus fuerit, abbate de Novocastro, eiusdem monasterii de

Pomario patre abbate immediato, ad computa de receptis et et expensis in suo monasterio a tempore sui regiminis factis, ipsum per censurae Ordinis cogat et astringat ad satisfaciendum eidem domino de Novocastro, de summa dudum per eum praestita, ipsum similiter compellendo, in plenaria Ordinis potestate.

23. Rumore quorumdam Capitulum generale verisimiliter informatum super quodam duorum fratrum monasterii de Porta expresse professorum scandaloso actu, quorum alter sacerdos N. et alter conversus N. vocatur, qui proximi sui, suaeque propriae salutis immemores domum quamdam in civitate de Erefordia de pertinentiis dicti monasterii de Porta existentem sese volentes de eorum abbate, qui eos a suo monasterio demeritis suis exigentibus eiecerat, nequiter vindicare, incenderant, cuius domus invalescente incendio duas ecclesias collegiatas cum earum claustris et domibus exurens, etiam maximam partem dictae civitatis consumpsit, quo dictum Capitulum vehementer et ultra quam credi potest, stupefactum et dolens, et damnificatis civibus cui grandi lacrimarum effusione condolens et merito compatiens, abbatibus de Fonte salutis et de Valle Sancti Georgii committendo mandat et praecipit, quatinus dictis fratribus secundum quod dictum est, incendiariis criminosissimis a manu laica cum diligentia, si possibile est, recuperatis si tales, ut praefertur, reperti fuerint, eosdem incendiarios perpetuis carceribus cum pane doloris et aqua tristitiae condemnando, et in eos sententiam diffinitivam ferendo deputent et applicent, et districtissime in compedibus et manicis ferreis in loco carceris firmissimo et tutissimo vinculent, detineant et conservent, et cum grandi diligentia et cautela expensis dicti monasterii faciant detineri, et perpetuo conservari, compellendo abbatem de Porta sub poenis et censuris Ordinis ad satisfaciendum dictis commissariis de expensis per eos in dicti negotii prosecutione rationabili factis, visitentque et reforment in dicto monasterio de Porta, in spiritualibus et temporalibus, in capite et in membris, quae visitanda et reformanda invenerint, dictos religiosum et conversum iniuste forsitan eiiciendo, aut aliunde in aliis quibuscumque delinquentem, ipsum puniant, etiam per depositionem, si opus fuerit, aut alias poenas debitas, in plenaria Ordinis potestate.

24. Capitulum generale committit, mandat et praecipit abbati de Runa, quatinus praesentibus receptis, se ad monasterium de Campo liliorum, quamcitius commode poterit, se transferat,

et se super promotione abbatis ipsius monasterii de Campo liliorum ad plenum se informet, et si invenerit quod in dicta promotione secundum diffinitiones Capituli generalis et Ordinis statuta fuerit legitime processum, et persona promota sit, ut decet, et ut status praelationis et Ordinis sanctitas requirit in scientia et moribus sufficiens et idonea, ipsam promotionem approbet, ratificet et confirmet ; quod si aliter et in contrarium contigerit, et quod promotio praedicta fuerit illegitima, eamdem casset, annihilet et annullet, et etiam in hac parte peragat et efficiat, quae necessaria in nova promotione peragi et effici videbuntur, in plenaria Ordinis potestate, et ut sanctius in hac re procedere praefatus abbas animetur, conscientiam ipsius abbatis Capitulum generale onerat omnimode.

25. Generale Capitulum cum displicentia percipiens temeritatem cuiusdam fratris... qui de illegitimo thoro procreatus monasterium de Sichem intravit, sua illegitimatione tacita, professionem regularem ibidem emittendo, ac deinde ad ordines sacros subdiaconatus videlicet et diaconatus se ordinari permittendo, contra iura et privilegia Ordinis nostri et totius ecclesiasticae libertatis praeiudicium, praedictum fratrem ad annum integrum a suorum ordinum administratione suspendit, necnon per eumdem terminum singulis sextis feriis ad panis et aquae poenitentiam et regularis disciplinae perceptionem ipsum condemnavit, abbati tamen proprio, si sibi dignum videtur praedictam poenitentiam post mensem moderandi, aut omnino auferendi facultate reservata.

26. Capitulum generale mandat de Theoloco, s. th. pr., et de Charitate monasteriorum abbatibus, quatinus ad monasterium Cariloci accedentes, super tractatu inter abbatem et conventum de Caroloco ex una, et nobiles viros Guidonem, Ioannem, Henricum et Hugonem de Sancto Martino fratres partibus ex altera, se diligenter et debite informent, quem tractatum si invenerint esse ad utilitatem dicti monasterii de Caroloco passatum et concordatum, illum auctoritate praedicti Capituli confirment, ratificent et approbent, in plenaria Ordinis potestate.

27. Sicut nec impune transire debent peccata delinquentium, dum de delictis perpetratis rite constiterit, ita et innocenter accusati a poena eis iniuste inflicta superiorum auctoritate sunt relevandi ; ad generalis igitur Capituli audientiam rumore deducto de quodam fratre... monacho ac sacerdote monasterii

de Sichem expresse professo, qui cum capellanus existeret in monasterio monialium de ... unam monialem impregnaverit, atque ipsi moniali, ut partum suum strangularet consilium dederit, prout ipsa monialis aliquando publice est confessa, Capitulum generale mandat domino abbati monasterii praedicti de Sichem, quatinus assumpto secum alio abbate vicino, super praedictis omnibus se diligenter ac debite informet, et si praedictum religiosum dicti facinoris per legitima testimonia reum esse repererit, eum iuxta statuta Ordinis in diffinitionibus contenta poena debita puniat ; sin autem, ipsum ab huiusmodi infamia et criminis impositione relevet, in plenaria Ordinis potestate.

28. Mite agere volens praesens generale Capitulum cum fratre ... monasterii Vallis Dei expresse professo, qui propter quamdam suspicionem vehementem de crimine furti ab abbate ipsius monasterii carceribus est mancipatus, permittit ut, si ipse abbas informatione sufficienti praehabita, praedictum fratrem forsitan reum dicti criminis, sed pœnitentem et emendationem spondentem invenerit, eum auctoritate Ordinis a carceribus ac aliis pœnis debitis necnon a sententiis, quas ratione huiusmodi criminis incurrerit, absolvat, si vero ipsum rebellem et obstinatum viderit, eum iuxta statuta Ordinis puniat, prout in diffinitionibus reperitur expressum.

29. Audita petitione inclitissimi principis domini Ludovici ducis Bavariae, Ordinis praecipui zelatoris, abbati de Fonte salutis, s. th. pr., committendo praecipit et mandat, quatinus in Ordinis plenaria potestate omnes abbates monasteria monialium sub se habentes reformata inducat et compellat, et ad transferendas aliquas moniales bene institutas ad monasterium Felicis vallis, ut dudum in ea facta reformatio manuteneri valeat, et semper in melius augmentari, domino de Campo principum dictum monasterium Felicis vallis per quinquennium visitandi, reformandi et corrigendi, ac confessores et capellanos ibidem ponendi, absque patris abbatis praeiudicio auctoritatem plenarie concedendo.

30. Capitulum generale auditis abusibus quorumdam priorum in quibusdam monasteriis commendatis, aut alibi praesidentium [c], contra iura et Ordinis privilegia, antiquasque et novas

---

[c] residentium : *MP*².

diffinitiones et statuta, benedictiones monachales personis utriusque sexus conferre, monasteriaque dictis monasteriis commendatis subiecta [d] visitare, novitios vel novitias recipere, necnon et alterius Ordinis personas ad professionem admittere, eaque exercere quae solis praelatis competunt, praesumentium ; eosdem priores et qui talia praesumpserint, et in posterum praesument, excommunicationis sententia fore innodatos per praesentes de facto denuntiat et declarat; eosdemque priores, aliosque, ut dictum est, similia [e] praesumentes, et eos vel eas, quos vel quas ad novitiatum, monachatum aut professionem receperint, aut benedictionem monachalem [f] ab alio, quam a praelato ad hoc specialiter iuridice deputato subierint, vel ab alio Ordine absque Summi Pontificis speciali licentia Ordinem intraverint, ad omnes Ordinis actus, gradus, dignitates et officia legitima inhabilitatos et inhabilitatas publicat et declarat, vultque et praecipit omnibus, ad quos spectat, in partibus ubi talia contigerint, in Ordine et extra publicari et declarari.

31. Ad notitiam Capituli deductum est quod quidam frater Placidus nomine...

32. Cum pridem monasterio de Altaripa, Lausannensis dioecesis, per mortem abbatis novissimi vacante, monachi ipsius absque patris abbatis auctoritate et scitu, contra statuta Ordinis, ad electionem talem qualem novi abbatis licet nulliter processerint, ipsaque electione per patrem abbatem, dominum de Caroloco irritata et annullata, electum suum licet ipso facto inhabilem, ipsi monachi etiam iure electionis iam actu privati denuo elegerunt, et contra formam Ordinis in abbatem sibi institui et installari per dominum de Altocristo, virtute cuiusdam commissionis a praefato patre abbate emanatae, postulaverint et obtinuerint, quemadmodum Capitulum generale vaga quadam relatione extitit informatum, ipseque electus pro confirmatione sua, ut moris est et iuris in Ordine, ad instans Capitulum venire aut mittere contempsit, ipsum Capitulum generale de scitu et consensu eiusdem patris abbatis de Caroloco committit domino abbati Sancti Bernardi iuxta muros Valentinos, s. th. pr., ac totius Ordinis in romana Curia generali promotori *(sic)*, quatinus assumpto secum, si placeat, eodem abbate

---

[d] subdita : *M.* [e] talia : *M.* [f] monachicam : *MP*².

de Caroloco, patre abbate dicti monasterii, aut alio Ordinis quocumque, ad praedictum monasterium de Altaripa personaliter accedens, super praemissis omnibus ac dicti electi idoneitate et sufficientia, tam in litteratura quam alias, se debite et diligenter informet, et si dictam electionem aut institutionem dicti abbatis rite et canonice iuxta statuta Ordinis factam invenerit, ipsumque electum in omnibus sufficientem et idoneum ac nulla inhabilitatis labe respersum repererit, ipsam electionem vel institutionem auctoritate totius Ordinis approbet, ratificet et confirmet ; si vero praedicto modo vel aliunde in forma electionis vel institutionis praedictae erratum fuisse perpenderit, aut electum de iure propter certos defectus repellendum viderit, ipsam electionem vel institutionem casset, irritet et annullet, ac de persona aliqua Ordinis proba, sufficienti et idonea absque ulteriori prorogatione ipsi monasterio provideat, atque praeficiat in abbatem, in plenaria Ordinis potestate.

33. Assiduis meditationibus et matura gravique patrum deliberatione obviare cupiens praesens generale Capitulum variis ac diversis incommodis, oppressionibus, extorsionibus et inquietudinibus monasteriorum in commendationibus ac aliis violentiis de novo passim emergentibus, maxime in his, ubi patres abbates a monasteriis sibi subiectis, nimium distant, aut aliunde propter guerrarum viarumque discrimina ad ipsa accedere, dum opus est, minime permittuntur, statuendo ac diffiniendo mandat et praecipit, in virtute salutaris obedientiae, omnibus et singulis patribus Ordinis universi et praesertim filiationem nimis distantem habentibus, aut ad quam tutus non patet accessus, quatinus quamcitius fieri poterit, suis filiabus sive monasteriis eis subiectis provideant de vicinis abbatibus commissariis, ad quos praedicti subditi in necessitatibus suis, utpote electionibus, provisionibus ac abbatum institutionibus, ceterisque agendis, quae per patres abbates aut eorum potestatem habentes exerceri de iure debent, accessum habeant, dantes amplas et validas commissiones ad haec ipsa, quoties opportunum fuerit, facienda, cum plenaria eorumdem potestate ; mandat quoque nihilominus idem Capitulum omnibus et singulis abbatibus ac prioribus, conventibusque filiarum patres suos abbates in remotioribus partibus aut in locis et territoriis ab eis inaccessibilibus habentibus, quatinus si forte ipsi patres abbates ad praemissa negligentes extiterint, ipsos ad hoc faciendum sollicitet ac obnixe postulent

et requirant ; si autem hoc ipsum patres abbates [g] sufficienter requisiti facere neglexerint, aut forsitan in territoriis contrariis extiterint, unde nec ipsis ad filias suas, nec personas filiarum ad patres tutus pateat accessus, auctoritate Capituli generalis ac totius Ordinis, quam tenore praesentium confert praesens Capitulum omnibus et singulis filiarum conventibus sic, ut praemittitur, patres nutu suo ad necessitatem habere non potentibus, ut liceat ipsis aliquem vel aliquos vicinum vel vicinos abbatem vel abbates ad suis electionibus praesidendum, aut alios actus patrum abbatum exercendum vocare, eosque in ipsis electionibus et aliis actibus tamquam patres suos abbates proprios habere et admittere, sic tamen, quod non in contemptum patrum abbatum aut eorum praeiudicium, sed sola necessitate cogente et ad obviandum periculis, quae propter nimiam moram et patrum abbatum longam expectationem vel absentiam contingere solent, hoc fiat ; decernitque praesens Capitulum omnes electiones, provisiones et promotiones, ceterosque actus legitimos per abbates modo, quo praemittitur, vocatos, factos et peractos ius et efficaciam habere provide ac si per proprios patres abbates fuissent rite facti et peracti.

34. Capitulum generale, in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae poena, omnibus et singulis abbatissis et monialibus praecipit et mandat, quatinus secundum antiquarum diffinitionum tenorem suis confessoribus de victu et vestitu ac aliis necessariis sufficienter et honeste provideant, patribus abbatibus praesentis executionem diffinitionis committendo.

35. Attentis infirmitatibus permaximis et impotentia corporali abbatis de Mulbruna, consentit praesens generale Capitulum ut suae abbatiae cedere possit eam in manus domini de Novocastro, patris abbatis immediati resignando, committens ipsi de Novocastro, ut ipsam resignationem, si tamen alias sponte cedere voluerit, recipiat, ac de novo abbate in praedicto monasterio, sive per electionem sive alio modo canonico, iuxta statuta Ordinis nostri, provideat, in plenaria Ordinis potestate, eademque auctoritate in eodem monasterio de Mulbruna ipse dominus de Novocastro visitet et reformet, et si quid contra statuta ac

---

[g] *hic desin.* P^2.

diffinitiones Ordinis in ceremoniis et aliis observantiis ibidem invenerit et contra communem usum monasterii Cisterciensis, corrigat et emendet, ac per censuras Ordinis compellendo ad communem Ordinis observantiam et uniformitatem reducat.

36. Cum per generale Capitulum anno elapso in Cistercio celebratum, frater Ludovicus abbas in Aurora, sententiam excommunicationis propter sui contumaciam declaratus fuerit incurrisse, a qua quidem sententia ab ipso generali Capitulo nec a domino Cisterciensi absolutionem obtinuit, nec quaesivit, sed in sua contumacia hucusque pertinaciter permansit, praesens generale Capitulum abbati de Lutzella sub excommunicationis poena districte mandat et praecipit, quatinus ad ipsum monasterium de Aurora, assumpto secum abbate de Maristella vel alio, personaliter accedat, ipsumque abbatem praedictum sic excommunicatum citet coram reverendissimo patre domino Cisterciensi infra spatium duorum mensium personaliter comparituram, visurum ibidem aggravationem et reaggravationem sententiae dudum in eo latae, aliasque poenas iuxta statuta Ordinis debitas in eum promulgari, delaturumque secum cartam visitationis, per praedictum dominum Cisterciensem in suo monasterio derelictam, atque super non observantia eiusdem, quod iustum est, responsurum ; seque de vita et moribus dicti abbatis de Aurora, idem dominus de Lutzella diligenter informet, ac praedicto domino Cisterciensi informationem infra praedictum terminum sub suo sigillo clausam mittat ; praecipit etiam idem Capitulum iam dicto abbati de Lutzella, ut reponat priorem dudum per saepe dictum dominum Cisterciensem ibidem institutum, sed pro nunc ab ipso abbate depositum, quousque praedicto domino Cisterciensi per informationes certas et legitima testimonia appareat, quare ab huiusmodi prioratus officio debeat iure privari. Et quia idem Capitulum intellexit, ipsos monachos ipsius monasterii contra Ordinis disciplinam in ipsum priorem universaliter conspirasse, super huiusmodi conspiratione similiter se informet, ac nocentes et culpabiles puniat poena conspiratorum, in Ordinis diffinitionibus taxata, culpabiliores ipsorum ad remotiora loca suas poenitentias ibidem peracturos usque ad nutum Capituli generalis transmittendo, in plenaria Ordinis potestate.

37. Per generale Capitulum committitur dominis abbatibus de Claratumba et de Paradiso, quatinus sibi praesentari faciant decretum electionis factae per abbatem de Colbas, de reveren-

dissimo in Christo patre domino Nicolao episcopo Callipollensi, monasterii de Oliva dudum monacho et expresse professo, in abbatem eiusdem monasterii de Oliva, eo quod ipsum decretum neque in suo originali, neque sub authentico transsumpto Capitulo generali non fuit, ut moris est in Ordine, [praesentatum]. Et si ipsam electionem, tam in forma quam in materia, iustam et canonicam, omnique vitio carentem, et iuxta nostri Ordinis statuta factam invenerint, ipsam confirment, ratificent et approbent ; sin autem ipsam cassent et annullent, ac de pastore novo eidem monasterio provideant, in plenaria Ordinis potestate.

38. Percepta a generali Capitulo vastitate, desolatione et damnificatione monasterii de Oliva, propter varios guerrarum incursus et ignis incendium, a missione studentis ad studium generale hinc ad quinquennium ipsum gratiose supportat, mandans abbatibus de Claratumba et de Paradiso, ut nomine totius Ordinis postulent et requirant tam apud serenissimum dominum regem Poloniae, quam apud alios potentes ac dominos cuiuscumque dignitatis ac praeeminentiae fuerint, ut dignentur praedicto monasterio de Oliva auxilium et favorem impendere, ut redditus perpetuus centum marcarum debitarum abbati et conventui monasterii de Oliva iam dictis, super castro Gdanezk solvatur eis deinceps omni anno, mandat insuper idem Capitulum iam dictis abbatibus de Claratumba et de Paradiso, quatinus si retroactis temporibus per incuriam abbatum aut oppressionem aliquorum potentum aliquis tractatus fuisset passatus in damnum praedicti monasterii, sive etiam aliqui redditus, possessiones et bona temporalia, mobilia seu immobilia fuissent sine consensu et auctoritate Capituli generalis a monasterio alienata, ipsi praedicti abbates huiusmodi contractus irritent et annullent, virtute privilegiorum Ordinis, etiam si fuerint sigillis abbatis et conventus praedictorum firmati, praedictaque bona alienata repetant ac monasterio praedicto restitui faciant, in plenaria Ordinis potestate.

39. Generale Capitulum certis causis permotum dispensat cum abbate de Oliva, ut possit novitios suos ante completionem anni ad professionem recipere, si tamen sufficientes et in his, quae religionis sunt, competenter edocti fuerint, velintque residuo temporis sponte renuntiare ; concedit etiam idem Capitulum abbati et conventui eiusdem monasterii de Oliva, ut unusquisque ipsorum eligere valeat confessorem Ordinis discretum et ido-

neum, qui eum pro semel absolvere habeat ab omnibus casibus, sententiis et criminibus Capitulo generali specialiter reservatis.

40. Viso quod frater Ioannes Walgemunt, monasterii de Alderspach expresse professus, a crimine homicidii quod in saecularitate sua incurrit contra haereticos sub assumptione crucis pugnando, a legato Sanctissimi Domini nostri Papae fuit absolutus, necnon de post in ingressu religionis ex privilegio Ordinis fuit cum eo super omni irregularitate dispensatum, non reputat praesens generale Capitulum ipsum ad susceptionem sacrorum ordinum propter hoc inhabilem ; verum si forte aliquam inhabilitatem contraxit, ad maiorem cautelam ipsum per praesentes auctoritate qua potest habilitat, et super irregularitate huiusmodi secum gratiose dispensat.

41. Volens hoc Capitulum generale personas Ordinis a peccatis expiatas Domino Deo mundum et immaculatum reddere famulatum, gratiose concedit abbati ac personis regularibus monasterii in Alderspach universis, ut unaquaeque earum possit eligere confessorem Ordinis discretum et idoneum, qui eam pro semel absolvere valeat ab omnibus casibus et sententiis Capitulo generali specialiter reservatis.

42. Ad idem, pro monasterio de Veterivalle et Novacella, monasterio monialium in Morgenstein, in Sisersdorf, ac etiam pro studentibus collegii Lipziensis.

43. Ad idem, pro monasterio in Hemmenrode et monialibus sibi subiectis et commissis.

44. Ad idem, pro monasterio de Heysterbach et Loco Sanctae Mariae.

45. Idem pro monasterio de Eberbacho, et monasteriis utriusque sexus sibi subiectis et commissis, et collegio Sancti Iacobi Heidelbergae.

46. Capitulum generale cupiens ut viri litterari in Ordine multiplicentur, et scolares ad studia generalia cum sufficientibus provisionibus, iuxta tenorem *Benedictinae*, et alia statuta Ordinis, secundum facultates monasteriorum mittantur, approbat, ratificat et districte observari praecipit tractatum factum inter abbates provinciarum Saxoniae, Thuringiae, Misniae et aliarum vicinarum in oppido Lipez *(sic)*, ut videlicet unusquisque patrum qui non potest dare bursam integram pro scolari suo, det secundum summam per eos taxatam, quemadmodum in quibusdam litteris super hoc per eos confectis, specialius continetur ; exe-

cutionem huiusmodi diffinitionis domino abbatis Veteris cellae committendo, in plenaria Ordinis potestate.

47. Ad obviandum rebellioni aliquorum praelatorum Ordinis, qui non verentur suorum superiorum, et ipsius Ordinis ordinationibus contraire, Capitulum generale patribus abbatibus et commissariis quibuscumque mandat et praecipit, ne aliquem electum confirment in abbatem, nisi prius et ante omnia ab ei recepto iuramento, quod in posterum Capitulo generali, statutis et diffinitionibus eiusdem et suorum patrum abbatum institutionibus et cartis visitationis fideliter per omnia obediet.

48. Quia ad notitiam Capituli generalis deductum est, quod moniales de Loco et de Bellaripa, Gebennensis dioecesis, contra diffinitiones hactenus decretatas ferre renuunt scapularia nigra, aliosque habitus Ordinis regulares, ipsum Capitulum abbati de Sancto Sulpitio districte praecipit et mandat quatinus easdem moniales et quascumque alias a simplicitate habitus et regularitate eiusdem deviantes ad solitum Ordinis praedicti habitum, per censuras Ordinis, in Ordinis plenaria potestate, infra festum Omnium Sanctorum reducat, rebellesque taliter puniat, quod de eis a cetero similes rumores minime audiantur.

49. Capitulum generale graviter ferens rebellionem quorumdam abbatum ducatus et provinciae Sabaudiae, suas annuas contributiones secundum papalia statuta eisdem impositas solvere renuentium, districte praecipit abbati de Sancto Sulpitio, quatinus moneat omnes et singulos abbates dicti ducatus Sabaudiae, qui suas adhuc debent contributiones, ut infra festum Natalis Christi proxime futurum suas contributiones ad integrum solvant, una cum arreragiis earumdem, alioquin ex nunc prout ex tunc sententiam excommunicationis et alias poenas in *Benedictina* contentas, eos publice denuntiet incurrisse, aliisque modis possibilibus et iuridicis contra eos procedat, atque ad huiusmodi solutionem ipsos viriliter compellat, in plenaria Ordinis potestate.

50. Praecipitur abbati Veterismontis sub poena excommunicationis, quatinus infra festum Natalis Christi proxime futurum, pecunias recuperatas de spoliis abbatum alio anno in Morimundo depraedatorum apud se reservatas, ipsis abbatibus quibus pertinent mittat et restituat, sicque faciat ut de diligentia Ordinis in hoc negotio principibus ac dominis terrae illorum abbatum

liquide constet, ipsique abbates de suis damnis restitutionem capiant, per Ordinem impetratam.

51. Desolationi ac ruinae extremae monasterii Fontis regis Capitulum generale intimo compatiens affectu, atque eamdem pro viribus relevare cupiens, de thesauro totius Ordinis concedit confraternitatem ac bonorum spiritualium, quae in toto Ordine fiunt et fient de cetero, plenariam participationem, in perpetuum omnibus et singulis utriusque sexus personis, quae octo diebus infra immediate subsequens triennium, vel manu propria laborando, vel pecuniis datis operarios conducendo, reaedificationem et restaurationem ecclesiae dicti monasterii, ac aliorum aedificiorum fieri procuraverint, vel si hoc non potuerint saltem aliunde pro facultatibus suis ad ipsius monasterii relevationem manus porrexerint adiutrices, abbati districte inhibendo, ne pecunias ob huiusmodi gratiam a Christi fidelibus recipiendas ad aliud quam ad aedificationem ipsius monasterii applicet, de quo in tertio anno videlicet in fine huius gratiae, Capitulo generali fidem integram facere teneatur.

52. Attentis desolationibus et damnificationibus permaximis monasterii de Fonte regis, praesens Capitulum generale contributiones Ordini per ipsum debitas vel debendas, per continuum subsequens triennium abbati ac monasterio praedictis gratiose remittit.

53. Cum dominus abbas Veteris cellae pridem defunctus, ad instantiam certorum patrum Ordinis provinciae Saxoniae, Thuringiae et Misniae ceterarumque partium vicinarum, pro honore et augmento Ordinis ac scolarium consolatione, domum solemnem in studio Lipiziensi pro collegio Ordinis ibidem tenendo expensis propriis sui monasterii construxit, ipsique patres unanimiter congregati refusionem expensarum huiusmodi sibi facere spoponderint, quamvis pro nunc multi eorum multa frivola allegantes, huiusmodi refusionem facere penitus recusent, praecipit praesens generale Capitulum omnibus et singulis dictarum provinciarum abbatibus, illisque qui suos studentes illic mittere consueverunt ac tenentur sub excommunicationis latae sententiae poena, quatinus infra festum Nativitatis Christi proxime celebrandum simul conveniant, ac super refusione huiusmodi expensarum inter se concordent, necnon prout inter ipsos concordatum fuerit, unusquisque ipsorum taxam sibi impositam absque dilatione solvat ; commissionis huius executionem abbati

de Gronhain assumpto secum alio, quem voluerit, committendo, in plenaria Ordinis potestate.

54. Quia paucis elapsis annis certa fuit diffinitio a generali Capitulo emanata de subsidio monialibus imposito, ac per reverendissimum patrem dominum Cisterciensem in singulas filiationes distribuendo, quam quidem diffinitionem exsequi volens idem reverendissimus pater dominus Cistercii monialibus de filiationibus Eberbacensi, Heysterbacensi, Campensi et de Heymerode certas pecuniarum summas pro subsidio imposuit, abbatibus iam dictorum monasteriorum eius taxationem et exactionem committendo, de quorum tamen abbatum in huiusmodi diligentia Capitulum generale, nec ipse dominus Cistercii nullum adhuc sensit experimentum ; eapropter praecipit idem generale Capitulum praedictis abbatibus, scilicet de Eberbaco, Heysterbaco, Campo et Heymerode, in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis poena, quatinus commissiones sibi factas per saepe dictum dominum Cistercii de exactione eiusdem subsidii a monialibus sibi subditis ac etiam sibi commissis, iuxta tenorem eiusdem commissionis indilate exsequi studeant, pecuniarum summas monialibus suis impositas, a monialibus praedictis exigendo et levando, atque infra terminum Natalis Domini proxime futurum eidem domino Cistercii absque defectu mittendo, insinuans ipsis, quod nisi ita fecerint, ipse dominus Cistercii contra eos tamquam Ordini inobedientes procedere habebit, condignis poenis et sententiis ipsos plectendo, cui domino Cistercii hoc ipsum praesens generale Capitulum committit, in plenaria Ordinis potestate.

55. Quia ad Capituli generalis notitiam deductum est, dudum in electione novi abbatis monasterii de Campo liliorum certas intervenisse difficultates, propter quas praedicta electio minus canonice facta a nonnullis reputatur, ideo idem Capitulum committit abbati de Runa, quatinus assumpto secum alio abbate de huiusmodi electionis forma et aliis circumstantiis se plenius informet, et si eam canonice factam invenerit, ac nullum defectum non tolerabilem iuxta statuta Ordinis intervenisse repererit, ipsam electionem confirmet et approbet ; sin autem casset, irritet et annullet, atque monasterio de pastore novo, probo et sufficienti et idoneo provideat, in plenaria Ordinis potestate.

56. Ad idem, de electione novi abbatis in Lanckheim, propter certas promissiones et alios defectus suspectos, cuius confirma-

tio vel infirmatio committitur domino abbati de Fonte salutis, s. th. pr., adiuncto secum altero abbate quem voluerit, in plenaria Ordinis potestate.

57. Gravaminibus, damnis et iniustis extrusionibus fratris Ioannis Thomé, monasterii de Stamedio expresse professi ac confessoris monialium monasterii Ayarum, Gratianopolitanae dioecesis, qui in eodem monasterio monialium auctoritate Ordinis pro confessore dudum institutus ab ipso monasterio iniuste expulsus est, et bonis per eum suis maximis laboribus acquisitis privatus, generale Capitulum compatiens, ac obviare cupiens districtissime praecipit sub poena excommunicationis latae sententiae, ac aliis censuris Ordinis abbatissae eiusdem monasterii Ayarum ac monialibus ibidem conventum facientibus universis, quatinus dictum fratrem Ioannem Thomé visis praesentibus, indilate ad praedictum confessoratus officium una cum emolumentis, ac proventibus solitis recipiant, bona etiam universa et singula ibidem derelicta, vel etiam alibi transportata eidem restituendo, inhibens sub eadem poena dictis monialibus, ne confessiones suas alii, vel aliis, quam dicti fratri Ioanni Thomé faciant, neque in quoquam obediant cuidam Urbano pro commendatario monasterii Stamedii se gerenti ; eiusdem diffinitionis executionem quoties opportunum fuerit, domino patri abbati monasterii Bonaevallis Viennensis committendo, in plenaria Ordinis potestate.

1473

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo tertio, statuta sunt haec apud Cistercium, quartadecima die mensis septembris, in eiusdem Cisterciensis Ordinis Capitulo generali.

ORATIONES

1. Pro [b] sanctissimo ... *etc. ut in anno* 1471.

2. Praeterea pro serenissimo ... *etc. ut in anno* 1472.

1473. *Fontes* : L^4 : 1-53 ; *M* : 7 ; P^2 : 1, 7, 53 ; *W* : 7 *(abbrev.)*.

[a] *Titulus apud* L^4. [b] Sub Sixto IV ; *etc. ut in anno praeced.* : P^2.

3. Insuper pro burgensibus... *etc. ut in anno* 1449.
4. Insuper pro pace ... *etc. ut in anno* 1449.
5. Demum pro felicis... *etc. ut in anno* 1470.

[DIFFINITIO] GENERALIS.

6. Cum Ordo noster... contributionem novem millium florenorum... *etc. ut in anno* 1449.

[ALIAE DIFFINITIONES]

7. Non anxiari vehementer non potuit praesens generale Capitulum, pensatis [c] et revolutis totius nostrae religionis sanctissimae maximis, prioribusque saeculis inauditis per diversa mundi climata ruinis, desolationibus et incommodis emergentibus, ex non minus flebiliter dolenda, quam maximo stupore horrenda plurimorum Ordinis monasteriorum alienatione, quae [d] passim nedum personis alterius professionis, verum etiam indignis saecularibus et laycis nonnunquam regenda possidendaque committuntur, infractis per hoc multisque aliis occasionibus et modis, ac pene ad nihilum redactis libertatibus et privilegiis eidem Ordini a Sanctissima Sede Apostolica hactenus liberaliter indultis, proindeque [e] religionis sanctimonia in perditionis laberintum deiecta. Tanto malo, tantoque imminenti periculo, ne Ordo in relapsum [f] aut ruinam deveniat irreparabilem, praesens generale Capitulum, matura deliberatione praehabita, viribus sibi relictis providere cupiens, decernit statuto irrevocabili super remedio possibili, quamprimum fieri poterit, solemni legatione et ambassiata [g] nomine Ordinis limina Apostolorum fore visitanda, ad hoc specialiter deputando reverendissimum dominum Cistercii, sibi adiunctis reverendis patribus de Claravalle pro monasteriis christianissimi regis Franciae, de Populeto pro monasteriis Hispaniae et vicinis, de Veterimonte pro monasteriis totius Germaniae, de Theoloco pro monasteriis patriarum illustrissimi domini ducis Burgundiae, s. th. pr., cum potestate assumendi alios Ordinis abbates, si praemissorum aliqui vacare non possent.

[c] amarissime pensans et revolvens : *MP*². [d] cum : *MP*². [e] providaequae : *MP*². [f] collapsum : *MP*². [g] *Cf. infra* APPENDIX : relatio istius legationis.

Qui quidem dominus Cistercii huiusmodi legationis onus tandem acceptavit; ut vero haec sancta et salubris cogitatio, utilissimaque conclusio ad effectum usque perduci valeat, cum totum concernat Ordinem, nec suppetant pecuniae communes Ordinis pro sumptibus necessariis dictae legationis, praesens generale Capitulum collectam seu gratiosum subsidium pro semel dumtaxat, usque ad summam sex millium ducatorum toti Ordini imposuit, distribuendam et dividendam omnibus et singulis eiusdem Ordinis monasteriis et prioratibus utriusque sexus, secundum possibilitatem et facultatem cuiuslibet; cuius quidem distributionis assignationem faciet dictus dominus Cistercii, sive per provincias sive particulatim, prout melius videbitur, vocatis abbatibus de Firmitate et Theoloco [h], s. th. pr., de Sancto Sulpitio et de Lutzella, praefato autem domino Cistercii praesens generale Capitulum expressam dat auctoritatem compellendi in plenaria Ordinis potestate per se, seu per alium, omnes et singulos abbates et abbatissas, priores, officiarios et officiarias cuiuscumque conditionis existant, ad solutionem taxae sibi et suo monasterio, sive prioratui impositae, facta quoque dicta assignatione taxarum mittendi nuntios expensis Ordinis ubicumque duxerit mittendos pro levando huiusmodi subsidio seu collecta; necnon constituendi et instituendi speciales commissarios et receptores per diversas mundi partes et provincias, quibus et eorum cuilibet dabit et dare poterit plenariam facultatem, vocatis vocandis, disribuendi taxas in generali impositas, et eis ad distribuendum diversis monasteriis commissas, ac etiam levandi dictum subsidium, valentes quoque quittancias dandi, renuentes autem et rebelles, seu in aliquo contradicentes, si quod absit, invenirentur, viriliter et indissimulanter compellendi per censuras Ordinis in locis et tempore per eosdem receptores congrue deputatis et deputandis, tam principale quam expensas, huiusmodi contradictionis seu rebellionis occasione factas aut fiendas, eisdemque commissariis seu receptoribus conferendi talem et consimilem potestatem et auctoritatem aliis committendi, ac insuper cogendi dictos receptores ad realiter et de facti dictas summas taxatas et impositas apportandum, deferendum et tradendum seu mittendum eidem aut eius certo mandato, in locis et tempo-

---

[h] *hic desin. MP*[2].

ribus eisdem per ipsum dominum Cistercii assignandis, cum fidelibus et debitis computationibus atque rationibus dictarum computationum in omnibus tenebuntur in particulari scribere et notare, quid et quantum a quolibet monasterio receperint ; quod si praemissa summa ad hoc tam salubre negotium pernecessaria, vel aliqua eius pars notabilis tempore opportuno assignando et praefigendo per dictum dominum Cisterciensem ad inchoandum dictum viagium in promptu haberi non potest, dat dictum Capitulum generale auctoritatem et posse praefato domino Cistercii moderno accipiendi nomine Ordinis sive ad mutuum sive ad usuram, si primum fieri non posset, usque ad complementum dictae summae sex millium ducatorum, vocatis tamen praedictis abbatibus aut eorum aliquo, necnon obligandi dictum Ordinem ad solvendum dictam summam sic, ut praefertur, acceptam seu accomodatam et arreragia, quae occasione eiusdem summae currere possent, de quibus omnibus et singulis praemissis informabit ipse dominus Cistercii ad integrum proximum Capitulum generale, cui dictum Capitulum generale promittit portare ipsum et suum monasterium indemnem et indemne ab omnibus expensis et damnis, quas et quae occasione praemissorum faciet aut incurrere posset, ita tamen quod obedientes huic sanctae diffinitioni et ordinationi solventes summas eis impositas, terminis et locis assignatis aut assignandis, quitti manere debeant ab omni damno seu expensis, quod et quae occasione non solutionis summae praemissae, aut notabilis partis eius contingere posset, sed ad non solventes recurrendum erit agendique et faciendi in praemissis et eorum quolibet, ac ab eisdem dependentibus quidquid iure et iuste agere et facere posset dictum Capitulum generale, in plenaria Ordinis potestate. Datum... etc.

8. Oblatis divinae clementiae humilibus gratiarum hostiis congaudens generale Capitulum, supernae benedictioni ac congratulationi, qua suam benignus militantem perlustrans Ecclesiam felicibus incrementis hunc suum devotissimum sibique electissimum et gratissimum Ordinem singulari et uberiori benignitate liberaliter conspiciens, ut merito et numero populum sibi acceptabilem et servientem adaugeat, superioribus lapsis dictus visitans illustravit faciem suam super quibusdam devotis sibi sacerdotibus et aliis viris laicis, in observantia regulari iam ipso inspirante exercitatis, dando eis mentem et animum constituendi

unum prioratum dictum Galilea iuxta oppidum Hollandiae maritimum vocatum Monichendamme, in loco et cornu uberi et illud voluntarie Deo offerendi et sacrandi Beatissimaeque suae Genitrici ac Ordini nostro Cisterciensi, ad laudem et honorem Dei et animarum salutem, habito per eos consensu reverendi in Christo patris domini dioecesani et aliorum ad quos spectare potest, humiliter supplicando dictum locum eidem Ordini nostro incorporari, et nomen prioratus haberi. Super quo divinae bonitatis abundantia praesens Capitulum generale Altissimo gratias agens et sanctum propositum dictorum sacerdotum et aliorum virorum laicorum in Domino commendans, benigne favet eorumdem supplicationi, ipsum locum dictum Galilea, cum omnibus suis habitatoribus, pertinentiis, membris et dependentiis eidem nostro Ordini incorporando participemque faciendo omnium privilegiorum, franchisiarum ac libertatum ac societatis Ordinis, volendo quod eisdem privilegiis, libertatibus, franchisiis, quemdmodum et alia Ordinis loca, gaudeant, ipsum locum subiiciendo prioratui de Warmunda. Datum... etc.

9. Oblatis divinae clementiae... *et. ut supra, n*º 8, ... illustravit faciem suam super nos dilectos sibi famulos et sacerdotes saeculares dando eis mentem et animum construendi unum monasterium prope oppidum Haerlem in centro Hollandiae, dictum Porta cœli, in loco et cornu uberi... *etc. ut supra*... eumdemque locum subiiciendo prioratui de Warmunda, in plenaria Ordinis potestate.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

10. Promotionem, institutionem et installationem fratris Ioannis Cornet, factam per commissarios domini Cistercii, Capituli generalis vices gerentis, ad dignitatem abbatialem monasterii de Fulcardimonte, tunc vacantis per expressam resignationem fratris Ioannis Le Sueur, novissimi abbatis eiusdem monasterii in manus dictorum commissariorum, necnon omnia per eosdem commissarios cassata, irritata et annullata et alia contenta in decreto, cui praesentes annectuntur, tamquam iusta et secundum Deum ac statuta nostrae religionis facta et peracta, praesens generale Capitulum confirmat, ratificat et approbat, supplendo omnes et singulos defectus, si qui in praemissis contigerint, omnibus et singulis eiusdem monasterii regularibus per-

sonis, in virtute salutaris obedientiae, et sub excommunicationis latae sententiae poena, firmiter dando in mandatis, quatinus fratri Ioanni tamquam eorum vero et indubitato abbati humiliter et devote in omnibus obediant.

11. Quamquam pluribus et diversis Summorum Pontificum ad nostrae sacerrimae religionis sanctorum patrum aequissimis canonibus et statutis cautum sit ac prohibitum, ne aliquae personae ad abbatialis dignitatis apicem promoveri valeant aut elevari, qui illegitimi thori maculam seu infamiam contraxerunt, dignum tamen ac iustum duxit praesens Capitulum generale misericorditer dispensandum ac tenore praesentium dispensat cum fratre Laurentio, ad dignitatem abbatialem in monasterio de Cara insula, nuper instituto per abbatem de Sora, commissario Ordinis in inclitissimo regno Daniae, ut attentis multiplicibus virtutum suarum seminibus, non obstante dicta macula, quam parentum defectu contraxisse creditur, rite, sancte et canonice dictam suam promotionem absque redargutione obtinere valeat et exercere.

12. Electionem, institutionem et installationem fratris Ioannis Rescher, ad dignitatem abbatialem monasterii de Mulbrunne, per abbatem monasterii in Novocastro, patrem abbatem eiusdem monasterii, rite et canonice factam... *etc.* approbat.

13. Ad idem, pro fratre Iacobo de Cruzenaco, ad dignitatem abbatialem monasterii Montis Sancti Disibodi, per abbatem monasterii Otterburgensis, patrem abbatem dicti monasterii.

14. Ad idem, pro fratre Nicolao, nuper cellerario Vallis Sancti Georgii, ad dignitatem abbatialem eiusdem monasterii, per abbatem Morimundi.

15. Ad idem, pro fratre Stephano Lequien, ad dignitatem abbatialem monasterii Beatae Mariae Clarifontis, per abbatem monasterii de Bithania.

16. Ad idem, pro fratre Ioanne ad dignitatem abbatialem monasterii de Lanckheym, per abbatem de Fonte salutis, s. th. pr., et confirmatam per reverendissimum dominum Cistercii, s. th. pr., vices gerentem totius Ordinis.

17. Ad idem, pro fratre Wyntheri, ad dignitatem abbatialem monasterii de Volkelderode, per abbatem monasterii Veteris cellae.

18. Ad idem, pro fratre Ioanne Philibert, ad dignitatem abbatialem monasterii de Altaripa.

[ALIAE DIFFINITIONES]

19. Paratas gerens manus Capitulum generale ad subveniendum necessitatibus et agendis quibuslibet in Ordine emergentibus et accidere valentibus, necnon succurrendum officiis et auctoritatibus quorumlibet patrum abbatum in sibi subditis monasteriis et filiabus, tam mediatis quam immediatis, confidens ad plenum de sufficientia et idoneitate abbatis de Runa, qui nunc est aut pro tempore fuerit, per septennium immediate secuturum committit plenariam auctoritatem et potestatem praesidendi in nova provisione dum audierit fienda, sive per spontaneam resignationem, sive per obitum ac alias iuxta formam sanctorum patrum nostrae religionis providendi, si et dum casus acciderit, de novo abbate et pastore sufficienti et idoneo, in monasterio de Sancta Cruce in Austria, supplendo vices abbatis Morimundi, patris abbatis eiusdem monasterii de Sancta Cruce, qui tum propter varia guerrarum discrimina, tum etiam propter certa impedimenta in eodem Morimundi monasterio orta, de huiusmodi commissione ad ipsum et dictum monasterium iuridice pertinente, pro hac vice providere non potest, agendique, instituendi et destituendi, confirmandi et infirmandi, ceteraque faciendi in eodem monasterio de Sancta Cruce, quae facere et agere posset et deberet ipse pater abbas, absque nihilominus praeiudicio potestatis et auctoritatis paternalis eiusdem patris abbatis in dicto monasterio de Sancta Cruce, et per omnia in praemissis agendi, in plenaria Ordinis potestate.

20. Attentis viarum et temporum variis discriminibus, diversisque periculis rerum et personarum praesertim religiosarum ac Deo dicatarum eundo et redeundo, benigne habet supportatos a via praesentis Capituli abbates de Ebraco, de Fonte salutis et de Bildhausen, qui humiliter suis litteris excusari supplicaverunt.

21. Ad idem, pro abbate de Heymmerode.

22. Ad idem, pro abbate de Alba dominorum.

23. Ad idem, pro abbate de Charitate.

24. Ad idem, pro abbate de Otterburg.

25. Ad idem, pro abbate in Schonaugia.

26. Ad idem, pro abbate de Speciosa valle.

27. Ad idem, pro abbate de Alna.

28. Ad idem, pro fratre Ioanne, novo abbate in Mulbrunnen,

quamquam secundum diffinitione manno elapso emanatam, praefatus hoc anno venire debuisset, et personaliter citatur ad proximum generale Capitulum.

29. Ad idem, pro abbate monasterii Eberbacensis.

30. Sancte et inviolabiliter diffinitioni et sententiae, nedum anno elapso per Capitulum, verum etiam iteratis vicibus per sanctos patres, superioribus annis editae super modo per abbates observando in emissione suorum monachorum, inhaerens praesens generale Capitulum mandat districtius et praecipit sub poenis in eadem diffinitione contentis ac aliis censuris Ordinis abbati de Fusniaco, quatinus fratrem Morisium dudum eiusdem monasterii professum, qui ante pauca tempora propter certae discordias et lites dictum monasterium coactus est deserere, suae professionis quittantiam accipiendo, nunc vero quasi exul per mundum vagatur, nec reperit benignum receptorem, ne diutius in detrimentum animae suae, et dedecus Ordinis quasi girovagus existat, benigne recipiat, emendatumque et iuxta suorum demeritorum exigentiam suorum filiorum coetui reassociet, aut cum effectu ei provideat de alio monasterio, ubi recipiatur, et salubriter vivere possit.

31. Motam difficultatem inter abbates suos scolares ad collegium Lipzense mittentes, super applicatione taxarum per eos impositarum pro poena eorum qui scolares suos iuxta statuta Capituli ad dictum studium non dirigunt, quibusdam illas utilitati dicti collegii, aliis studentium applicari volentibus, sic temperat et terminat Capitulum generale, quod media pars dictarum taxarum applicabitur reparationi et utilitati dicti collegii, alia vero media pars utilitati studentium, rursum dictas taxas confirmando, in plenaria Ordinis potestate.

32. Cum frustra condantur leges nisi observari procurentur, districte praecipiendo committit praesens generale Capitulum abbatibus de Porta et de Buch potestatem et auctoritatem compellendi per censuras Ordinis abbates suos scolares ad collegium Lipzense mittere, obligatos ad solvendum realiter et de facto summas pecuniarum anno lapso per abbates provinciae cum abbate de Cella determinatas, praefixas et impositas, in plenaria Ordinis potestate.

33. Abbatem de Thela debite citatum personaliter et peremptorie per abbatem de Sancto Sulpitio ad praesens generale Capi-

tulum, et non comparentem, ipsum de Thela generale Capitulum declarat esse contumacem.

34. Capitulum generale mandat abbatibus de Theoloco, s. th. pr., et de Clarofonte, quatinus ad monasterium de Caroloco accedentes super tractatu inter abbatem et conventum dicti monasterii de Caroloco ex una, et nobiles viros Guidonem, Ioannem, Henricum et Hugonem de Sancto Martino fratres, partibus ex altera, se diligenter informent et debite, quem tractatum si invenerint esse ad utilitatem dicti monasterii de Caroloco passatum et concordatum, illum auctoritate praedicti Capituli generalis confirment, ratificent et approbent, in plenaria Ordinis potestate.

35. Ad idem, abbatibus de Aceyo et de Theoloco, s. th. pr., et de Caroloco, per abbatem de Charitate super quibusdam terris pertinentibus ab antiquo ad quamdam fortem domum sitam prope villagium de Burgundionibus, iuxta dictum monasterium de Charitate, per ipsum et suum conventum traditis ad censum annuum et perpetuum.

36. Ad idem, abbatibus de Novocastro, Schonaugia et de Alba dominorum,aut eorum duobus,ita quod dominus de Novocastro sit unus eorum, se informent fideliter et honeste de quadam permutatione aut alienatione certorum mobilium aut immobilium bonorum monasterii de Mulbrunnen, et proximo generali Capitulo referant.

37. Abbatibus de Tribus fontibus, de Longovado et de Ripatorio, et eorum cuilibet et in solidum, tam coniunctim quam divisim, praesens generale Capitulum committendo praecipit, ut omnes et singulas utriusque sexus Ordinis personas, tam abbates, abbatissas, quam eorumdem conventus et monasteria, quos et quae per testes fide dignos, instrumenta, litteras, acta, obligationes, seu alia quaecumque legitima documenta invenerint abbati et conventui monasterii Claraevallis, Lingonensis dioecesis, aut singulis eiusdem loci personis debite teneri et obligatos seu obligatas esse in quibuscumque pecuniarum summis seu aliis redditibus, aut quibuscumque bonis aut debitis, seu iniuste detinentes, ad eisdem plenarie, realiter et de facto satisfaciendum astringant, in plenaria Ordinis potestate.

38. Exposuit illustris dominus, dominus marchio de Baden praesenti Capituli ius patronatus cuiusdam ecclesiae quae parochialis dicitur in Baden, monasterio monialium de Valle lucida

pertinere, dictamque ecclesiam parochialem optare uniri cuidam ecclesiae canonicorum per eumdem de novo fundatae, pro dictae ecclesiae augmentatione et dotatione, iuribus nihilominus ad dictum monasterium de Lucida valle super dicta ecclesia parochiali in suo vigore et absque aliquali diminutione remanentibus, idque abbatissam et conventum dicti monasterii satis optare, si dicto Capitulo placeret, quare mandando et committendo abbati de Alba dominorum praecipit, quatinus personaliter ad dictum monasterium accedendo se informet ad plenum de et super praemissis, et si invenerit ita esse ut praemittitur, nec iura eiusdem monasterii diminui, det auctoritate dicti Capituli, ob reverentiam eiusdem domini marchionis eisdem monialibus, licentiam permittendi dictam unionem fieri, eamque factam confirment in plenaria Ordinis potestate.

39. Gratum habens generale Capitulum tractatum passatum inter abbatem Charitatis et suum conventum ex una, et Desiderium Robini clericum ex altera, secundum formam et tenorem in litteris quibus praesentes annectuntur, eumdem tractatum confirmat, ratificat et approbat.

40. Capitulum generale confirmat et ratificat donationem seu translationem cuiusdam mansi factam domino Guillelmo Bannerot, per abbatem et conventum monasterii de Buillon, prout in littera ad hoc confecta, cui haec diffinitio annectitur, plenius continetur.

41. Confidens ad plenum praesens generale Capitulum de prudentia, idoneitate et sufficientia abbatis Pontisthieffridi Metensis, committit sibi potestatem et auctoritatem praesidendi in nova promotione priorissae in prioratu monialium Sancti Bernardi, alias de Claravalle, infra muros Metenses, sive per cessionem, sive per mortem priorissae modernae, aut alias providendi secundum formam et statuta nostrae religionis de nova priorissa sufficiente et idonea, dictamque provisionem confirmandi auctoritate Capituli generalis, cum auditione computorum et receptione inventarii bonorum tam mobilium quam immobilium eiusdem prioratus, et alia in consimilibus fieri solita agendi et perficiendi, usque ad revocationem domini Claraevallis, patris abbatis eiusdem monasterii.

42. Capitulum generale misericorditer dispensat cum abbate in Cella angelorum, ut non teneatur mittere ad studium Viennense scolarem, et hoc duobus annis.

43. Cum frater Thomas ... professus in monasterio Maceriarum anno lapso per sententiam Capituli generalis fuerit emissus, tamquam conspirator, ad monasterium de Roseriis, portaturus et impleturus poenam conspiratoribus in statutis Ordinis taxatam, usque ad nutum Capituli generalis, dictam poenitentiam non impleverit, sed gravibus graviora superaddens, fertur multa scandala veniendo circa monasterium de Maceriis perpetrasse, insuper nec abbati de Maceriis reddidit computum et rationem suarum computationum et rerum omnium, quas penes se habebat, quaesivit etiam favores multorum vicinorum, qui minas et damna multiplicia eidem monasterio, quasi per vindictam intulerunt, ratione quorum non solum se reddit gratia indignum, verum etiam ad subtrahendum causas et ocasiones sua delicta continuandi, meruit pro expedientiori via salutis ad remotiores et distantiores provincias transmitti ; suae igitur saluti providens Capitulum generale sententiat et diffinit, dictum fratrem Thomam mittendum sub poena carceris, infra festum beati Michaelis proximum ad monasterium de Sora, dictam poenitentiam expleturum usque ad nutum Capituli generalis.

44. Confidens ad plenum praesens generale Capitulum de virtutibus, sufficientia et idoneitate abbatis de Sora de quibus iam multis egregiis laboribus clara monstravit argumenta dicto Capitulo et Ordini gratissima, eidem committit potestatem et auctoritatem visitandi, reformandi, ordinandi, praecipiendi, instituendi et destituendi omnia et singula, ac in omnibus et singulis, monasteria et monasteriis, in spiritualibus et temporalibus cuiuscumque sexus aut conditionis existant in regno Daniae, Norvegiae et Sueciae, cum clausulis opportunis per reverendissimum dominum Cistercii addendis, in plenaria Ordinis potestate.

45. Cum ex studiorum, virorumque litteratorum institutione et conservatione potiores salutis et honoris fructus nasci et prodire videantur, solet Capitulum generale studioso mentis affectu suae considerationis oculos ad talia convertere, quare in diversis terrarum partibus viros doctos, eximios et claros efficere et nutrire cupiens et praesertim in praeclarissimo Daniae regno ac provinciis circumvicinis, praesens Capitulum generale ea qua potest districtione et sub gravissimis poenis mandat et praecipit abbati de Sora, quatinus sive in unum evocando patres eiusdem regni, sive alias prout congruentius invenerit, eisdem et eorum

cuilibet auctoritate Capituli generalis, in virtute salutaris obedientiae praecipiat et iniungat, quod studium iam dudum per Ordinem declaratum et mandatum reincipientes ipsum eorum expensis, prout quemlibet concernit, et concernere potest, perficiant, et ad habitandum suos scolares idoneum et sufficiens reddant, suosque scolares secundum formam Ordinis ad studendum et proficiendum in moribus et scientiis cum provisionibus necessariis et secundum exigentiam patriae requisitis transmittant et interteneant, nec in dedecus et detrimentum eorumdem regni et Ordinis longius tempus et expensas perdendo, dicti scolares evagari cogantur aut omnino ignari et indocti ignominiose permaneant.

46. Ad humilem et devotam supplicationem abbatis de Sora, qui plurimas virtutes, gratias et sanctae religionis dona fratris Nicolai, notarii sui, exponendo humiliter supplicavit, eumdem fratrem Nicolaum ab oneribus conventualibus supportari, eidemque stallum suum in choro et vocem in capitulo, necnon cellam suae fragilitati congruam, cum aliis suae vitae necessariis in eodem monasterio ad dies suos misericorditer concedi, benigne inclinatum praesens generale Capitulum praefatum fratrem Nicolaum habet benigne supportatum a praemissis oneribus, praefatasque gratias impertitur, quamdiu expediens et necesse abbati suo videbitur.

47. Attentis infirmitatibus permaximis et impotentia corporali fratris Henrici, monasterii de Sora expresse professi, praesens generale Capitulum praefatum fratrem Henricum benigne habet supportatum ab oneribus conventualibus, cellam suae fragilitati congruam cum aliis suae vitae necessariis secundum discretionem et ordinationem abbatis eiusdem monasterii in eodem monasterio, quamdiu expediens et necesse eidem abbati videbitur, misericorditer concedendo.

48. Necessitatibus patrum Ordinis subvenire cupiens Capitulum generale usque ad aliam ordinationem, consideratis viarum discriminibus, monasteriorum crebris vexationibus adventum patrum ad Capitulum generale praesertim distantium impedientibus, benigne supportatos habet et excusatos a via Capituli generalis.

49. Abbates existentes sub commissione abbatis Cellensis, dummodo communibus expensis monasteriorum in dicta commissione contentorum, prout quodlibet concernere potest, mit-

tant annuatim et singulis annis quatuor abbates ad dictum Capitulum personas alienorum repraesentantes.

50. Cum eo studiosius ac curiosius iustitiae Ordinis firmissimum stabilimentum in suo vigore integrum inviolatumque et inconcussum servari cupiat generale Capitulum, quo per eam decentius, facilius et salubrius animarum saluti, ac subditorum quieti et tranquillitati providetur, non potuit praesens generale Capitulum absque mentis consternatione suscipere fratrem Guillelmum de Monchello, monasterii de Bellobecco expresse professum, praetextu cuiusdam intrusionis suae satis frivolae ad dignitatem abbatialem monasterii de Fulcardimonte ausu temerario, praesumptuose et indebite traxisse fratrem Ioannem Cornet, in artibus magistrum, dicti monasterii de Fulcardimonte verum et indubitatum abbatem ad strepitum iustitiae saecularis, seu quae non est de Ordine, spreto Ordinis salutari iudicio, occasione promotionis dicti fratris Ioannis ad dictam abbatialem dignitatem, in excessivam derogationem, et quantum in eo fuit enervationem praecipuorum Ordinis privilegiorum, franchisiarum et libertatum, ipsumque fratrem Guillelmum eidem abbati de Fulcardimonte horribiles et viro religioso imo cuilibet christiano indecentes minas per se et terribiles armatos immittere ; quibus praesumptuosis excessibus et temerariis ausibus contra dicta Ordinis privilegia, ac iniustis vexationibus dicti abbatis et sui monasterii de Fulcardimonte finem imponere volens dictum generale Capitulum, abbatibus de Sancto Andrea, s. th. pr., et de Mortuo mari, ac eorum cuilibet in virtute salutaris obedientiae districte mandando praecipit sub poena excommunicationis, quatinus rite et diligenter, quamprimum fieri debite poterit, et requisiti fuerint, se informent per sufficientes et non suspectas personas super huiusmodi abusivis excessibus ac indebitis vexationibus ; et si invenerint dictum fratrem Guillelmum traxisse per se aut per alium praemissum abbatem de Fulcardimonte coram quocumque iudice, qui non sit de Ordine, eumdem fratrem Guillelmum per capitula Ordinis publice denuntient, secundum statuta nostrae religionis, ipso facto sententiam excommunicationis latae incurrisse, eidem nihilominus aggravationis, reaggravationis ac aliis censuris Ordinis praecipiendo auctoritate dicti Capituli, quatinus illico ab omni tali prosecutione et dictis minis desistat, causaeque coram iudice aut notario publico seu authentica persona renuntiet, prout pendet in illo foro, sine

tamen praeiudicio iuris, si quod in eodem monasterio praetendit sibi esse acquisitum, quod coram iudice de Ordine petito et assignato prosequi poterit, cum eidem et omnibus ac singulis de Ordine personis sanis iustitia Ordinis pateat et nulli denegetur. Quod si animo indurato obedire in praemissis noluerit, rursum ipsum palam et publice excommunicatum, aggravatum et reaggravatum, terminis iuris et in Ordine in consimilibus servari solitis minime omissis, auctoritate dicti Capituli per loca circumvicina denuntiando, eumdemque, semota omni dissimulatione aut sinistra affectione, viriliter carceri mancipent et detineant usque ad nutum dicti Capituli, in plenaria Ordinis potestate, invocato ad praemissa, si opus sit, auxilio brachii saecularis.

51. Dolenter et cum profundis suspiriis, multorum fide dignorum veridicis relationibus, et authenticis patentibusque instrumentis, gravissimos excessus et enormes abusus cuiusdam fratris Esgeri, se pro abbate in monasterio Herivadensi gerentis, a multis annis inceptos et pertinaciter continuatos, misericorditer quoque et non secundum culparum enormitatem agere volens districtissime et in virtute salutaris obedientiae ac sub excommunicationis poena mandat et praecipit abbati de Sora, quatinus diligenter ad dictum monasterium de Herivado personaliter accedendo, aut si commodius iudicaverit, per nuntium sufficientem et idoneum tenore praesentium citet peremptorie et personaliter dictum fratrem Esgerum ad comparendum personaliter infra primam diem mensis aprilis proxime venturi cum omnibus suis iuribus et munimentis, quibus se iuvare potest et intendit, coram reverendissimo domino Cistercii, vices gerente totius Ordinis, responsurum ad obiicienda per promotorem Ordinis cum intimatione quod si non venerit, noscat se convictum de omnibus et singulis contra et adversus eum obiectis et obiiciendis, et nihilominus sive voluerit sive non, procedetur in dicta materia et causa, prout iuris fuerit et rationis, infra dictum tempus, expensis eiusdem monasterii de Herivado, in scriptis authenticis praefatum dominum Cistercii debite informando.

52. Auditis per Capitulum generale quaecumque per abbatem de Molinis, commissarium reverendissimi domini Cistercii, facta sunt pro reformatione monasteriorum de Vallebenedicta et de Robertimonte, intellectis etiam tam verbo quam scripto quarumdam monialium eorumdem monasteriorum rebellionibus, conspirationibus et appellationibus multiplicatis tam excessivis quam

in verbis talibus personis, reformationem factam per dominum commissarium, approbans et confirmans, rebelliones et conspirationes detestans, et appellationes improbans et penitus condemnans, sententiat, statuit et diffinit de cetero inviolabiliter, quod moniales et sorores et conversae dictorum monasteriorum manebunt sub perpetua clausura, cibis tamen Ordinis permissis locis a sanctissimis patribus deputatis uti poterunt, usque ad aliam Capituli generalis dispositionem; quod si diabolo suadente aut propria fragilitate seu malitia inducente, nonnullae moniales dictorum monasteriorum de Vallebenedicta et de Robertimonte huic sanctae ordinationi contradicentes, seu suae salutis immemores obedire renuerint, aut potius exire et discedere elegerint, permittitur abbatissis eorumdem monasteriorum, quod habita consultatione dicti abbatis de Molinis possint eisdem dare et conferre aliquam partem bonorum eorumdem monasteriorum pro victu et necessitate earumdem monialium recedentium, dummodo ad aliqua Ordinis monasteria honeste et religiose vivant, praecipientes districte abbatibus de Alna, de Villari et de Valle Dei, quatinus si aliquae dictarum monialium sic recedere volentium eligant et rogent residere in aliquo monasteriorum monialium eisdem subiectorum, benigne et misericorditer in eis recipi faciant et compellant.

53. Generale Capitulum debite et sufficienter informatum, et non sine displicentia attenta mente revolvens graves paupertatem, ruinam, et desolationes monasterii quondam monialium, nuper autem prioratus Beatae Mariae de Claromarisco Remensi, adeo ut ubi erat ipsum monasterium nulla amplius aut valde modica abbatiae remaneant intersignia, nisi sola domus eiusdem loci sita in ipsa civitate Remensi, etiam plurimum caduca et ad ruinam tendens, timens et formidans ipsam domum totalem devenire demolitionem, et nullam penitus pro fundatoribus et benefactoribus ibidem missam celebrari, vel aliae orationes fieri, unionem, annexionem, adiunctionem et incorporationem perpetuas ipsius prioratus et domus de Claromarisco, cum omnibus et singulis suis membris, iuribus, privilegiis, redditibus, proventibus, possessionibus et bonis mobilibus et immobilibus quibuscumque, tam infra quam extra eamdem civitatem Remensem, per dominum Cisterciensem auctoritate plena Ordinis qua fungitur, ad monasterium Claraevallense secundum formam et tenorem litterarum suarum super hoc confectarum, quibus haec

praesens diffinitio annectitur, factas, idem praesens Capitulum, matura praehabita deliberatione, approbat, ratificat et confirmat volens et ordinans de cetero huiusmodi unionem, annexionem et incorporationem cum oneribus, etiam trium missarum qualibet hebdomada ista occasione ordinatarum, perpetuum habere vigorem et firmitatem.

1474

Ex anno millesimo quadringentesimo septuagesimo quarto.

1. Sub Sixto IV, Philippo cardinali Albanensi Ordinis nostri benevolo protectore, Frederico imperatore, Ludovico regnante, Carolo duce Burgundiae.

2. Renovatur antiquum debitum, et ibi finit registrum sextum.

1476

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo sexto, quae sequuntur edita sunt et promulgata in Capitulo generali apud Cistercium, diebus 12ª, 13ª, 14ª [septembris] devote celebrato, ubi per plures dies propter imminentem agendorum necessitatem et pestilentiam, oppida omnia circumstantia infestantem, plures Ordinis patres accesserunt et per duos dies post Capitulum in eodem Cistercio remanserunt.

ORATIONES

1. Pro sanctissimo ac beatissimo domino nostro, domino Sixto Divina Providentia Papa IV, necnon pro reverendissimis in

---

1474. *Fons unicus* : P^2.

1476. *Fontes* : A^4 : 32, 68, 69, 70 ; L^5 : 1-88 ; *M* : *sub anno* 1477 : 1-5, 6 *et* 7 *in form. abbrev.* ; P^2 : *sub anno* 1477 : 1-5, 6 *et* 7 : *in forma abbrev.*, *sic etiam* 66-70, *citat insuper quosdam particulares titulos ut* : Dantur iudices, Proclamantur contumaces, Deinde sequuntur rehabilitationes, *etc.* [a] *Titulus apud* L^5.

Christo patribus dominis Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, et maxime pro reverendissimo in Christo patre domino Philiberto, tituli sanctae Luciae in Silice, S. R. E. presbytero cardinale, episcopo Matisconensi, nostrique Ordinis in romana Curia benevolo protectore, ac etiam... *etc. ut in anno* 1471.

2. Praeterea pro serenissimo [b] ... *etc. ut in anno* 1472.

3. Insuper pro burgensibus... *etc. ut in anno* 1449.

4. Ceterum pro pace ... *etc. ut in anno* 1449.

5. Demum pro felicis ... *etc. ut in anno* 1470.

[DIFFINITIO] GENERALIS

6. Cum Ordo noster... Cisterciensis specialiter et expresse ac iuste domino abbati et conventui Cistercii, ac ipsi monasterio Cistercii sit obligatus veraciter in summa 25448 francorum seu florenorum aureorum, et 3 grossorum argenteorum de antiquo debito, cum resta ultimorum computorum, quae ascendit ad summam 2480 florenorum, 2 solid., de et pro toto tempore praeterito, et oporteat... contributionem novem millium florenorum... *etc. ut in anno* 1449.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

7. Electio domini cardinalis Matisconensis in protectorem Ordinis. — Universis praesentes litteras inspecturis, Nos frater Ioannes abbas Cistercii, Cabilonensis dioecesis, ceterique Diffinitores Capituli generalis Cisterciensis Ordinis, notum facimus quod Nos, die datae praesentium in Diffinitorio pro rebus Ordinis, negotiis et agendis eiusdem legitime congregati, totis praecodiorum affectibus cupientes pro posse subvenire incommodis et damnis ipsi Ordini passim contingentibus et imminentibus, debite et sufficienter informati super obitu et inhumatione bonae memoriae reverendissimi in Christo patris domini Philippi, dum viveret cardinalis Bononiensis, nostrique ac totius Ordinis nostri protectoris, matura et gravi deliberatione praehabita, et rebus multis cum earum circumstantiis ponderatis et praevisis, Spiritus Sancti gratia humiliter implorata, pro conservatione, defen-

[b] invictissimo : *MP*².

sione, protectione, tuitione, directione et augmentatione eiusdem Ordinis, unanimi consensu, nemine discrepante, nostrorum praedecessorum formam procedendi et modum in parte imitando, elegimus et nominavimus reverendissimum in Christo patrem dominum Petrum *(sic)* Divina miseratione S. R. E. tituli sanctae Luciae in Silice, cardinalem episcopum Matisconensem, in nostrum ac totius Ordinis nostri verum et indubitatum protectorem, qui benevolentiae et auctoritatis suae amplissimo praesidio Nos, dictumque Ordinem nostrum in personis, rebus et bonis sua innata bonitate, tam apud Sanctissimum Dominum nostrum, sacrumque reverendissimorum principum dominorum cardinalium collegium quam ubique locorum, Nos dictumque Ordinem nostrum in personis, locis, rebus aliis et bonis protegat, defendat et promoveat, cum humilitate et devotione supplicantes Sanctissimo Domino nostro, quatinus praefatum reverendissimum dominum cardinalem Matisconensem dicto protectoris Ordinis nostri officio, honore et onere, pacifice gaudere et uti faciat, quemadmodum superioribus annis ceteri reverendissimi domini cardinales per dictum Capitulum Ordinis nostri electi et nominati in protectores eiusdem Ordinis tranquille gavisi sunt et usi. Datum, etc.

8. Electionem, promotionem et installationem de persona fratris Petri Jonard, prioris Beatae Mariae de Valleclara, ad dignitatem abbatialem ipsius monasterii Vallaeclarae, nuper vacantis per resignationem fratris Ioannis Motois, novissimi abbatis, per dominum abbatem Claraevallis, s. th. pr., praefati monasterii immediate patrem abbatem rite et canonice... *etc.* confirmat.

9. Ad idem, pro fratre Ioanne Royche, professo monasterii Beatae Mariae de Campoflorum, ad dignitatem abbatialem monasterii de Portu, alias Dunbrody, per abbatem praedicti monasterii de Campoflorum, eiusdem monasterii de Portu immediatum patrem abbatem.

10. Ad idem, pro fratre Ioanne Byculey, monasterii Beatae Mariae de Waverleya monacho, ad dignitatem abbatialem eiusdem monasterii de Waverleya, per abbatem monasterii de Lotheya commissarium abbatis monasterii de Eleemosina.

11. Ad idem, pro fratre Nicolao Legrant, monacho monasterii de Igniaco, ad dignitatem abbatialem eiusdem monasterii Igniaci, per abbatem de Ellancio, domini Claraevallis commissarium, s. th. pr.

12. Ad idem, pro abbate de Aureavalle.

13. Ad idem, pro abbate de Recluso.

14. Ad idem, pro fratre Iacobo de Sinemuro ad dignitatem abbatialem de Quinciaco electo et promoto, et nihilominus fratri Germano Danoit, religioso monasterii Pontigniaci sub poena excommunicationis et aliis poenis conspiratoribus debitis, praesens generale Capitulum inhibet, ut non amplius super dignitate abbatiali dicti loci de Quinciaco supradictum fratrem Iacobum molestet, quinimo ipsi fratri Germano in prosecutione huiusmodi negotii perpetuum imponit silentium, et ut unicuique reddatur quod suum est, de Claravalle, s. th. pr., et de Prulliaco monasteriorum abbatibus committitur, quatinus per omnes iuris et iustitae vias compellant praefatum fratrem Germanum ad restituendum dicto abbati de Quinciaco, sive eius monasterio, omnia bona quae invenerint per eum, eius prosecutione, instinctu vel favore a praefato monasterio ablata et depraedata, in plenaria Ordinis potestate.

15. Resignationem atque cessionem per fratrem Ioannem Tafforcan, s. th. pr., procuratorem fratris Francisci Cherot electi et confirmati, ad dignitatem abbatialem monasterii Beatae Mariae de Fonte Danielis, virtute procuratorii facti et passati in villa Lavatt, coram notario publico et imperiali, videlicet Martino Varbot, in praesentia magistri Stephani Le Seure, Ioannis Le Royer et Petri Robert, in manibus totius Capituli generalis factam de dignitate abbatiali de Fonte Danielis, per quam resignationem et cessionem omni iuri praetenso virtute praetactae electionis et confirmationis omnibus viis et modis renuntiavit, supplicans ad profectum et utilitatem fratris Ioannis Courtin, religiosi dicti monasterii, praesens generale Capitulum gratam habet et acceptam, et eo praetextu dictum monasterium de Fonte Danielis vacare declaravit atque declarat et ne propter diuturnam vacationem ipsum monasterium aliqua reportet incommoda, idem Capitulum debite informatum de vitae honestate, morum probitate, scientia et in agendis experientia fratris Ioannis Courtin, illum ipsum in abbatem dicti monasterii de Fonte Danielis praeficit et instituit, omnibus et singulis dicti monasterii regularibus personis dando in mandatis, ut eum verum et indubitatum recipiant abbatem et pastorem, eidem per omnia et in omnibus parendo et nihilominus abbati de ... praecipiens, quatinus praedictum fratrem Ioannem abbatem dicti

loci de Fonte Danielis, in realem et actualem possessionem dicti monasterii ponat et inducat, atque in omnibus eidem ab omnibus dicti monasterii regularibus personis pareri procuret, in plenaria Ordinis potestate.

16. Visis et diligenter examinatis provisionibus factis de personis fratrum Vitalis de Ycanto, monasterii de Bardonis religiosi, et Petri de Podio, monasterii Bonifontis, ad dignitatem abbatialem de Anisorsio, qui de hac controversia se sub poenis et censuris Ordinis iudicio Capituli generalis submiserunt, idem Capitulum, matura deliberatione habita, praefatum fratrem Vitalem per abbatem de Ardorello Ordinis commissarium institutum, verum et indubitatum abbatem esse iudicavit et iudicat, perpetuum silentium praedicto fratri Petro imponens, nihilominus tamen concedit, ut post decessum fratris Bertrandi de Ioyaco, senioris abbatis dicti monasterii de Anisorsio, pensio viginti ducatorum eidem fratri Petro per dictum fratrem Vitalem annis singulis, quousque idem frater Petrus aliquam dignitatem abbatialem vel aliud beneficium pacifice fuerit adeptus, persolvatur, cuius quidem pensionis primus terminus post decessum praedicti senioris in festo Natalis Domini incipit, alius vero in festo B. Ioannis Baptistae subsequetur ; de Calercio, s. th. pr., et de Bonofonte monasteriorum abbatibus et eorum cuilibet in solidum committendo mandat, ut post praedicti senioris abbatis decessum, per abbatem dicti loci qui pro tempore fuerit, dictam pensionem viginti ducatorum dicto fratri Petri per censuras Ordinis integre persolvi procurent, in plenaria Ordinis potestate.

17. Audita relatione domini abbatis Claraevallis super dissoluto regimine abbatis de Trappa, Sagiensis dioecesis, etiam quia animo indurato per biennium haeresim sapiens sententiam excommunicationis sustinuit, praesens generale Capitulum illum eumdem tamquam a regimine dicti monasterii indignum et inutilem ab abbatiali dignitate deponit et depositum declarat, et eidem monasterio de Trappa sic vacanti auctoritate Ordinis plenaria, fratrem Henricum Holhart, religiosum de Mortuomari, in th. bacc., praeficit ac eumdem verum et indubitatum praefati monasterii abbatem instituit, eiusdem monasterii regimen et administrationem, in spiritualibus et temporalibus, committendo ; quam ut debite assequi possit, de Brolio Benedicti, dicti monasterii de Trappa patri abbati, et de Motuomari monaste-

riorum abbatibus committitur, ut praedictum fratrem Henricum in realem et actualem possessionem, *etc.*

18. Praesens generale Capitulum post diligentem investigationem et visitationem processus dignitatis abbatialis monialium de Bellomonte, matura deliberatione habita, dicit, pronuntiat et declarat dictam dignitatem abbatialem pertinere debere sorori Atledi de Monteforti, et illam veram et indubitatam abbatissam dicti loci de Bellomonte pronuntiat, iudicat et declarat, sorori Ioannae Dangoulennet, religiosae de ... perpetuum silentium imponendo, pietatis tamen intuitu eam in officio priorissae monasterii de Colonges, quod prius exercebat restituit, abbatissae dicti monasterii praecipiendo, ut eidem sorori Ioannae dictum priorissae officium exercere permittat.

19. De Wardona et de Revesby monasteriorum abbatibus ex parte praesentis Capituli committitur ut se diligenter informent super electione, promotione et installatione fratris Willelmi Heslemitensis, ad dignitatem abbatialem monasterii de Ioravalle, per abbates de Ryevalle et de Fontibus, Capituli generalis et abbatis de Bellalanda, patris abbatis dicti monasterii commissarios, factas et has videlicet electionem, promotionem et installationem, si post debitam informationem invenerint rite celebratas, approbent, confirment et corroborent, in plenaria Ordinis potestate.

20. Quia propter controversiam longo iam tempore inter fratres Ioannem Cornet et Guillelmum de Moncello, ratione abbatialis dignitatis de Fulcardimonte continuata, ipsum monasterium, prout ad notitiam praesentis Capituli pervenit, multa patitur in spiritualibus et temporalibus detrimenta, ut inde super his remedium praebeatur opportunum, de Lanneyo et de Belloprato monasteriorum abbatibus ex parte Capituli generalis committitur, ut quantocius commode fieri poterit, ad dictum monasterium de Fulcardimonte se transferant, et se in plenaria Ordinis potestate diligenter ac debite super dicta controversia informent ; quo facto de sua informatione fidelem generali Capitulo vel domino Cistercii faciant relationem.

CONFIRMATIONES TRACTATUUM.

21. Tractatum initum, factum et passatum inter abbatem Beatae Mariae de Fonteneto, Eduensis dioecesis, et dominum

Odonem de Raygni militem, dominum dicti loci de Raygni et de Marmeaulx, atque dominam Ioannam de Viemine eiusdem uxorem, ratione cuiusdam stagni situati iuxta villam supradictam de Raygni, vulgariter stagnum de Marmeaulx nominatum, prout plenius... *etc.* approbat.

22. Tractatum initum, factum et passatum inter abbatem et conventum de Fontemorum ex una, et nobilem virum Iacobum de Milly scutiferum, domicellamque Guillemetam de La Faie eius uxore, partibus ex altera, prout... *etc.* ratificat.

23. Tractatum initum, factum et passatum inter abbatem et conventum monasterii Prulliaci et Ioanneam Beulle, laboratorem Senonensem commorantem, de quadam domo ibidem existente, prout plenius... *etc.* approbat.

24. Abbatibus de Laude et de Longovillari committitur ut supra tractatu inito et facto inter abbatem et conventum de Valloliis, Ambianensis dioecesis, ex una, et Reginaldum Le Varlot ac Christianam Obrisset eius uxorem, partibus ex altera, ut plenius continetur in litteris super hoc factis, quibus haec praesens diffinitio annectitur, se debite informent in plenaria Ordinis potestate, et informatione facta, per se vel per litteras authenticas Capitulo generali referant.

25. Ex parte Capituli generalis committitur de Charitate, de Miratorio et de Balerna monasteriorum abbatibus, et duobus eorum coniunctim, ut se debite informent super contractu facto et passato inter dominum abbatem et conventum de Firmitate parte ex una, et Perrinotum Morsset ex altera, prout plenius, etc.

26. Ad idem, pro abbate de Iardino, abbatibus de Alna et de Grandi prato monasteriorum abbatibus, ut referant Capitulo generali.

27. Generale Capitulum committit de Montepetroso et de Septem fontibus monasteriorum abbatibus, et eorum cuilibet in solidum, ut se debite ac diligenter informent de constructione cuiusdam hospitii iuxta portam monasterii de Benedictione Dei situati, et ad censum perpetuum Nicolao Bartheler per abbatem dicti monasterii traditi, et informatione facta, fidelem faciant generali Capitulo relationem.

PROVISIONES ALIQUORUM SCOLARIUM

28. Abbati de Moroliis per generale Capitulum praecipitur, quatinus infra festum Omnium Sanctorum scolarem suum Parisios ad collegium Sancti Bernardi mittere non omittat, cum bursa integra, cum potestate compellendi sub censuris Ordinis abbatem monasterii Brolii grolandi ad sibi subveniendum in summa decem librarum turonensium, dehinc ad triennium pro anno quolibet ad manutenentiam praefati scolaris sui in praedicto Sancti Bernardi collegio.

29. Ad idem pro abbate Ioyaci, ut singulis annis dehinc ad triennium, levet ad monasteria de Noa decem libras turonenses ; huiusmodi diffinitionis executionem abbati de Prulliaco in plenaria Ordinis potestate committendo.

30. Ad idem pro abbate de Belloprato, Belvacensis dioecesis, ut dehinc ad triennium anno quolibet percipiat ab abbate de Frigidomonte sex scuta, et ab abbate de Lanneyo totidem pro manutenentia scolaris sui Parisiis in collegio Sancti Bernardi.

31. Quia frater Stephanus Aufrit, scolaris de Vallericherii, plenam et integram provisionem pro sui studii continuatione apud Sanctum Bernardum Parisiis, a dicto suo monasterio suscipere non valet, praesens generale Capitulum eidem fratri et scolari, ut suum studium ulterius prosequi valeat, sexdecim francos, octo videlicet super monasterio de Trappa, et reliquos octo super monasterio de Brolio Benedicti, anno quolibet dehinc ad triennium percipiendum...

COMMISSIONES

32. Visa causarum et negotiorum arduorum copiosa multitudine in hoc praesenti Capitulo emergentium, quae non potuerunt in eodem, prout rationi congruit et ordo debiti iuris et iustitiae expostulat, ad plenum terminari, tam propter temporis brevitatem, tum etiam propter aliquarum causarum sive negotiorum nodosam difficultatem, cuius decisioni diutius immorari non licebat, praesens generale Capitulum domino Cistercii, s. th. pr., et quatuor primis, videlicet de Firmitate, de Pontigniaco, de Claravalle et de Morimundo abbatibus, ac aliis, quos idem dominus Cistercii duxerit convocandis, omnimodam confert auctoritatem et potestatem, omnia Ordinis negotia, in hoc

praesenti generali Capitulo minime ad plenum expedienda apud villam Belnae, vel alium locum quem praefatus dominus Cistercii in exitu huius Capituli eligendum iudicaverit, deliberandi, tractandi et debite terminandi in plenaria Ordinis potestate, volens et reverenter ordinans dominum Cisterciensem deinceps, soluto generali Capitulo, plenaria Ordinis et Capituli generalis fungi potestate et auctoritate quemadmodum sui praedecessores usi sunt.

33. Cum saepe contingat, quod a partibus valde remotis non possint ardua Ordinis nostri negotia, quae ibidem dietim emergunt, usque ad generale Capitulum pro eorum lucida terminatione deferri, immineantque in pluribus monasteriis illarum partium, necnon in vicinioribus plures casus et necessitates, partim pro valida iurium et libertatum ipsius Ordinis tuitione, partim pro novorum abbatum creatione et provisione quam celeri promovenda, alias vero in visitationis et reformationis committendae defectu, quamplurima inde oriantur incommda, quibus omnibus per generale Capitulum minime subveniri potest, cum ante eius celebrationem talia adeo celerem quandoque provisionem expetant, ut nisi illico eis succurratur Ordo noster in eisdem monasteriis, non modica pati videtur dispendia. Quae quidem generale praesens Capitulum vitare cupiens, et in his ac aliis remedium praebere opportunum, dominum abbatem Cistercii, s. th. pr., de cuius fideli diligentia ad plenum confidit, omnimodam ipsius Ordinis, cessante dicto generali Capitulo, auctoritatem regiminis, ut ea sicut praedecessores hactenus usi sunt, utatur.

34. Licet abbates Ordinis iuxta monasteriorum suorum facultatem teneantur, secundum eiusdem Ordinis saluberrima statuta, scolares Parisios aut alibi ad studia generalia ipsius Ordinis, cum debitis et sufficientibus provisionibus transmittere, tamen quia plerique id, prout ad notitiam praesentis Capituli pervenit et factum ostendit, negligant, frivolas excusationes exinde pro sua defensione allegantes, dominis abbatibus de Claravalle, de Regalimonte et de Caroliloco, s. th. pr., ex parte ipsius praesentis Capituli committitur plenaria auctoritas praefatos abbates, quatinus Parisios suos scolares mittant per censuras Ordinis compellendo ; et nihilominus praedictis dominis de Claravalle, de Regalimonte et de Caroliloco monasteriorum abbatibus com-

mittitur plenaria auctoritas et potestas eundi visitandi et cetera componendi, disponendi, mutandi.

35. Procurator Ordinis in Curia romana similem, sicut praefati abbates, ex parte Capituli generalis habet auctoritatem.

36. Visitationem et reformationem omnium et singulorum monasteriorum Ordinis utriusque sexus et cuiuscumque generationis, in provincia Cantuariensi existentium, praesens generale Capitulum in plenaria Ordinis potestate committit abbatibus de Wardona, de Stratfordia et de Woburnia, cum clausulis per dominum Cisterciensem addendis.

37. Omnimodam Ordinis visitandi et reformandi omnia et singula monasteria eiusdem Ordinis in provincia Eboracensi, utriusque sexus et cuiuscumque generationis existentia, ex parte praesentis Capituli habeant facultatem et auctoritatem abbates de Ryevalle, de Fontibus et de Revesby, in hacque commissione clausulae opportunae per dominum Cisterciensem addantur.

38. Quia plerique abbates Ordinis in commissione data abbati de Charitate per dominum Hymbertum, piae memoriae, Cistercii abbatem, expresse ad solvendam taxam sibi impositam pro conservatione iurium status ecclesiastici in comitatu Burgundiae factae pro iuribus et libertatibus Ordinis tuendis, negligentes et remissi fuerunt, adeo ut iam Ordo ipse in magna pecuniarum summa pro arreragiis ob huiusmodi et similium defectuum teneatur astrictus, praesens generale Capitulum dictam commissionem ad praefatos abbates sub censuris et poenis in eadem contentis compellendos corroborat et confirmat.

39. Lamentabilem in spiritualibus et temporalibus desolationem B. M. de Kyngeswode, ob malum et detestabile regimen abbatis et nonnullorum ipsius monasterii monachorum, audiens generale Capitulum, de Regaliloco, de Thama et Stanley monasteriorum abbatibus, tam coniunctim quam divisim, idem Capitulum praecipit et mandat in virtute salutaris obedientiae, quatinus citius quam commode fieri poterit, ad praefatum monasterium Kyngeswode personaliter accedant, ibidemque visitent et reforment omnia et singula, quae in spiritualibus et temporalibus, in capite et in membris invenerint visitanda et reformanda, in plenaria Ordinis potestate, invocato ad hoc, si opus sit, brachii saecularis auxilio et favore.

40. Quia plures coram hoc praesenti Capitulo super regimine fratris Cremundi et nonnullorum aliorum Ordinis nostri mona-

chorum exhibiti sunt articuli, et quia de eorum veritate non plane constat, abbati monasterii de Grandisilva ex parte praesentis Capituli committitur, ut se diligenter super praemissis articulis contra dictos fratres oblatis informet, informationeque debita facta, si invenerit dictos fratres deliquisse, eosdem secundum suorum casuum exigentiam puniat, in plenaria Ordinis potestate.

41. Generale Capitulum committit de Precibus et de Sylvamelonii monasteriorum abbatibus. et eorum cuilibet in solidum, ut se debite informent vel alter eorum se informet super articulis et processu facto per abbatem de Boquiano contra fratrem Alanum, abbatem de Bona requie, et informatione debite peracta, si praefatum processum terminare possint vel alter eorum possit, idem Capitulum eisdem terminandi plenariam Ordinis confert potestatem, sin alias suam habebunt domino Cistercii quid super sibi commissa invenerint facere relationem.

IUDICES

42. Abbatibus de Regalimonte, de Caroliloco, s. th. pr., et de Vallibus Sernaii, et eorum cuilibet in solidum praesens generale Capitulum committit, quatinus omnes et singulas Ordinis utriusque sexus personas et earumdem monasteria seu quaecumque loca Ordinis, quas et quae per testes fide dignos, litteras obligatorias, registra bursariorum seu officiariorum aut quaecumque alia legitima documenta invenerint collegio Sancti Bernardi Parisiis, seu personis ipsius aut burgensibus seu mercatoribus eiusdem civitatis debite obligari in quacumque pecuniarum seu rerum aliarum summa sive quaecumque eorum bona detinentes, aut indebite occupantes, ad eisdem et eorum cuilibet plenarie et realiter solvendum et satisfaciendum adstringant et compellant, in plenaria Ordinis potestate.

43. Committit generale Capitulum abbatibus de Regalimonte et de Caroliloco, s. th. pr., et eorum cuilibet et in solidum, quatinus abbatem monasterii Caricampi viriliter et exacte per censuras Ordinis compellant, ad satisfaciendum abbatissae et conventui B. M. monialium de Ponte dominarum, de omnibus et singulis arreragiis decem millium alecium annis singulis per praefatum monasterium Caricampi, eidem monasterio Pontis dominarum debitorum, in plenaria Ordinis potestate.

44. Abbatibus de Regalimonte, s. th. pr., et de Valle Beatae Mariae, et eorum cuilibet per se et in solidum, per generale Capitulum committitur, quatinus omnes et singulas Ordinis utriusque sexus personas, quas in redditibus quibuscumque, aut pecuniarum summis, sive quibuscumque debitis vel bonorum detentione invenerint abbati et conventui monasterii Caroliloci, Silvanectensis dioecesis, obligatas et detinentes, ad debite et plenarie per omnes iuris et iustitiae vias et Ordinis censuras satisfaciendum et solvendum cogant et compellant, in plenaria Ordinis potestate.

45. Abbatibus de Tribus fontibus, de Ripatorio et de Longovado, et eorum cuilibet in solidum committit praesens generale Capitulum mandando, quatinus omnes et singulas Ordinis personas, cuiuscumque sexus, status aut gradus existant, quas aut earum monasteria seu quaecumque loca Ordinis invenerint, seu alter eorum invenerint, per testes fide dignos, litteras obligatorias, aut quaecumque sufficientia documenta, obligari aut debite teneri abbati et conventui Claraevallis in aliquibus pecuniarum, vini, bladi aut aliarum quarumcumque rerum summis, ad eisdem aut eorum procuratori et certo mandato plenarie et de facto satisfaciendum, adstringant et compellant in plenaria Ordinis potestate, districtissime omnibus et singulis religiosis Ordinis in presbyteratus ordine constitutis, quibus praesens commissio exhibita fuerit, quatinus citent peremptorie ad dies et horas competentes coram abbatibus aut eorum aliquo omnes et singulas praemissas Ordinis personas, eisdem Claraevallensibus, aut eorum procuratori qui dum institutus fuerit, responsuras.

46. Ad idem, pro abbate monasterii Charitatis, abbatibus de Aceyo, s. th. pr., et de Theoloco.

47. Abbatibus de Charitate et de Theoloco, tam coniunctim quam divisim, per generale Capitulum committitur, quatinus per censuras Ordinis compellant, seu alter eorum compellat sororem Ysabellam Darboz, professam monasterii monialium de Bellomonte, ad restituendum et reddendum abbati et conventui monasterii de Aceyo unum breviarium, eidem sorori Ysabellae per abbatem praefati monasterii concessum, in plenaria Ordinis potestate.

48. Per generale Capitulum committitur abbati de Nigrolacu quatinus, si invenerit abbatem de Prathea, seu alias quascumque nostri Ordinis personas debite in aliqua pecuniarum summa

obligari abbati et conventui de Fontemorum, ipsum abbatem de Prathea et easdem personas ad satisfaciendum per omnes iuris et iustitiae vias et censuras Ordinis compellat, in plenaria Ordinis potestate.

49. Abbati de Tribus fontibus per generale Capitulum praecipitur quatinus, per censuras Ordinis compellat abbatem et officiarios monasterii de Monasteriis in Argona, ad satisfaciendum et refundendum abbati et conventui monasterii de Moris summam triginta scutorum auri per dictum abbatem de Moris solutam magistro Arnulpho, praeposito Trecensi, pro et nomine praefati abbatis de Monasteriis. Huius supradictae diffinitionis expeditioni decima quinta mensis septembris praefatus abbas de Monasteriis se opposuit.

50. Domino abbati de Claravalle, s. th. pr., de Igniaco et de Signiaco monasteriorum abbatibus, et eorum cuilibet per se et in solidum, per generale Capitulum praecipitur, quatinus per omnes iuris et iustitiae vias compellant, seu alter eorum compellat, abbatem monasterii de Cheminione, ad solvendum abbatissae et conventui monasterii monialium de Argensoliis certam bladi quantitatem, per praedictum monasterium de Cheminione singulis annis debitam, ac etiam eiusdem debiti arreragia, in plenaria Ordinis potestate.

51. Generale Capitulum committit abbati de Cambrone, quatinus abbatem de Fusniaco per omnes iuris et iustitiae vias et sub censuris Ordinis, compellat ad solvendum pensionem magistro Ioanni de Pratis, s. th. pr., religioso de Cambrone, assignatam super dicto monasterio de Fusniaco, in plenaria Ordinis potestate.

52. Generale Capitulum firmariis monasterii B. M. de Fonte Danielis districte praecipit et mandat, quatinus magistro Ioanni Tassereau, s. th. pr., dicti monasterii expresse professo, dehinc ad quadriennium satisfaciant de summa viginti scutorum aureorum, pro manutenentia sui status in eodem monasterio, vel Andegavis ; insuper omnibus et singulis eiusdem monasterii regularibus personis idem Capitulum praecipit et mandat, quatinus praefatum magistrum Ioannem Tassereau eadem camera, quam tempore visitationis domini Claraevallis novissime factae occupabat, uti et gaudere permittat ; huiusmodi diffinitionis executionem abbati de Sancto Andrea, s. th. pr., in plenaria Ordinis potestate committitur.

53. Abbatibus monasteriorum de Prulliaco et de Rigniaco ex parte generalis Capituli committitur, quatinus debite inquirant et se diligenter informent super pensione concessa fratri Ioanni de Antissidoro, religioso monasterii Pontigniaci.

54. Ad idem, pro monasterio de Rupibus, eisdem abbatibus.

55. Fratri Petro Blequiel, abbati de Bellobecco, generale Capitulum sub poenis et censuris praecipit et iniungit, ut quod commode citius poterit, reddere omnia insignia pontificalia, quae habet et detinet, vel quae alii quicumque suo iussu et consensu detinent, domino abbati de Bonoportu pertinentia, et quia in ecclesia sancti Landi Rothomagensis rapta fuerunt, idem Capitulum eidem abbati de Bellobecco septem psalmos poenitentiales iniungit pro poenitentia salutari, abbatibus de Mortuomari et de Valle Beatae Mariae, et eorum cuilibet in solidum committendo, quatinus dictum fratrem Petrum abbatem dicti monasterii compellant, in plenaria Ordinis potestate.

56. Capitulum generale damnabilem obstinationem sororis Huguetae du Hamel, dudum monasterii monialium de Portu regio, Parisiensis dioecesis, abbatissae, dolenter considerans, et amplius ferre non valens, quae cum a tempore septem annorum et ultra propter sua demerita a dicta abbatiali dignitate fuerit deposita, et propter morum condignam satisfactionem, delictorum et criminum, carceribus Ordinis mancipata, quibus fractis illicentiata monasterium de Ponte dominarum de nocte exivit, apostatando et fugitiva atque excommunicata, omni divino timore postposito damnabiliter et in praeiudicium suae salutis adhuc in saeculo irreligiose, et non in aliquo Ordinis monasterio manet et residentiam facit, et in detrimentum ipsius monasterii cartas plurimas, litteras, computationes, papiros ac munimenta et alia bona eidem monasterio pertinentia contra iuris aequitatem detinet, quae saepius et iteratis vicibus requisita restituere non vult, in magnum ipsius monasterii detrimentum ; eidem generale Capitulum in virtute salutaris obedientiae, et sub excommunicationis et incarcerationis poena praecipit et mandat ordinatque, quatinus infra quindecim dies ab intimatione praesentis diffinitionis, omnia et singula bona supradicta seu quaecumque alia, quae a monasterio praefato retinet sorori Ioannae de La Fin, modernae eiusdem monasterii de Portu regis abbatissae, cui per arrestum curiae Parlamenti adiudicatum fuit possessorium dicti monasterii de Portu regio, aut eius-

dem loci procuratori realiter et cum effectu tradat et deliberet ; quorum quindecim dierum quinque pro termino, quinque pro secundo et quinque pro tertio et peremptorio ipsum Capitulum sibi praefigit et assignat, et sub eisdem poenis et censuris praecipit et mandat, ut infra unum mensem ab executione huiusmodi diffinitionis in dicto monasterio de Portu regio aut in monasterio Sancti Anthonii iuxta Parisios residentiam sub obedientia abbatissae faciat, alias ex nunc pro tunc, etc. Idem Capitulum generale ipsam sororem Huguetam tamquam inobedientem et rebellem ac excommunicatam denuntiat et declarat ; huiusmodi diffinitionis executionem omnibus et singulis Ordinis abbatibus, prioribus et religiosis presbyteris super hoc requirendis committendo in plenaria Ordinis potestate et ipsius Capituli generalis, invocato ad hoc, si opus fuerit, brachii saecularis auxilio et favore.

57. Generale Capitulum praecipit et iniungit fratri Wilhelmo de Wimersseche, monacho et professo monasterii de Boudelo, sub poenis conspiratorum in statutis Ordinis contentis et etiam carcerum, ne praesumat per auxilium potentum aut quorumcumque saecularium abbatem et conventum dicti monasterii in aliquo vexare super dicti loci abbatiali dignitate ; quod si quocumque tempore vitae suae secus praesumpserit, dictas poenas praesens Capitulum illum nunc pro tunc, etc., declarat incurrisse, praecipitque nihilominus abbati de Cambrone, dicti monasterii patri abbati, quatinus praesentem diffinitionem viriliter et exacte executioni demandet, in plenaria Ordinis potestate.

58. Capitulum generale cum gravi cordis amaritudine suscipiens lamentabilem casum fratris Guillelmi Le Doux, monachi de Domo Dei, alias de Nigrolacu, qui demonis instinctu confratrem suum, fratrem Reginaldum... occidit, iteratis vicibus percutiendo, et quia, ut ex eius processu apparet, rei dabat operam illicitae, nec fuit perplexus articulo inculpatae tutelae, idem generale Capitulum eum iudicans homicidam, illum iuxta formam et tenorem praedicti Ordinis statutorum, in pane tribulationis et aqua angustiae perpetuis condemnat carceribus, salva in omnibus Ordinis misericordia, fratrem vero Reginaldum in cimiterio sepultum sic manere censuit et declaravit.

CONTUMACES

59. Fratrem Alanum de Bonarequie abbatem, per abbatem de Boquiem eius patrem abbatem ad praesens generale Capitulum citatum, nec per se nec per alium comparentem, idem generale Capitulum contumacem declarat et rebellem.

60. Quia frater Germanus Donet, monachus et professus de Pontigniaco, per litteras domini de Firmitate, totius Ordinis auctoritate fungentis, ad personaliter in praesenti generali Capitulo comparendum debite citatus, non comparuit, idem generale Capitulum ipsum eumdem fratrem Germanum contumacem declarat et rebellem ; huiusmodi diffinitionis executores sunt dominus de Claravalle et de Prulliaco monasteriorum abbates vel alter eorum, in plenaria Ordinis potestate.

61. Praesens generale Capitulum fratres Guillelmum de Moncello, monachum et professum de Bellobecco, se abbatem de Fulcardimonte asserentem, Ioannem Fromont, monachum professum de Sancto Andrea, Ioannem Cochois, monachum et professum de Bellobecco, Adam Aphare, Guillelmum Burgensem, Guillelmum de Templis et Robertum de la Haye in dicto monasterio Fulcardimontis monachos et professos, ad praesens Capitulum debite et sub poena excommunicationis personaliter citatos, non comparentes per se nec per procuratorem, contumaces iudicat, et pro contumacia excommunicatos denuntiat, de Lanneyo et de Belloprato monasteriorum abbatibus committendo ut praesentem diffinitionem executioni demandent, in plenaria Ordinis potestate.

62. Ad idem, fratres Ioannes Rogier senior, Michael le Guilletim, Guillelmus Bisoul, Thomas Lorseure, Lucas Gaulthier, monachi et professi in monasterio de Persenia, debite personaliter et sub poena excommunicationis citat ad praesens generale Capitulum, non comparentes, ex parte Capituli tamquam contumaces excommunicati denuntiantur, abbati de Sancto... huiusmodi diffinitionis executio committitur, in plenaria Ordinis potestate.

63. Omnes et singulos abbates et monachos ad praesens generale Capitulum debite citatos et non comparentes, praesens generale Capitulum contumaces denuntiat et excommunicatos ; et nihilominus ut hi poenitentiam salutarem assequantur, rursus citantur ad futurum generale Capitulum, alios vero non citatos,

attentis guerrarum tempestatibus disturbationibus et periculis hac vice benigne et misericorditer habet supportatos et excusatos.

64. Comparuit coram domino Cistercii ceterisque Diffinitoribus magister Nicolaus de Laquisnaye, in artibus magister et in decretis licentiatus, tamquam procurator et nomine procuratorio fratris Ioannis Haz et stans iudicio patrum, quantum poterat, applicando totam vim sui procuratorii.

65. Ex parte Capituli generalis citatur abbas de Savigniaco ad personaliter comparendum in futuro et proximo generali Capitulo, ibidem responsurus ad ea quae sibi proponentur per causarum promotorem.

[DIFFINITIONES] GENERALES

66. Cum nihil tam contrarium statui religiosorum quam vitium paupertatis (*sic, pro*: proprietatis) et dignoscatur et ad audientiam praesentis Captuli pervenerit, quod nonnulli nostri Cisterciensis Ordinis regulares personae, suae salutis immemores, adeo in praedicto paupertatis (*sic*) vitio demergantur, ut contra suae professionis statum saluberrimum vineas, terras, stagna ac animalia diversarum specierum, et possessiones particulariter in suae salutis maximum detrimentum possidere non vereantur, hoc vitium, ne detur occasio periculi animarum, cupiens, praesens Capitulum radicitus amputare praecipit omnibus et singulis abbatibus Ordinis universi, ut nullo modo permittant suos religiosos vineas, terras, stagna, animalia, apes et huiusmodi possidere, sed omnia talia communi monasteriorum utilitati applicentur, rebelles vero et inobedientes per censuras Ordinis et poenas taliter compellantur, quod ceteris transeat in terrorem.

67. Ad audientiam praesentis Capituli generalis pervenit quod in nonnullis monasteriorum dicti Ordinis dormitoriis camerae et camini construuntur, commessationes tam de die quam de nocte ibidem frequentantur, et in Ordinis non modicum scandalum multa enormia perpetrantur, idem generale Capitulum huiusmodi insolentiis et dissolutionibus obviare cupiens, districtione qua potest, mandando praecipit, ut omnes camini a 50 annis citra in dictis dormitoriis constructi diruantur, et camerae ad formam Ordinis construantur, patribus abbatibus

districte praecipiendo, ut hanc diffinitionem viriliter et exacte executioni demandent, rebelles et contradicentes per censuras et poenas Ordinis compellendo, in plenaria Ordinis potestate.

68. Festum Visitationis divae Virginis Mariae. — Cum ad eximias laudes intemeratae Dei Genitricis Mariae, per quam humano generi aeterna salus credita esse dignoscitur, exsolvendas, devotus quilibet christianae religionis affectus excitari debeat, eo tamen studiosius ac ferventius ad id conari debemus, quo sacer Ordo noster a tam benignissima Dei matre spiritualium charismatum ampliora divinitus suscepisse gaudet incrementa, quibus veluti rore cœlesti perfusus, non mediocriter proficiens non tam copiosam monasteriorum multitudinem miro et ornatissimo cultu instructam, quam in patribus nostris sanctam conversationem nobis suae posteritati in benedictione reliquit imitandam, et hodierdis diebus, proh dolor ! tot adversis flatibus, tum ex huius infelicissimi temporis dira voragine, tum ex quorumdam saecularium ac aliorum importune quaerentium quem devorent nepharia ambitione incursantibus adeo concutitur, ut ruptis iam ex magna parte compaginibus vix sibi plura membra cohaereant, nam alieni monasteria violenter invadunt et occupant bona ipsorum, partim fratribus ibidem Deo famulantibus, partim pauperibus Christi eroganda, partim in ipsorum monasteriorum reparationem et alios usus convertendae suae propriae indulgent, non dicamus ingluvies, sed voluptati, quo fit ut divinus cultus, vitae sanctimonia et puritas, ac omnis fere observantias regularis penitus in claustris videatur extincta. Quibus et aliis quamplurimis ipsorum monasteriorum miserandis cladibus et eiusdem Ordinis gemebundis langoribus mederi praesens generale Capitulum summopere desiderans, ad praesidium benignissimae Matris Dei singulari quadam devotione recurrendum fore intelligit, quod ut ipsum nostrum Ordinem sacrum tantis oppressum iacturis, ipsa pia Dei Mater, eiusdem patrona et singularis advocata, consolari, visitare et tueri dignetur, idem Capitulum generale hortando permittit et concedit omnibus et singulis eiusdem Ordinis regularibus personis festum Visitationis ipsius gloriosae Virginis Mariae ad sanctam Elisabeth, secunda die iulii cum debita solemnitate plenariam celebrandi facultatem.

69. De notione populi christiani quam dietim gloriosus Dei almificus confessor Alredus, suis novis et antiquis miraculis

in ecclesia B. M. de Rievalle in Anglia excitare dignatur, praesens Capitulum generale sinceris amplectens affectibus ipsum benignis prosequi favoribus summopere desiderans statuit, diffinit et ordinat, quatinus in singulis nostri Ordinis monasteriis in dicto regno consistentibus die solemnitatis dicti gloriosi confessoris Alredi fiat festum cum XII lectionibus.

70. Cum sigilla tam Diffinitorum quam suffragiorum in manibus domini Ioannis Falco, abbatis Sancti Bernardi extra muros Valentinos, tunc generalis nostri Cisterciensis Ordinis procuratoris in Curia romana, veluti in tuto posita et ab obitu piae memoriae domini Hymberti novissimi Cistercii abbatis, qui propter eiusdem Ordinis ardua negotia expedienda ad praefatam Curiam romanam ex ordinatione generalis Capituli ea detulerat, remaneant, nec possit pro nunc ipsorum sigillorum, prout opus esset, copia haberi, praesens generale Capirulum ordinat, statuit et diffinit, ut praesentis Capituli generalis diffinitiones, procuratoria et alia Ordinis agenda magno sigillo domini Cistercii, in absentia praefatorum accommdando sigillentur, eademque ac tanta fides diffinitionibus, procuratoriis, suffragiis ac aliis Ordinis agendis, dicto sigillo communitis adhibeatur, ac si praefatis sigillis Ordinis ad hac specialiter deputati sigillarentur.

71. Etsi propter legitimas causas iuxta sanctorum patrum antiqua instituta et consuetudines expresse caveatur, ut domini domini episcopi non intersint nostris congregationibus, conventionibus et capitulis specialibus sive generalibus, praesens tamen Capitulum attendens et considerans benevolum effectum et specialem devotionem, quam habet dominus episcopus Crisopolitanus, abbas de Bonoportu, ad ipsum nostrum Ordinem, utpote qui ab ineunte aetate in eodem alitus fuit et educatus, in eoque et sub habitu ipsius tamquam abbas unus perseverat honeste, cum eodem domino episcopo idem Capitulum benignissime dispensat, ut non obstantibus dictis consuetudinibus et statutis, in praesenti Capitulo cum aliis Ordinis patribus in omnibus agendis, consulendis, statuendis et diffiniendis pro hac vice dumtaxat admittatur, tali pacto, quod huiusmodi concessio temporibus futuris non cedat in ipsius Ordinis praeiudicium vel gravamen, seu qualemcumque pro aliis consimilibus consequentiam, quin potius hoc non obstante, dictae consuetudines et statuta in suo robore permaneant.

72. Coram Diffinitoribus praesentis Capituli generalis, perso-

naliter constitutus venerabilis dominus Georgius abbas monasterii B. M. de Monasteriis in Argona, et nomine procuratorio venerabilis et religiosi viri domini Nicolai Thierry asserti abbatis monasterii Morimundi, passato et recepto in manu honorandi magistri Stephani Bardin, notarii publici, anno Domini 1476, indictione nona, mensis vero septembris die 11, ac pontificatus Sanctissimi Domini nostri Sixti, Divina Providentia Papae IV, anno 6°, prout ipsi Capitulo generali legitime fides facta est, rite fundatus, et protestatus pro parte dicti Nicolai protestationes contentas in quadam cedula papirea proposuit, et in scriptis dedit, admitti petiit, et de eis sibi per dictos Diffinitores praesentis generalis Capituli responderi instanter requisivit in modum qui sequitur : Cum protestationes sint a iure adeo inventae, ut per eas protestantibus iura eorum conserventur, et per aliquos actus fiendos non appareat seu constet de aliquo consensu tacito protestantium, ut notatur in [cap. 9]. *Cum M. Ferrariensis,* [tit. II] *de Constitutionibus,* et maxime quando protestans protestatur de iure, quod eum tangit, ut per protestationem aliquod periculum evitet, faciunt ad hoc notata in t. [III, 39] *de Censibus,* et in cap. [3] *Bonae* [in libro I, tit. 5] *de Postulatione praelatorum,* et in *Libro pro haerede* ff. *de Acquirenda haereditate,* et ita notavit Hostiensis, Ioann. Andr. et Inn. dominus Ouche et Panormitanus, et cap. *Cum Ferraren.,* ubi late examinant hanc materiam *de Constitutionibus,* et glossam *Archidiaconis* et can. *Diaconi,* XXXVIII dist. saepe per tacitum consensum quis iuri suo derogat, et ille videtur tacite renuntiare, maxime quando talis tacitus consensus est repugnans et contrarius iuri suo, ut de hoc est casus, in cap. [3, III, 11] *Ex ore,* cum ibidem notatis per glossam Innoc. Hostiens. Ioann. Andr. et demum cap. 11 *De hiis quae fiunt a minori parte capituli,* faciunt ad hoc notata in ea [cap. 25] *Quamvis,* [tit. XXVII] *De re iudic.* et notata in re *Horrendus* XXXII q. 5. et in cap. [50] *Cumana,* cum ibidem notans [I, 6] *de Elec.,* et quod voluerunt domini de Rota quaestione sua XL, quae incipit : *Item, si quis cum prophana* ; et ad haec faciunt notata per Ioann. Andr. in quaestione dominicali quae incipit *Aliquis fuit electus,* de electo ad dignitatem, cuius praebendam eo praesente et non contradicente et episcopus contulit alteri cuius ea post electione cassat repetere praetendam non potest, de quo ibidem latius per eum, quia tacite videtur suae praebendae renuntiasse consentiendo

tacite et non contradicendo, quando episcopus illam contulit. Et ideo ego frater Georgius, abbas monasterii de Monasteriis in Argona, constitutus procurator personaliter et nomine reverendi patris domini Nicolai Thierry, abbatis electi canonice et confirmati ac benedicti in abbatem Morimundi, et existens coram vobis, reverendissimo in Christo patre et domino, domino Dei gratia abbate huius sacri loci Cistercii et praesidente in hoc Capitulo generali universalis religionis et Ordinis Cisterciensis, et coram vobis, reverendis patribus et dominis Diffinitoribus eiusdem Capituli generalis, dico et propono, quod ipse praefatus dominus Nicolaus praetendit se esse electum canonice, iuste et sancte confirmatum ac benedictum secundum dispositionem sacrorum canonum et iuris canonici, et secundum statuta et ordinationes dicti Ordinis Cisterciensis ad dictam abbatiam Morimundi, dictamque abbatiam sibi de iure pertinere, debereque sibi propterea assignari locum a dicto Capitulo generali, qui solet assignari dictis veris abbatibus ipsius abbatiae Morimundi, et ipsum pro tali ab ipso Capitulo generali teneri et reputari, non obstantibus oppositionibus et contradictionibus sibi factis per quemdam fratrem Anthonium de Boscorotundo, qui praetextu cuiusdam praetensae sententiae latae per honoratissimos dominos deputatos ad cognoscendum de causis evocatis ad magnum christianissimi domini nostri Francorum regis super possessorio dictae abbatiae, dictumque fratrem Anthonium minime recipi debere veluti abbatem dictae abbatiae, nec sibi assignari locum in Capitulo generali, nec alibi tamquam vero abbati, potius ipsum a dicto Capitulo generali et loco abbatis Morimundi excludi, tamquam nullum ius habentem in ipsa abbatia ; et ita peto, supplico et requiro fieri et ordinari; quia si secus fieret, quod non credo, protestor in his scriptis pro et nomine dicti domini Nicolai, quod per quemcumque actum factum vel fiendum in isto generali Capitulo et aliis futuris vel extra non intendo nec intendit ipse praefatus dominusNicolaus iuri quo quod habet in dicta abbatia sibi derogari tacite vel expresse, sed suum ius sibi in omnibus et per omnia salvum esse, nec per quemcumque actum factum vel fiendum voluntarie vel compulsive huic protestationi contrarium directe vel indirecte non intendo nec intendit dictus dominus Nicolaus ab ista sua protestatione discedere, sed illam sibi salvam fieri, et ita protestatur expresse cum potestate addendi, minuendi, corrigendi, etc. ut moris est. Et quam protes-

tationem admitti per vos, reverendissimum in Christo patrem et dominum dominum abbatem Cistercii, praesidentem et caput totius huius Capituli generalis et totius Ordinis Cisterciensis, et vos reverendos in Christo patres et dominos Diffinitores huius Capituli generalis ; et dicta protestatione una cum responsione vestrae peto et petit idem dominus Nicolaus protestans sibi fieri per vos dominum Iacobum du Brouquet, notarium apostolicum, instrumentum vel instrumenta, astantes pro testibus invocando, quas quidem protestationes praesens generale Capitulum quantum potest admittit, et eisdem defert et acquiescit.

73. Quia causae et rationes per dominum abbatem Claraevallis in hoc praesenti Capitulo allegatae et deductae cuidam oppositioni per eumdem factae congruere videntur, idcirco dictam oppositionem, ut scilicet abbas Morimundi modernus aliqua monasteria suo Claraevallensi monasterio mediate aut immediate subiecta visitet, idem praesens generale Capitulum tamquam rationi consonam admittit et acceptat.

74. Caripendens generale Capitulum religiosam devotionem, piamque et tranquillam sanctae religionis culturam patrum et regularium personarum Ordinis in insigni Germaniae natione, illamque paterno affectu fovere et augere, ac eidem ascendenti de virtute in virtutem gradus toto spiritu preparare, necnon omnem scandali et offensionis occasionem praesertim eam quae ex imperitorum visitatorum defectu accidere posset, impedire cupiens, certis iustis et rationabilibus causis inclinatum humiliter supplicat domino Cisterciensi, et quantum sub reverentia et honore principali potest, ordinat, praecipit et mandat eidem, ne quamcumque commissionem visitandi, reformandi, seu quoscumque actus Ordinis faciendi aut onus seu licentiam quascumque pecunias levandi seu exigendi deleget aut committat domino Morimundi moderno aut alteri, in dicta natione Germaniae aut alibi, nisi his dumtaxat, qui per dictum generale Capitulum fuerint nominati, donec per generale Capitulum fuerit aliter dispositum. (Vide circa finem Cap. gen. de 1481).

REHABILITATIONES

75. Ad humilem supplicationem abbatis de Boudelo, praesens generale Capitulum misericorditer dispensat cum sorore Magdalena Ymane, religiosa et professa monasterii de Zinneque

[Zwiveke], ut non obstante infamiae nota et inhabilitate quam incurrit ex carnis contagio, puerperio subsecuto, possit nihilominus ad omnes actus, voces, officia, dignitates assumi etiam abbatiali dignitate inclusa, praecipiens omnibus et singulis dicti monasterii regularibus personis ne super huiusmodi infamiae nota eidem sorori insultent vel improperent.

76. Ad instantiam et humilem supplicationem abbatis monasterii de Heimardo, praesens generale Capitulum misericorditer dispensat cum fratre Gothfrido monacho suo, ut non obstante apostasia per eum perpetrata, habitu regulari temerarie deiecto, super quo poenitentiam sibi iniunctam humiliter et devote peregit, ad omnes Ordinis actus legitimos, gradus voces, officia, beneficia, abbatiali seclusa dignitate, promoveri valeat et admitti.

77. Ad idem, pro fratre Hugone, monasterii de Calercio, ut non obstante contagio carnis possit ad omnes Ordinis actus legitimos promoveri, abbatiali seclusa dignitate.

78. Ad idem, pro fratre Erardo Butrer, monasterii de Caroloco, qui per spatium novem mensium, tempore guerrarum, apostatavit.

79. Ad idem, pro fratre Ioanne Hannot, monasterii de Laude monacho, ut non obstante infamiae nota quam incurrit ratione libelli infamiae, super quo aliqualiter convictus extitit, ac etiam super impositione falsi, possit ad omnes Ordinis gradus, etc., admitti, abbatiali inclusa dignitate.

80. Ad idem, pro fratre Petro de Lebare, monasterii B. M. de Valloliis, ut non obstante apostasia, habitu regulari temerarie dimisso, et contagio carnis, ac etiam percussione et usque ad sanguinis effusionem vulneratione, rehabilitetur ad omnes actus Ordinis.

81. Ad idem, pro fratre Dominico de Martigniaco, monasterii Morimundi professo, ut non obstante contagio carnis, et quod illicentiatus a praefato monasterio Morimundi recessit.

82. Generale Capitulum saluti animarum providere cupiens benigne et misericorditer dispensat cum abbate monasterii de Gratiis, iuxta Londinium, ut semel possit eligere Ordinis nostri confessorem, qui eum absolvat ab omnibus peccatis, casibus et excommunicationum sententiis eidem Capitulo specialiter reservatis, quodque omnes regulares personas sibi subiectas in foro conscientiae audire possit, et a similibus peccatis et excom-

municationibus cum pœnitentia salutari absolvere, necnon cum ipsis super irregularitatibus dispensare, ac etiam usque ad numerum quatuor personarum in provincia Cantuariensi sibi subiectarum ad omnes Ordinis actus legitimos, gradus, voces et officia, beneficia, administrationes et dignitates, etiam abbatiali dignitate inclusa, rehabilitare.

SUFFRAGIA

83. Humilem et devotam abbatis monasterii de Tilteia supplicationem per abbatem de Wardona exhibitam, praesens generale Capitulum benigne suscipiens, suffragia et alia bona spiritualia, quae Domino concedente fiunt ac de cetero fient in toto Ordine nostro, alias in favorem capellae Sancti Thomae indulta sub sequenti forma, videlicet, etc.

84. Pro illustrissimo principe domino comiti Nivernensi ac eius nobili uxore.

85. Pro nobili domina Guillemeta comitissa de Brena.

86. Multi alii habuerunt suffragia quorum nomina in prothoكloco non reperiuntur.

87. Fuit etiam littera facta domino comiti Nivernensi intimando, quod fiet bona iustitia super rescriptis suis gratias eidem agendo super bona affectione quam habet ab Ordinem, qua de causa sibi suffragia mittuntur per abbatem de Ellancio [c]. Fuit etiam littera facta domino de Sichanes pro abbatia de Buxeria.

PROCURATIO QUAEDAM GENERALIS

88. Praesens generale Capitulum sufficienter et debite in Spiritu Sancto congregatum, possetenus volens providere manutenentiae et conservationi iurium, libertatum et privilegiorum Ordinis ac diversis emergentibus undique persecutionibus, incommodis et invasionibus obviare, innumerisque malis et periculis imminentibus succurrere, matura deliberatione praehabita, pro bono, utilitate, honestate, defensione, tuitione, promotione et conservatione totius Ordinis et personarum ipsius, tam in generali quam in speciali, fecit, constituit, creavit et ordinavit,

---

[c] *Leg. forsan* Calercio.

ac per praesentem diffinitionem facit, constituit, creat et ordinat venerabiles et in Christo carissimos... *(locus vacuus)* monasteriorum abbates,necnon dilectos religiosos fratres eiusdem Cisterciensis Ordinis... *(locus vacuus)* ac etiam venerabiles discretos et scientificos viros magistros... *(locus vacuus)* totius Ordinis Cisterciensis praedicti veros, certos, legitimos et indubitatos procuratores, syndicos, yconomos, negotiorum gestores generales et nuntios speciales, in omnibus et singulis causis, querelis, controversiis et negotiis ipsius Ordinis ac personarum eiusdem motis ac movendis, contra quascumque personas ecclesiasticas, saeculares vel laicas, tam etiam pro toto Ordine ac personis eiusdem, quam contra praefatum Ordinem et singula ipsius membra et eorum quemlibet in solidum, coram quibuscumque iudicibus tam ecclesiasticis quam saecularibus, tam ordinariis, delegatis, subdelegatis, quam arbitris et amicabilibus compositionibus, in quocumque foro praesidentibus seu pro iudicibus aut loco iudicum in iudicio sedentibus et locatenentibus eorumdem, dans et concedens idem Capitulum generale dictis procuratoribus plenam et liberam potestatem et mandatum speciale agendi et dicendi pro toto praedicto Ordine, rebusque et bonis ipsius Ordinis, ac omnium et singulorum monasteriorum ac membrorum et personarum eiusdem defendendi, conveniendi, reconveniendi de locis, iudicibus, locaque et iudices eligendi et nominandi, et si necesse fuerit, recusandi, adnotandi, forum et iudicium declinandi, libellum seu libellos offerendi, et oblatum seu oblatos recipiendi, excipiendi, proponendi, replicandi, duplicandi, triplicandi et quadruplicandi, litem seu lites contestandi, iurandi quoque in animas nostras, de calumnia seu veritate dicenda et praestandi cuiuslibet alterius generis iuramentum, quod in causis exigitur et postulat iuris ordo, ponendi et articulandi, positionibus et articulis pro parte adversa productis respondendi, testes, acta, privilegia, iura, consuetudines et instrumenta, in et per modum probationis producendi et exhibendi, testes iurare videndi, dicendi in testes partis adversae seu partium adversarum, et eorum dicta reprobandi, ac etiam litteras, acta, privilegia et instrumenta pro parte adversa producta, copiamque productorum et exhibitorum petendi et obtinendi, in causa seu causis concludendi, compromittendi, pasciscendi, transigendi et concordandi, prorogandi semel vel pluries, compromissum suum seu compromissa, et ea fide et poena vallandi, et eis, si expediens

fuerit, renuntiandi, ostensiones locorum faciendi, interlocutorias, arbitrales et diffinitivas audiendi, ab eis et quolibet gravamine iudiciali vel extraiudiciali appellandi, appellationem suam seu appellationes suas prosequendi, intimandi, innovandi, apostolicos expendendi, petendi et recipiendi, et super ipsis iurandi, beneficium absolutionis simpliciter vel ad cautelam et restitutionis in integrum, si et quando necesse fuerit, impetrandi et obtinendi reverentiam de bonis et rebus ipsius Ordinis, ac omnium et singulorum monasteriorum ac membrorum, necnon personarum eiusdem petendi et obtinendi, omniaque Ordinis privilegia, tam communia quam particularia, nova et vetera, ut interinentur secundum eorum formam procurandi, ac prosequendi, eaque quoties et ubiucmque expediens et opportunum fuerit per se sive per alium publicandi, denuntiandi, defendendi et, ubi opus fuerit, executioni demandari faciendi et agendi ; ipsorumque infractoribus per omnes iuris et iustitiae vias obviandi, et contra dictos infractores secundum tenorem eorumdem privilegiorum procedendi, unum vel plures procuratorem vel procuratores substituendi, qui substitutus vel substituti consimilem in praemissis et singulis praemissorum habeat vel habeant potestatem, et ipsos substitutum vel substitutos, quoties sibi videbitur opportunum, revocandi, praesentibus nihilominus in suo robore duraturis ; fugitivos, apostatas et omnes et singulas personas Ordinis, absque licentia et litteris in Ordine solitis abbatum, discurrentes seu evagantes ubicumque fuerint capiendi, incarcerandi, puniendi, et ipsas incarceratas seu captas a quibuscumque repetendi, et cum expensis suorum monasteriorum ad propria remittendi ; et generaliter omnia et singula faciendi et exercendi, praeter mutui contractum et contributionum seu aliquarum pecuniarum Ordinis receptionem, quae totus Ordo praedictus faceret seu facere posset et deberet, in praemissis et singulis praemissorum, et quae possunt et debent facere veri et legitimi procuratores, etiam si mandatum exigant speciale, ratum et gratum habentes et habituri quidquid per dictos procuratores nostros vel eorum quemlibet, seu per ab eisdem substitutos vel substitutum, actum, factum gestumve fuerit, seu etiam procuratum in praemissis et quolibet praemissorum, promittendo sub hypotheca et obligatione omnium bonorum ipsius Ordinis praedicti mobilium et immobilium, si necesse fuerit, judicatum solvi et iudicio sisti cum suis clausulis opportunis. Datum sub appen-

sione sigilli nostri fratris Ioannis abbatis Cistercii praedicti, per accomodationem loco sigilli Diffinitorum, loco, die, mense et anno praedictis.

1477

Acta pro et loco Capituli generalis anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo septimo.

1. In nomine Domini, Amen. Per hoc praesens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter et sit manifestum, quod anno a Nativitate eiusdem Domini 1477, Indictione 10ª, die vero veneris post festum Nativitatis B. M. Virginis, 12ª mensis septembris, hora 7ª de mane vel circa, pontificatus Sanctissimi in Christo Patris ac Domini nostri Domini Sixti, Divina Providentia Papae IV anno 7º, in domo Cistercii apud Divionem sita, in mei, fratris Guillelmi monasterii de Longovado abbatis notariique Capituli generalis ultimate apud Cistercium celebrati, ac reverendorum in Christo patrum dominorum de Firmitate, de Pontigniaco, de Morimundi, de Claromonte, de Boquean, de Crista, de Nigrolacu et de Conway, ac aliorum inferius nominatorum et in testium assumptorum abbatum, necnon discreti viri Iacobi du Breucquet publici apostolica et imperiali auctoritatibus notarii subscripti praesentia, personaliter constitutus reverendissimus in Christo pater dominus Ioannes abbas Cistercii, s. th. pr., qui quidem dirigendo verba sua reverendis patribus supra et infra scriptis talia verba vel in effectum similia protulit in hunc modum : Venerabiles fratres et patres, vos scitis, quod pro negotiis totius Ordinis Cisterciensis est a sanctis patribus nostris constitutum et ordinatum, ac per Sedem Apostolicam confirmatum quolibet anno, 12ª die mensis septembris apud Cistercium se congregare ad generale Capitulum celebrandum, et ut assueverunt praedecessores mei venire in hac villa ante dictam congregationem veni ut scirem a vobis, si vos vultis anno isto dictum Capitulum generale celebrare sicut fuit ab antiquo

1477. *Fons unicus* : *L*[5]; *quae enim citantur statuta huius anni apud M et P*[2] *referenda sunt ad annum praecedentem.*

institutum. Et me offero, praesto et paratus sum facere quae ad me pertinent secundum Deum et sancta regularia nostra statuta. Qui quidem reverendi patres sincerissime dixerunt et responderunt eidem reverendissimo patri domino Cistercii in modum qui sequitur : Reverendissime in Christo pater ac domine noster colendissime, vos scitis, exigentibus guerris in regno Franciae et maxime in partibus Burgundiae, pericula quae quotidie partibus eveniunt, et miramur, quomodo vos venistis in hac villa sine personae vestrae periculo, et ideo vobis humiliter supplicamus et requirimus, ut nullum pro isto anno teneatis Capitulum, quia esset periculosum, nec Cistercium, in quo consuetum est ab antiquo et debetur secundum Ordinis instituta et scripta celebrare generale Capitulum, tum propter guerras et latrones in nemoribus existentibus et alia plurima pericula euntibus et redeuntibus forsitan accidentia, tum quia pauci sumus ad diffiniendum et tractandum negotia Ordinis, et quia sumus pro veritate informati quod habetis potestatem totius Capituli generalis, precamur vos, quatinus hoc Capitulum usque ad annum futurum continuare et prolongare dignemini, et interim usque ad Capitulum futurum omnia Ordinis negotia secundum potestatem vestram, et vobis concessam tractare et appunctare, in quo Capitulo auxiliante Deo poterimus nos et alii patres Ordinis venire et omnia quae Ordinem nostrum tangunt debite tractare. Qui quidem reverendissimus pater, auditis allegationibus supradictis protestatus est, quod ista interruptio temporis nec monasterio suo nec Ordini Cisterciensi praeiudicare possit ; ex quo se obtulit et offert omnia dignitatem suam tangentia facere tractare et adimplere, et hospitia, victualia et alia assueta in Capitulo generali apud Cistercium ministrare; et his hinc inde dictis et allegatis, dictus reverendissimus pater de eorumdem reverendorum patrum supra et infra designatorum consilio et assensu continuavit et continuat Capitulum generale usque ad 12^{m} diem mensis septembris anni futuri, scilicet 1478, continuando etiam, quantum in eo est, causas in dicto Capitulo pendentes usque ad dictam diem in eodem statu in quo sunt ; in cuius rei testimonium, ego frater Guillelmus praedictus debite requisitus hoc praesens publicum instrumentum signo meo manuali consueto una cum praenominato Iacobo notario subscripto signavi. Acta fuerunt haec, anno, die, mense, indictione, pontificatu et loco supradictis, praesentibus ibidem

superius dictis reverendis patribus, necnon dominis de Maceriis, de Landesio et de Vallibus in Ornesio abbatibus testibus ad praemissa vocatis specialiter et rogatis.

2. Reverendissimus in Christo pater dominus Cisterciensis amantissime compatiens lamentabilibus ruinis, persecutionibus et damnis Ordini passim ob defectum virilis defensionis privilegiorum dudum et recenter a Sancta Sede Apostolica gravibus cum expensis et laboribus impetratorum et Ordini indultorum emergentibus, decreverat mentem suam super possibilibus remediis tantorum malorum, patribus quos in generali Capitulo praesentis anni congregari sperabat manifestare, quatinus communi totius Ordinis assensu, consilio et labore praemissis gravaminibus, incommodis et inquietudinibus modis possibilibus obviaretur, cernens autem quod propter guerrarum discrimina, quasi nulli patrum ad ipsius generalis Capituli celebrationem accedere possint, faciendo tamen quod in se est, ne vel sic Ordinis agenda, aut per ipsum aut alios negligantur, licet inter varios tribulationum anfractus oppressus, memoriale sequens confecit, ipsumque studiose per orbem universum diversis Ordinis partibus magno cum labore destinavit, ut saltem scripto omnium patrum corda ad bonum commune Ordinis excitet et commoveat, ipsosque promptiores ad proximum Capitulum reddat ; eiusmodi autem memorialis tenor est talis :

Frater Ioannes, abbas Cistercii, paternis visceribus ac ingenti charitate honori et commodo Ordinis affectus, fundamentis ruinae temporalis ipsius Ordinis succursum iri cupiens spiritualem ad aliam considerationem remittendum proponit Ordinis patribus veras et principaliores huiusmodi ruinae causas sub titulis sequentibus ut eisdem communi totius Ordinis voluntate et diligentia ocius tandem succurratur.

— In primis, siquidem, experientia docente, graviora Ordinis damna emergere videntur ex defectu bonae et virilis defensionis privilegiorum Ordinis, tam apud Summum Pontificem, quam apud serenissimos dominos reges et principes temporales ac eorum officiarios, ad resistendum commendatariis et aliis infractoribus eorumdem privilegiorum Ordinis ; quae quidem diligentia non nisi magnis sumptibus fieri posset. Cum autem Ordo nihil aut parum habeat in communi, causa tanti mali videtur esse ipsa paupertas Ordinis, maxime cum non desint patres benevoli, qui mente integra corpus et vitam defensioni matris exponerent,

si necessaria adminicula reciperent ; siquidem ea videtur esse totius et partium ratio ; videmus autem in quolibet monasterio particulari, imo in omni communitate, quod ubi singuli ad particulares non communes tendunt utilitates, necesse tandem et in brevi rem illam communem seu communitatem ad perditionem devenire ; per oppositum vero si spretis particularium commoditatibus omnes utilitati publicae invigilent, illam prosperari, et reflorere necesse est, sic absque dubio in nostra republica contingere existimandum, cui rei magnam romanorum scripta et acta afferunt confirmationem, sed multo maiorem primaeva ipsius Ordinis nostri institutio, observantia et augmentatio, ipse quidem vehementi omnium patrum vigente affectu ad bonum commune, Domino iuvante, brevi tempore crevit in immensum ; sic Cœlestinensium religio, quae unam omnium monasteriorum fertur habere bursam conservatur, sic Cartusiensium, sic Sanctae Iustinae congregatio, Verberatorumque seu disciplinatorum copiosa per Italiam dilatatio, cetereaque religiones et communitates statum suum conservant et amplificant, imo quidem mirabilius est tali studio et regimine pullulant omnium aliorum, qui dicuntur Minores, ex quo infallibile sumi potest argumentum, quod communis paupertas Ordinis ultra causas speciales causa primordialis et principalis est temporalis ruinae seu iacturae Ordinis, ut merito dicere possit : « infirmata est in paupertate virtus mea ».

— Haec autem communis paupertas temporalis paupertati spiritus multum adversa ex duobus provenisse videtur, videlicet ex indebito modo colligendi contributiones Ordinis, et de ipsis sufficientem computum faciendi, quo fit, ut a multis diebus decima aut duodecima earum pars non venerit in utilitatem Ordinis, paucissimique sint de Ordine qui sciant unde veniant aut quo vadant dictae contributiones, quapropter multi renuunt eas solvere, credentes et dicentes easdem non ad communem Ordinis, sed ad aliquorum particularium utilitatem converti. Secundo, tanta Ordinis paupertas provenire videtur ex eo quod super illa modica portione contributionum, quae levatur et recipitur, certa Ordinis monasteria levant et percipiunt singulis annis magnum censum seu redditum, quo in primis et ante omnia accepto, remoto et defalcato singulis annis super dictis contributionibus nunquam vel raro residuum contributionum ascendit ad 300 vel 400 fl. pro communibus Ordinis necessita-

tibus, collegiis et expensis Capituli generalis ; et ideo singulis annis existunt debita Ordinis ad Cistercium de ducentis aut quadringentis francis in magnum gravamen Cistercii, prout evidentius constare potest per computationes Ordinis, quas praefatus dominus Cistercii desiderat monstrare Capitulo generali, nec videtur eidem domino Cistercii medium quo Ordo a tantis desolationibus relevari possit, nisi super hac paupertate communi per patres Ordinis de remedio provideatur opportuno.

3. Ipsi autem domino Cistercii zelo Dei Ordinem zelanti pro bono, relevatione et reintegratione Ordinis, ad ponendum formam et modum in praemissis videtur quoad primum esse necessarium instituere in qualibet provincia unum commissarium Ordinis ad perceptionem dictarum contributionum, quorum propinqui annis singulis, remoti autem de biennio in biennium, remotiores vero de triennio in triennium teneantur afferre aut mittere contributiones singulorum monasteriorum secundum antiquam astallationem domino Cistercii et facere summas omnes bonas ponendo in computationibus nomina singulorum monasteriorum suae commissionis, et quotas eorum iuxta antiquam astallationem ; ipse vero dominus Cistercii reddet integras computationes omnium contributionum secundum computa singulorum dictorum commissariorum declarando multum ad longum receptas singulorum dictorum commissariorum et afferendo in medium singulas computationes eorum et registrum, ut patres Ordinis, sive in Capitulo generali coram omnibus, sive coram deputatis per dictum generale Capitulum, prout singulis annis dicto generali Capitulo pro meliori videbitur clare omnia videant et cognoscant. Et hoc medio, ipsae contributiones ad utilitatem Ordinis convertentur, sicque omnia omnibus erunt nota et summae restantes servabuntur pro Ordine secundum dispositionem Capituli, sive iuxta *Benedictinam* sive aliter, prout patribus videbitur melius. Nec quocumque modo distribuentur nisi iuxta ordinationem et mandatum Capituli generalis, puta ad capiendum necessarios sumptus tam in prosecutionibus fiendis apud Summum Pontificem et serenissimos dominos reges ducesque et alios principes, ut privilegia Ordinis nuper et dudum impetrata, et ab eisdem dominis impetranda serventur et ad conservationem Ordinis effectum sortiantur, quamquam ad viriliter concordi animo omnium patrum obviandum singulis impetitoribus et infractoribus privilegiorum ac libertatum nos-

trarum, sive sint commendatarii sive alii nomine et ore, totius Ordinis, ita tamen quod hoc medio quoties aliquod monasterium fuerit a praefatis gravaminibus ereptum et ad manum abbatis reductum, teneatur dictas expensas vel partem, prout patribus visum fuerit, Ordini refundere ad subveniendum aliis monasteriis indigentibus ; et haec pura conscientia, absque fraude aut particularitate singulis annis a patribus in Capitulo generali disponentur, nam Cistercium iam non parum damnificatum ex propria substantia usque ad plures annos non posset amplius huiusmodi onera communia cum aliis quae in dies sustinet ferre. Tunc enim cum unus fuerit per orbem Ordinis intellectus, una voluntas, ac indissolubilis charitas, procul dubio in singulis membris consolidabitur, adversarii nostri reprimentur, sanctimonia et virtutes resurgent, et splendide florebit haec sancta religio apud Deum et homines.

4. Ad maiorem autem praemissorum onerum deonerationem, et pro tollenda dicta temporali paupertate communi Ordinis, offert ipse dominus Cistercii, quod, si alii patres habentes praefatos redditus seu census super Ordinem quittare velint Ordini dictos census, aut saltem pro minori deinceps dictos recipere in deductionem principalis summae, tum consideratione pecuniarum dudum ab Ordine huiusmodi occasione receptarum, tum propter multas rationes et causas, quae ad hoc adduci possunt, contributionesque ad utilitatem Ordinis, ut dictum est, convertantur, ipse contentus erit reddere Ordini litteras seu monasterii super huiusmodi censu et de ipso Ordine perpetuo quittare, quo medio fiet, ut Ordo talibus debitis exoneratus, favente Domino, in brevi relevari possit, sic enim adversus infractores privilegiorum Ordinis ceterisque insecutores debita fieri poterit prosecutio in omni curia, et apud dominos tam ecclesiasticos quam saeculares.

5. Porro quia singulis annis in Capitulo generali, in lectura summarum per Ordinem Cistercio debitarum, quorumdam nonnunquam aures tinniunt, et postmodum in sententias varias defluunt, paratus est dominus Cistercii communicare patribus Ordinis in bona charitate litteras obligatorias super eisdem debitis confectas, in quibus videre poterunt, quam iuste Ordo easdem summas Cistercio debeat, nec credunt dictus dominus Cistercii et eius conventus quoscumque patres adeo errare velle, ut dicta debita tam iuste eorum matri debita calumniari velint.

Et nihilominus si aliquid obiiciatur, parati sunt religiosa patientia audire et paternis affectibus ad obiecta rationes reddere et ad omne debitum iuxta rationis regulam condescendere et se inclinare.

6. Item, si forte aliqui tacite conquerantur super expensis annuis Capituli generalis dicendo, quod propter earum excessum nimium gravatur Ordo, modernus dominus Cistercii hucusque insequens maiorum traditiones et consuetudines in nullo errare credidit, si tamen aliquid immutandum, corrigendum seu aliter disponendum sit ad utilitatem Ordinis, hoc fieri et ordinari poterit secundum discretionem patrum, facit namque computationes dictarum expensarum articulatim, ut intentionem suam ad plenum declarent patres tam de necessariis ad usum hominum et animalium quam modo dispensandi, taliter quod si nolint sibi parari nisi panem et vinum et nutrimenta equorum nil plus praeparabitur ; et si ova, ova ; si caseum, caseum ; et de reliquis secundum discretionem eorum. Hoc tamen unum omnes scire debent, quod huiusmodi expensae potius per excessivam vastationem aut conculcationem, seu immoderatum usum familiarium dominorum abbatum, et eorum qui ad Capitulum confluunt, quam aliter aggravari solent, super quibus dominus Cistercii libenter recipiet intentionem Capituli generalis, ipsius beneplacitis et iustis dispositionibus in possibilibus morem gerere cupiens, et generaliter multis aliis tam publicis quam familiaribus curis reiectis et postpositis.

7. Item, omnes commoditatibus Ordinis inclinati scire debent, quod anno Domini 1473, dum in Capitulo generali gravia emitterentur suspiria super ruinis desolationibus Ordinis, inter multas graves deliberationes cum remedia viderentur difficillima, sic enim ratiocinabatur a patribus, aut enim desperandum est omnino de remediis, aut sperandum ; non desperandum de misericordia et auxilio Domini Dei et sanctorum patrum Ordinis, ac aliorum Christo conregnantium ; si ergo sperandum, viriliter laborandum est, alias non esset spes. Cum autem apud Sanctissimum Dominum nostrum ac reverendissimos dominos cardinales, serenissimosque dominos reges et principes post Deum querendum sit auxilium, visum est omnibus recurrendum esse, in primis ad supremum dominum et conservatorem religionum, postmodum ad serenissimos dominos reges et principes, ne si ad eos primo consurgeret Ordo irritari posset Sanctitas Domini

nostri ; ipse etiam dicere posset patrem nostrum ita de Ordine disponere, cuius bullis obtemperant, sic conclusa fuit solemnis legatio ad Sanctam Sedem, gratia cuius tunc impositum fuit gratiosum subsidium super Ordinem, et anno sequenti iterum haec omnia fuerunt in Capitulo generali repetita et confirmata, in qua legatione Cistercium damna irreparabilia reportavit, tum propter obitum optimi pastoris, tum propter aliarum rerum tam in pecuniis quam aliis mobilibus perditionem, et consumptionem, prout norunt qui negotia conducunt et vident.

Quia igitur prima pars intentionis patrum scilicet quoad remedia papalia cum plurimo fructu impleta est, ut patet, per amplissimas bullas promulgatas, restat si ad intentum et succursum Ordinis procedendum sit laborare apud dictos serenissimos dominos reges et principes tria, ut videtur, apud eos facienda. Primum praesentare brevia Papae et supplicationes Ordinis, ut dicta privilegia habeant grata, et ea suis superioribus curiis inscribi et interinari faciant. Secundum est quod dent mandata multum expressa ad eorumdem privilegiorum conservationem et integram observationem, consimiliaque privilegia vel maiora auctoritatibus suis conferendo. Et tertium quod scribant Sanctissimo Domino nostro se recepisse ipsius brevia et habuisse et habere eadem privilegia gratissima, rogando ne deinceps cuiuscumque precibus aut coloribus monasteria Ordinis commendent, cum intimatione quod si alicui conferantur non admittent, nec commendatarios permittent intrare. Et ad hoc adduci possunt in exemplum magnificentissimi domini Veneti, Senenses, etc., qui nullos commendatarios recipiunt, sed abbates monasteriis praesidere volunt ; huiusmodi enim litterae principum ad Sanctissimum Dominum nostrum pernecessariae sunt, quia ut scripsit procurator Ordinis nostri de Curia hoc anno in commendando certa monasteria, cum privilegia nuper concessa allegarentur, dixerunt, quod Ordo non procuravit litteras principum ad Sanctitatem Domini nostri ; et ideo nesciunt si sit adhuc de mente dominorum principum, quod Ordo gaudeat huiusmodi privilegiis.

8. Universi igitur domini abbates Ordinis memores plantationis et progressus Ordinis, futuris successibus providendo summis divinae charitatis flammis accensi et maiorum suorum seduli imitatores, gratiam et benevolentiam serenissimorum dominorum regum et principum, necnon quorumcumque potentum

ad Ordinis conservationem aut defensionem seu potius relevationem conciliare et inclinare studeant eorum litteras favorabiles ad Sanctissimum Dominum nostrum, prout patribus cuiuscumque regni congruentius videbitur, obtineant et ad proximum generale Capitulum super his et aliis multis pernecessariis deliberaturi, si pacem ponat Dominus Deus fines nostros, festinando deferant.

Qui vero infirmitate aut legitimo impedimento detenti accedere non poterunt, saltem per fidelem et specialem nuntium scriptis honestis, mentes suas super praemissis et aliis utilitatem Ordinis concernentibus transmittant. Expedit enim cum maximis deliberationibus super praemissis ac etiam super causis ruinae spiritualis in pluribus monasteriis, quam nonnulli causam ruinae temporalis assignare possent, cum divino auxilio operam dare, ipsius siquidem ruinae spiritualis causae tunc plenius aperientur et tractabuntur ; qui enim a praemissis gravaminibus se tutos aut exemptos pro nunc inspiciunt, summa cura quamdiu integri permanent praemissis concurrere debent, tum propter illam praecipuam, quam ad totum Ordinis corpus, ad matrem, ad cetera commembra oppressa astringuntur charitatem, tum quia serpente hoc morbo simili aut graviori post haec infici aut vexari magnopere sibi timere debent, saltem meminerint : Tua res agitur, proximus dum paries ardet.

1478

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo octavo, edita sunt et promulgata quae sequuntur, in generali Capitulo apud Cistercium celebrato.

ORATIONES

1. Pro sanctissimo ... *etc. ut in anno* 1476.
2. Praeterea pro serenissimo ... *etc. ut in anno* 1472.

1478. *Fontes* : L^5 : 1-73 ; P^2 : 1 *et* 6 *abbrev. sub unico n°, item sub forma abbrev.* : 16, 31, 38. [a] *Titulus apud* L^5.

3. Insuper pro burgensibus ... *etc. ut in anno* 1449.
4. Ceterum pro pace ... *etc. ut in anno* 1449.
5. Demum pro felicis ... *etc. ut in anno* 1470.

[DIFFINITIO] GENERALIS

6. Cum Ordo noster Cisterciensis specialiter et expresse ac iuste domino abbati et conventui Cistercii sit obligatis veraciter in summa 25448 francorum seu florenorum aureorum. et 3 grossorum argenteorum de antiquo debito, cum resta ultimorum computorum quae ascendit ad summam 2233 florenorum, 10 solid. de et pro toto tempore praeterito... contributionem novem millium florenorum ... *etc. ut in anno* 1448.

ELECTIONIS CONFIRMATIO

7. Electionem, promotionem et installationem fratris Alani Ioannis, monasterii de Sora professi [ad dignitatem abbatialem eiusdem monasterii] per abbatem monasterii de Esrom, eiusdem monasterii de Sora patrem abbatem, secundum Ordinis statuta factas, prout in instrumento decreti, cui praesens annectitur diffinitio plenius continetur, praesens generale Capitulum ratificat, confirmat et approbat.

CONFIRMATIONES TRACTATUUM

8. Tractatum factum, passatum et initum inter abbatem et conventum monasterii B. M. de Fonteneto, et Ioannem Pomgquarrey super administratione victus et vestitus dicti Pomgquarrey, prout lucidius continetur in litteris ... etc. approbat.
9. Affranchisamentum personale Gaufridi Bradefer secundum consuetudinem patriae comitatus Burgundiae per abbatem de Charitate acceptum, prout in litteris... *etc.* approbat.
10. Tractatum passatum, initum et concordatum inter abbatem et conventum monasterii Morimundi et honestum virum Theobaldum Gastebois, super quadam domo in civitate Lingonensi situata, et quibusdam pratis et terris ad dictam domum pertinentibus, prout plenius ... *etc.* confirmat.

COMMISSIONES

11. Praesens generale Capitulum dolenter suscipiens insolentias et dissolutiones nonnullorum Ordinis religiosorum per villas et civitates in dedecus Ordinis et detrimentum suae salutis animarum, vagantium, abbatibus monasteriorum de Laude, de Claromarisco et baccalario de Caricampo praecipit et mandat in virtute salutaris obedientiae, quatinus ubicumque tales vagabundos, discolos et discursores invenerint, capiant et per omnes iuris et iustitiae vias capi faciant et incarcerent, et sumptibus suorum monasteriorum taliter puniant quod aliis cedat in exemplum.

12. Amplexandas exhortationes, quibus generale Capitulum de reformatione monasteriorum et personarum Ordinis per orbem universum reverendissimus in Christo pater dominus Cisterciensis tam frequenter, quam ferventer dignatus est excitare, praesens generale Capitulum cum devotis gratiarum actionibus suscipiens et eisdem pro viribus inhaerendo, et diversos reformatores per orbis latitudinem studiose transmittendo, personasque et monasteria Ordinis, quorum nonnulla, pro dolor! multifarie multisque modis a primaeva ipsius Ordinis puritate lamentabiliter recessisse dicuntur, ad regularem et honestum vivendi modum festinanter reducere satagens, reformationem omnium et singulorum monasteriorum et aliorum locorum Ordinis, cuiusvis sexus aut generationis existant, omniumque singularum personarum regularium eiusdem Ordinis in illustrissimorum principum dominorum regum Arragoniae, Navarrae, Castellae, Legionis, Portugalliae regnis, provinciis, terris et dominiis, ac totius nobilissimae nationis Hispanicae consistentium et situatorum, necnon in aliis eisdem vicinis et adiacentibus, ceterisque aliis quibuscumque in via tam eundo quam redeundo et peragrando existentibus, in quibus, ut crebro fide dignis relatibus ad ipsius generalis Capituli notitiam est deductum, plurima, pro dolor! sunt et fuerunt exactae reformationis officio indigentia, praesens generale Capitulum venerabili coabbati nostro de Claromonte, in s. th. bacc., viro utique Deum timenti, in regularibus observantiis apprime erudito et zelum religionis secundum abundantem a Deo sibi datam gratiam gerenti, in plenaria Ordinis potestate mandando et praecipiendo in virtute salutaris obedientiae, committit facultatem, auctoritatem, plenum posse et mandatum

speciale omnia et singula praedicta monasteria et loca regularia personaliter accedendi, visitandi, reformandi, etc. cum clausulis per dictum reverendissimum dominum Cisterciensem addendis.

13. Abbatibus de Alna, procuratori Ordinis generali, et de Villari, Capitulum generale diffiniendo committit in virtute salutaris obedientiae districtissime praecipit et mandat, quatinus simul ad monasterium de Spinoso loco accedentes, et materiam controversiae ratione reclusionis earumdem exortae diligente et attente audiendo, eamdem materiam, dummodo rescriptum apostolicum super appellatione dictae reclusionis impetratum ad manus praefatorum abbatum effective reponant, in plenaria Ordinis potestate, timore, odio, amore et quolibet alio sinistro favore omnino reiectis, sententiando terminent.

14. Abbatibus de Crista et de Vallibus in Ornesio committit generale Capitulum, quatinus super quodam tractatu inter abbatem et conventum Morimundi parte ex una, et Iacobum Wiriot et Catherinam eius consortem apud Novum castrum commorantes partibus ex altera, super quodam acensamento facto et passato, cui praesens diffinitio annectitur, se diligenter informent, illum auctoritate Capituli generalis ratificaturi, si id de iure posse facere per eorum diligentem inquisitionem invenerint.

15. Abbati de Claromarisco committit praesens generale Capitulum, quod si monasterium de Blandeciis super quodam monasterio desolato iuxta Calesiam sito dudum eidem monasterio unito a quoquam inquietetur, aut quolibet molestetur, ipsum in plenaria Ordinis potestate per omnes sibi modos possibiles pacificet, et fine debito terminet et arrestet.

16. Abbatibus de Regalimonte et de Caroliloco, s. th. pr., Capitulum generale diffiniendo committit, praecipit et mandat, quatinus per omnes modos et vias possibiles et rationabiles instent, quod soror Hugueta du Hamel processum, quem in curia Parlamenti Parisiensis habet pro abbatiali dignitate, quam in monasterio de Portu regio praetendit, prosequitur, mediante aliqua gratiosa pensione relinquat, atque se in aliquo monasterio recipiat, ibidem cum pensione sua in posterum religiose permansura.

17. Pervenit ad aures Capituli generalis, quod mortuo abbate monasterii de Curia Dei, conventus eiusdem loci volens sibi virum litteris insignem praefici in abbatem taliter qualiter eli-

gens sibi de pastore propitio tentavit providere ; ex quo electio coniecturari potest inefficax et suspecta. Quapropter praefatum Capitulum diffiniendo committit abbati de Claromonte quod citius praefatum monasterium de Curia Dei accedens super dicta electione se diligenter informet, eamdem confirmaturus vel infirmaturus, vel etiam aliter dicto monasterio, in plenaria Ordinis potestate, secundum quod videbit expedire provisurus.

18. Abbati de Claromonte per generale Capitulum committitur, quatinus quamprimum poterit fideliter et debite se informet de necessitate, quam patitur monasterium B. M. de Lanvaux, Venetensis dioecesis, in suis aedificiis et praesertim in reparatione claustri praedicti monasterii fienda ; et informatione facta, necessitateque comperta licentiam tribuat abbati praedicti monasterii de Lanvaux vendendi certam suorum nemorum portionem, ad sublevandum ruinas et desolationes huiusmodi claustri, ac aliorum dicti monasterii sui aedificationem.

19. Abbatibus monasteriorum de Septem fontibus et de Monte petroso per generale Capitulum committitur, quatinus se debite et diligenter informent super tractatu inito, facto et passato inter abbatem et conventum monasterii de Benedictione Dei, et honestum virum Nicolaum Bacholleon et Gerardum Adin, alias Sordim, prout in litteris... etc... et informatione facta... approbent.

20. Abbati monasterii Clarimontis per generale Capitulum committitur, quatinus per censuras Ordinis compellat sororem Margaretam monasterii monialium de Virginitate professam, Cenomanensis dioecesis, ad moram trahendi in aliquo nostri Ordinis monasterio, ipsam cum misericordia puniendo, et abbatissam, ad quam mittetur, ut eam recipiat compellendo, in plenaria Ordinis potestate.

21. Cum inscrutabilis divinae altitudinis Providentia, per quam reges regnant, et sacrarum religionum sanctitas nutritur, gubernatur et perficitur, suae bonitatis et pietatis consilio miserit in mentem illustrissimi ac serenissimi domini nostri, domini Mathiae Hungariae, Bohemiaeque regis, ut miserabiliter languentem et pene extinctum in diversis sui inclitissimi regni monasteriis et locis regularibus sacrum Ordinem nostrum, ad pristinae sanctitatis observantiam et integritatem christiana devotione restaurari cupiat et instet, prout ex suis regalibus litteris fide dignorum relatu plenius constat, praesens generale Capitulum

tanti regis summam devotionem permaximamque religionem omni reverentia et sollicitudine possibili suscipiens, amplectens et prosequens, committit venerabilibus de Charitate, de Fonte salutis et de Ebraco, s. th. pr., monasteriorum abbatibus ac duobus eorum, ut regalibus votis obtemperando vice et nomine totius Ordinis hortentur, rogent et deprecentur universos Ordinis abbates, quos duxerit rogandos et praesertim subscriptos, quatinus Dei et Ordinis contemplatione, et ne in illo illustrissimo regno huius sanctae religionis observantia pereat aut deleatur, pro reparatione et restauratione Ordinis in praefati inclitissimi regni Hungariae monasteriis dent, ministrent et exhibeant honestos et devotos religiosos iuxta numerum et formam inferius annotatam, qui iuxta eorum commissariorum ordinationem transferri habeant ad repopulandum seu replendum sedes vacuas eorumdem monasteriorum regni Hungariae ; quibus nihilominus tribus abbatibus et eorum duobus ad fines praemissos praedictum generale Capitulum dat, concedit et committit plenariam potestatem et facultatem convocandi abbates de partibus Germaniae, quos duxerit convocandos ad locum quem aptiorem et commodiorem duxerint, eisdemque et ceterorum procuratoribus sanctam praefati serenissimi domini regis ac Capituli generalis in praemissis intentionem et devotionem intimandi, declarandi et exponendi, ac ab eis exhibitos seu distributos monachos sive in maiori sive in minori numero recipiendi, si recipiendos sanxerint et eos congregandi, ac sive per eorum alterum sive per eorum commissos aut commissum ad dictum regnum Hungariae transferendi et regiae maiestati, si opus fuerit, praesentandi, et eos prout concluserint per monasteria dicti regni distribuendi, necnon in eisdem monasteriis de abbatibus et aliis officiarios sufficientibus et idoneis providendi, ac eos instituendi et ordinandi iuxta formam Ordinis, agendique et disponendi in praefatis monasteriis quaecumque tam in spiritualibus quam in temporalibus agenda et facienda duxerint secundum patrum nostrorum instituta, et si opportunum et utile duxerint, deputandi vice et nomine Ordinis sive per se sive per alium eorum deputatos et deputandos, petendi, prosequendi et recipiendi, tam apud regiam maiestatem quam apud inclytos dominos duces, principes, marchiones, barones, nobiles, communitates ac ceteros Christi fideles monasteria Ordinis et monasteriorum pertinentias et bona quaecumque per quoscumque aliis usibus

applicatas et monasteriis ad quae pertinent et pertinere debent reuniendi et restituendi, recipiendique et obtinendi pro dictis monasteriis et Ordine ab eadem regia maiestate, et ceteris dominis principibus et fidelibus privilegia, libertates, franchisias et gratias. — Item, ordinandi in eisdem monasteriis omnia et singula quae ad observantiam nostrae dictae religionis in eisdem monasteriis videbuntur necessaria et requisita, cum auctoritate prosequendi praemissa et ea tangentia ac ab eis dependentia, in plenaria Ordinis potestate, invocato ad praemissa et ea tangentia, si opus sit, brachii saecularis auxilio, consilio et favore. Universos igitur abbates, officiarios et professos super praemissis requirendos, affectuosissime hortatur praesens generale Capitulum, et per eam quam ad Ordinem matrem gerunt et gerere debent affectionem, deprecatur, obsecrat et obtestatur, quatinus in praemissis, et ea tangentibus dictis Ordinis commissariis benigne et charitative faveant, et iuxta suam possibilitatem eis et eorum commissariis honestos religiosos ad fines praemissos, et tales qui reformationi et restaurationi Ordinis apti et utiles sint, concedant et tribuant cum vestimentis necessariis et expensis competentibus, in omnibus dominum Martinum nuper monasterii Sancti Gothardi abbatem fidelem huius sancti negotii prosecutorem, prout expediens videbitur, audiendo, et sive ad restitutionem ad dictum monasterium suum, sive alias prout poterint iuxta merita sua commissum habendo.

— Sequitur numerus religiosorum qui a monasteriis subscriptis cum beneplacito et liberalitate suorum abbatum sumi et haberi, absque aliis qui nihilominus in monasteriis aliis inveniri poterunt, videlicet de Mulbrunna octo fratres, de Alba dominorum quatuor, de Bebenhusen conventus cum abbate, de Salem sex, de Fonte salutis conventus cum abbate, de Ebraco conventus cum abbate, de Bildusen sex, de Lanckheim quatuor, de Campo principum octo, de Alderspach sex, de Caesarea octo, de Ruthenhaslach sex, de Hylaria quatuor, de Cella angelorum tres, de Cella principum quatuor, de Vilderbach quatuor, de Grunheim sex, de Purocampo tres, de Campo Mariae duo, ac etiam quotquot in nationibus Saxoniae, Renensi et Bavariae colligere poterunt, de quibus omnibus nos et Capitulum generale diligenter informabunt, invocato ad praemissa et ea tangentia brachii saecularis auxilio et favore, si et in quantum utile et necessarium videbitur. Omnibus igitur nostrae reli-

gionis regularibus personis expresse praesens Capitulum generale dat in mandatis, quatinus Ordinis intuitu praemissis commissariis nostris et aliis per eos deputandis benigne assistant et faveant, devoteque et humiliter pareant et obediant, ne in tanta Ordinis necessitate Ordini abesse videantur. Ordinat autem et vult idem Capitulum generale, ut praedicti commissarii proximum generale Capitulum plene et fideliter informent et certificent, de et super universis quae in praemissis et ea tangentibus fecerint et invenerint.

22. Abbati de Theoloco per generale Capitulum committitur, quatinus fideliter et debite se informet de et super tractatu facto inter abbatem et conventum monasterii B. M. de Chariate et Ioannem Cendre, de quadam forgia dicta de Stranot et quibusdam aliis declaratis in litteris super hoc confectis, quibus haec praesens diffinitio annectitur, et si per informationem debitam invenerit dictum tractatum fore utilem pro dicto monasterio Charitatis, ipsum ratificet, approbet et confirmet in plenaria Ordinis potestate.

IUDICES

23. Abbatibus de Purocampo et de Herivado Capitulum generale committit, quatinus omni favore sinistro reiecto, controversiam inter fratres Laurentium et Chrierium super abbatiatu monasterii de Cara Insula agitatam, in plenaria Ordinis potestate terminent, illum de ipsis fratribus regimini dicti monasterii praeficiendo, qui de iure illud merebitur.

24. Pro determinatione finali inter sororem Bartholomiam, professam monasterii Duodecim Apostolorum, Placentinensis dioecesis, ex una, et Elenam monasterii Terinpassus, vulgariter autem Sanctae Francae, extra muros eiusdem civitatis Placentinae situati, super dignitate abbatiali eiusdem monasterii Sanctae Francae, generale Capitulum deputat et committit dominum abbatem de Cava, Cremonensis dioecesis, in plenaria Ordinis potestate.

25. Abbatibus de Tribus fontibus, de Longovado et de Ripatorio et eorum cuilibet in solidum committit praesens generale Capitulum mandando, quatinus omnes et singulas Ordinis personas cuiuscumque sexus, status aut gradus existant, eas et earum monasteria seu quaecumque loca Ordinis invenerint per

testes fide dignos, litteras obligatorias, aut quaecumque sufficientia documenta obligari aut debite teneri abbati et conventui Claraevallis in aliquibus pecuniarum, vini, bladi aut aliarum quarumcumque rerum summis, ad eisdem aut eorum procuratori et certo mandato plenarie et de facto satisfaciendum astringant et compellant in plenaria Ordinis potestate, districtissime mandando omnibus et singulis religiosis Ordinis in presbyteratus ordine constitutis, quibus diffinitio exhibita fuerit, quatinus citent permptorie ad dies et horas competentes coram praefatis abbatibus aut eorum aliquo, omnes et singulas praemissas Ordinis personas eisdem Claraevallensibus aut eorum procuratori quod iustum responsuros.

26. Ad idem, pro priore Gratiae Nostrae Dominae, abbati de Prulliaco.

27. Abbatibus de Prulliaco et de Regalimonte, s. th. pr., coniunctim et divisim per generale Capitulum committitur, quatinus compellant per Ordinis censuras abbatissam monasterii de Parco dominarum ad reddendum et satisfaciendum abbatissae et conventui monasterii de Lilio, de contentis in articulis per ipsam confectis, cui praesens diffinitio annectitur, in plenaria Ordinis potestate.

28. Ad idem, pro abbate Prulliaci, de quibusdam bonis per praefatam abbatissam de Parco dominarum retentis et pertinentibus ad confessorem dicti monasterii, professi monasterii Prulliaci prafati.

29. Abbati de Charitate praesens generale Capitulum committit, quatinus bonam et brevem iustitiam ministret Guillelmo Boneti de Theriaco, super quadam summa pecuniarum, quam ipse Guillelmus asserit sibi iuste deberi per abbatem de Theoloco, in plenaria Ordinis potestate.

30. Ad idem, pro abbate Charitatis, abbati de Balerna super quibusdam pecuniarum summis quas dictus abbas de Charitate occasione cuiusdam census annui requirit ab abbate de Roseriis.

[DIFFINITIONES] GENERALES

31. Execrabilem et omnino viris religiosis... *(locus vacuus)* evagationem, generale Capitulum gemebundis perpendens singultibus, qua siquidem plerique sacri nostri Ordinis professores,

etiam de permissione propriorum abbatum aut alias, obsequium se Deo praestare putantes per oppida, castella, villagia, et alia suis monasteriis loca vicina, tamquam stabilitatis immemores, communia christicolarum anniversaria et devotissima missarum officia celebrare non verentur, sed et ac si animarum curam ex officio gererent funeralibus exequiis coassistunt mortuorum; deinde saepius contempta sibi vetitorum ciborum abstinentia regulari, delicata saecularium amplectuntur communia, unde ad claustra post tam scandalosum sui discursum revertentes, saepe ollarum carnium, delectabiliumque rerum contemnendam imaginem, quam prius reliquerant instar populi Israelitici per desertum agentis rursus noscuntur repetere, et ex pecuniaria exinde suscepta mercede, damnabile proprietatis vitium incurrere; quae quidem quominus idem generale Capitulum sub dissimulationis pallio pertransire non valet, quo attentiori vigilantia circa Ordinis agenda sollicitum evidentius cognoscit ipsum Ordinem in his procellis saeculi discursibus periculosius naufragari; cupiens igitur in his congruum praebere remedium statuendo et diffiniendo, sub poena excommunicationis districte praecipit et mandat, omnibus et singulis abbatibus et administratoribus Ordinis, quatinus suis subditis monachis, nisi pro evidentissima necessitate vitandoque monasteriorum suorum detrimento et scandalo, omnem extravagandi ad missas et funeralia defunctorum officia, sive anniversaria celebranda, licentiam interdicant, sub infamiaeque poena monachi perpetuo remaneant astricti, qui ad praemissos exitus abbates suos procuraverint quomodolibet inquietare. Quod si ad praemissa contingat honesta et evidentissima exeundi necessitas, quae nisi cum magno, ut praemittitur, ipsorum monasteriorum detrimento ac scandalo vitari non possit, praefati abbates et administratores seu locorum regimini praesidentes suam tali conditione moderentur licentiam, ut omni Ordinis semoto scandalo, pecuniae inde delatae ad bonum Ordinis commune ipsorum monasteriorum convertantur; ut autem hoc salutare institutum diligentius observetur, universis praedictorum monasteriorum patribus abbatibus aut eorum commissariis sub eadem poena per ipsum generale Capitulum praecipitur, quatinus in actibus suarum visitationum, diligenti informatione peracta, si quos abbates et monachos in praemissorum observatione delinquentes invenerint, adeo

acriter punire festinent et corrigere, quod ceteris cedat in exemplum et terrorem.

32. Cum impunitas vitiorum recte agentibus praebeat ausum atque exemplum delinquendi, satisque dolenter ad praesentis Capituli notitiam pervenerit, quod per abbatum periculosam dissimulationem nonnulli nostrae religionis professores non verentur homicidia, carnis illecebras, ceteraque crimina, pro quibus iuxta tenorem statutorum et diffinitionum nostri Ordinis poena durior et longe aliis diuturnior merito debet imponi, perpetrare, in eo quidem maius suae salutis et Ordinis nostri detrimentum, ac populi christiani scandalum, quominus in profligatione tam gravium delictorum, legitimo correctionis libramine praetermisso, poena infligitur facilior, praesens generale Capitulum huic tantae dissimulationis languori congruum cupiens praebere antidotum diffiniendo districtissime sub censuris Ordinis, omnibus et singulis abbatibus monasteriorum Ordinis ac regimini praesidentibus sive administratoribus praecipit et mandat, quantinus in praemissis criminibus convictos et deprehensos tamdiu in strictis carceribus mancipent et detineant donec per ipsum generale Capitulum aliter ordinatum extiterit, sub eisdem etiam censuris et poenis praefatis abbatibus et praesidentibus seu rectoribus praecipiendo mandans, ut suos, quos pro dictis aut similibus criminibus apud Cistercium vel alibi in carceribus esse retentos intellexerint, eosdem indilate propriis suorum monasteriorum expensis cum sufficienti et secura commitiva ad propria reduci, et debitis poenis secundum delictorum exigentiam plecti procurent.

33. Ad aures praesentis Capituli generalis deductum est, quod multae victualium conculcationes tempore Capitulorum generalium fiunt in Cistercio ; pro remedio praefatum Capitulum generale diffinit et decretat, quod unus abbas cum solatiis debitis deputetur annuatim per cuius manum aut suorum solatiorum victualia ipsa, sive ad usum hominum, sive etiam animalium, ad partem posita unicuique abbatum aut aliorum ad praefatum Capitulum affluentium ad mensuram distribuant, qui scire habebit, si abbates cum pluribus equitaturis quam debeant, visitent, ut ab eisdem excessus prout iustum fuerit confestim et antequam praefatum Capitulum exeant, exigatur, et de facto receptori contributionum, aut alteri, vel etiam dicto abbati

prout melius visum fuerit, super hoc rationem reddituri, sub excommunicationis latae sententiae poena effective solvant.

34. Capitulum generale cupiens Ordinem, ut tenetur, in suis libertatibus, privilegiis, exemptionibus et aliis suis praerogativis manuteneri, diffinitionem decretat et statuit, quatinus in singulis provinciis christiani nominis, in quibus monasteria Ordinis situata sunt atque fundata particulares receptores contributionum deputentur, quorum quilibet in plenaria Ordinis potestate ab omnibus et singulis Ordinis monasteriis in limitibus suae provinciae contentis, omnes et singulas quotas eisdem impositas, inde futuro Capitulo prout iniunctum fuerit rationem reddituri, et summam universalem ad ipsius Capituli manus dumtaxat elargituri effective recipiant, procurentque et iubeant per alios si per seipsos ubique accedere non possint easdem summas recipi, et per eorum manus infundi, ita quod si aliqui annuatim pro huiusmodi receptis praefatum Capitulum generale accedere non possint, ad minus de biennio in biennium rationem et reliqua reddituri, illud per seipsos nisi invincibilem excusationem habeant, effective visitent, aut utiliter per certos absque fraude visitari procurent, aut domino Cisterciensi iuxta tenorem diffinitionis quae incipit : Cum Ordo noster, cui per hanc diffinitionem in nullo derogatur, offerant et praesentent.

35. Quia ad notitiam Capituli generalis deductum est multos fratres civitatem Parisiensem adire, quorum aliqui pro negotiis suorum monasteriorum, aliqui pro libito falsa pro veris fingentes et seipsos indebite irregulariter et scandalose in Ordinis dedecus et infamiam multipliciter gerentes, ex nunc praefatum Capitulum generale de remedio super his providere volens, sub censuris Ordinis omnes tales, sive litteras ab abbatibus suis habuerint sive non, a cellerario vel provisore collegii Sancti Bernardi Parisiis capi, aut ut capientur procurari, ad correctionem districtissime iubet et praecipit, nisi infra duos dies se dictis cellerario aut provisori humiliter praesentaverint ; omnibus regularibus personis dicti collegii districtissime praecipiendo, ne tales iniuriis aut quibuslibet opprobriis sive etiam pecuniarum quibusvis exactionibus praeter et contra velle eorum deinceps molestare aut affligere praesumant, nisi fortassis propter eorumdem defectus ad suorum monasteriorum expensas venirent merito puniendi.

36. Insequendo *Benedictinae* novorumque privilegiorum, diffinitionum et Capitulorum generalium praecedentium traditiones,

praesens generale Capitulum omnibus et singulis Ordinis monachis et monialibus diffiniendo sub censuris Ordinis mandat et praecipit, quatinus reiectis coloribus mediis, solis pannis albis et nigris deinceps utantur ; quod si fortassis aliquae de praenominatis personis prompte nequeant huic diffinitioni obtemperare tempus biennale dumtaxat eisdem praefigitur, infra quod se poterunt omnimode et humiliter de decentibus habitibus providere.

37. Dolenter pervenit ad notitiam praesentis Capituli generalis quia nonnulli abbates Ordinis contra apostolica privilegia et ipsius Ordinis instituta, ad audiendum, terminandum et concludendum computationes monasteriorum suorum principes et barones saeculares eorumque officiarios et deputatos sub praetextu conservationis, quam in praedictis monasteriis habere praetendunt, recipiunt et admittunt, super quo Capitulum generale volens de remedio opportuno providere, omnibus et singulis monasteriorum universi Ordinis abbatibus, abbatissis et eiusdem utriusque sexus administratoribus universis, sub excommunicationis latae sententiae poena, districtissime praecipit et mandat, ne deinceps dictos principes aut eorum officiarios cuiuscumque status et conditionis existant, ad suarum computationum praedictarum audientiam sive visionem deinceps admittere praesumant, sed si ipsi ulterius attentare praesumpserint, praefati abbates eosdem potius ad suarum libertatum conservationem excitent, quam permittant eos sua conservatione in animarum suarum periclitationem in hac parte abuti, maxime cum Ordo ipse, ad quem bona temporalia dictorum monasteriorum oblata sunt et dicata, eadem velit ad fundatorum intentiones omnino applicare ; et si abbates eisdem abutantur eosdem, ut decet, quotiescumque opus erit, corrigere et emendare velit et intendat.

RENOVATIO SIGILLI DIFFINITORUM

38. Cum post obitum bonae memoriae domini Hymberti, novissimi abbatis Cistercii, qui in Curia romana, ad quam una cum certis dominis abbatibus Ordinis collegis suis ad supplicem instantiam Capituli generalis et totius Ordinis pro conservandis libertatibus et privilegiis Ordinis et monasteriorum ipsius adierat, diem clausit extremum, sigilla Diffinitorum et suffragiorum

ipsius Ordinis in manibus domini Ioannis Falco, abbatis Sancti Bernardi prope muros Valentinos, tunc in ipsa Curia romana procuratoris generalis, relicta fuerunt, seu potius ab eodem fratre vi accepta et contra voluntatem patrum Ordinis per eumdem retenta, praesens generale Capitulum abusibus, qui occasione sigillorum contingere potuerunt, vel deinceps contingere possent, solerter providere cupiens sigillum praemissum Diffinitorum, sicut praemittitur, relictum, necnon omnes et singulas litteras et inde secuta ab eodem obitu usque in praesens et a quinque annis immediate praecedentibus sigillata ac in posterum sigillanda, nisi fuerint per manus alicuius notariorum abbatum Ordinis signata, cassat, irritat et annullat, locoque dicti sigilli idem Capitulum aliud de novo in quo ad differentiam praemissi luna cornuta sub pedibus imaginis gloriosae Virginis Mariae, patronae et advocatricis nostrae ponitur ; quam lunam sub pedibus eius fieri iussit, ac instituendo et utendo approbavit, volens et statuens a modo et in futurum perpetuis temporibus omnia secundum solitum per ipsum Capitulum actitanda praedicto novo sigillo in testimonium veritatis sigillari.

[DIFFINITIONES] SPECIALES

39. Quia saepius per anni circulum multae et valde difficiles materiae oriri solent in Ordine et maxime hodierna tempestate, quae non nisi cum ingenti monasteriorum et personarum Ordinis detrimento usque ad sequens generale Capitulum differri possunt, et quae de novo emergunt novo indigent consilio, ne ex defectu seu carentia provisionis Ordo graviora reportet incommoda, Capitulum generale ad plenum confidens in clarissimis virtutibus ardentissimoque zelo reverendissimi domini Cisterciensis ad spiritualia et temporalia Ordinis commoda, ipsum tamquam supremum Ordinis caput et patrem humiliter deprecatur, quatinus in huiusmodi rebus Ordinis solito more plenaria qua fungitur Ordinis potestate, sicut in aliis Ordinis rebus vigilare dignetur, quemadmodum eius praedecessores agere et facere consueverunt ; et quia notarii abbates Capitulorum generalium communiter non expediunt acta generalis Capituli ante eorum recessum, sed multa saepius inexpedita relinquunt, ex quo Ordinis communitas in maioribus et praecipuis rebus expediendis per-

sonaeque ipsius gravia saepe damna reportasse noscuntur; tantis incommodis occurrere volens, generale Capitulum ordinat et diffinit, quod secretarii praefati domini Cisterciensis et quilibet eorum eamdem auctoritatem ad signandum et expediendum universa et singula, quae per generale Capitulum fuerunt conclusa, et per dictos notarios abbates non signata seu expedita, ac in aliis rebus Ordinis quam habent et habere solent et debent, dicti notarii abbates, quodque expeditis per eosdem secretarios fides omnimoda ac si per notarios abbates expedita et signata fuissent adhibeatur.

40. Capitulum generale admittit et acceptat, quod abbas et conventus monasterii de Theoloco ad perpetuam et quotidianam missae unius celebrationem medio quinquaginta francorum monetae regiae annuatim perpetuis temporibus dictis abbati et conventui, et eorum successoribus indefectibiliter et integraliter per dominam Catherinam de Haracourt, dominam de Richecourt, egregii domini Guillelmi de Ciron, domini de Dominica villa, consortem, eiusdem haeredes, successores, et causam habentes persolvendorum obligentur, a quorum quidem quinquaginta francorum monetae supradictae solutione toties praefata domina eiusque successores quieti remanebunt, quoties ipsi dictis abbati et conventui summam mille francorum auri puri renensis, realiter et cum effectu in duobus terminis persolverint, quae quidem summae eisdem pro dictae quotidiana celebratione missae Ioannes de Bergeyo quondam dominus de Richecourt per suum testamentum legari, et per sui dicti testamenti executores eisdem abbati et conventui simul et semel ex integro persolvi decreverat.

41. Capitulum generale considerans Ordinem devenire et fere iam lapsum in irreparabilem ruinam, et cupiens illum pro viribus, si quomodo possibile sit, relevari, et in pristinum statum restitui quoad census per reverendissimos patres dominos abbates de Cistercio, de Firmitate et de Claravalle annuatim super praefati Ordinis contributionibus perceptos cum magna deliberatione diffinitorie praefatis reverendissimis patribus supplicat quatinus ipsi suis praedecessoribus primis Ordinis sanctissimis institutoribus se conformantes praefato Ordini dictos suos census, cum aliter bene restaurationi eiusdem universali sua paupertate attenta, consuli non possit, charitative quittare et omnino remittere dignentur et velint, aut aliter in hac parte

tam pie et misericorditer agere, quod Ordo ipse ad eorumdem patrum gloriam, honorem et utilitatem successus habere possit prosperiores.

42. Exonerationes seu dess[aisina]tiones receptorum contributionum Ordinis in inclitissimo Angliae regno, novamque institutionem alterius seu aliorum receptorum earumdem contributionum, per venerabiles et in Christo nobis carissimos coabbates et commissarios nostros, necnon approbationem et reprobationem computationum earumdem contributionum, de quibus clarius in litteris praesentibus annexis constat, praesens generale Capitulum confidens de prudentia, zelo, circumspectione, ceterisque virtutibus dictorum commissariorum approbat et ratificat, eisdem commissariis districtissime mandando, ut universos praedictos collectores, qui usque in praesens dictas contributiones receperunt, inducant et compellant ad reddendum summas restantes et receptas videlicet et non solutas seu applicatas ad usum et expensas iuxta Ordinis intentionem, taliterque provideant cum praesentibus et futuris, quod huiusmodi abusus seu damnum deinceps tollatur, et omnia iuxta rectae iustitiae aequitatem et puritatem tractentur.

43. Abbas et conventus monasterii Castri aquilae ad proximum generale Capitulum mittant litteras dispensatorias, quas se dicunt habere a domino Claraevallis, et tunc eis providebit idem Capitulum generale, prout fructuosius expedire videbitur.

44. Supplicationem abbatis monasterii de Thama in Anglia, per quam requirit secum dispensari super solutione contributionum, praesens generale Capitulum remittit ad Ordinis commissarios.

45. Praesens generale Capitulum dispensat cum abbate monasterii de Claritate, Turonensis dioecesis, ad hoc quod possit studium suum in Universitate Andegavensi continuare, et in eodem actus scolares recipere in facultate theologiae.

46. Generale Capitulum in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae poena, praecipit et mandat abbatissae monasterii de Gaudio Nostrae Dominae, quatinus infra octo dies ab intimatione huius diffinitionis expellat a monasterio suo quemdam nominatum Christoforum Rivellem, tamquam infructuosum et inutilem pro dicto monasterio in utroque regimine ; praesentis diffinitionis executionem abbati de Claromonte committendo, et nihilominus in eodem monas-

terio absque patris abbatis praeiudicio pro semel visitet, reformet omnia et singula, quae viderit visitanda et reformanda, in plenaria Ordinis potestate.

47. Abbatibus de Campo principum... *(locus vacuus)* mandat praesens Capitulum generale, quatinus citius quam commode poterint, convocent secum abbates vicinos et secundum Ordinis statuta tueantur et defendant Ordinis privilegia contra episcopos et alios dicta privilegia infringere volentes.

48. Cum propter celebrationem festi doctoratus abbatis Reigniaci, paucis diebus elapsis magnas fecerit expensas, ac propter paupertatem et miseriam occasione guerrarum praefato monasterio de Rigniaco illatas, cum abbate eiusdem monasterii Rigniaci praesens generale Capitulum misericorditer dispensat ut, dehinc ad triennium, a solutione contributionum praefatum monasterium suum concernentium absolutum maneat et quittatum.

49. Moderationem contributionum monasterii Caraevallis, Mediolanensis dioecesis, prout in litteris, quibus haec praesens diffinitio annectitur plenius continetur, factam, Capitulum generale donec aliter duxerit ordinandum, tamquam gratam habens confirmat, ratificat et approbat.

50. Capitulum generale propter certas et rationabiles causas omnino annullat quamdam certam supplicationem exhibitam per fratrem Nicolaum Thierri, quondam electum Morimundi, adversus indubitatum dominum abbatem eiusdem Morimundi, in qua tangebat et requirebat revocari certas venditiones vinorum, granorum et aliorum consimilium, quas et in praeiudicium et damnum dicti monasterii asserebat factas.

51. Capitulum generale supplicationem domini prioris et conventus prioratus Sancti Guillelmi Argentinensis, qua instantissime uniri et incorporari cum omnibus pertinentiis et rebus quibuscumque, rogant et postulant, ut deinceps sicut alia Ordinis loca, tam abbatiae quam prioratus sub forma et disciplina Ordinis, necnon filiatione monasterii Cistercii, cum privilegiis et libertatibus Ordinis vivant et Christo militent, gratissimam habens devote admittit et acceptat, dummodo ipsi ad incorporationem necessaria, uti decet, procuraverint, abbati de Salem committendo, quatinus praefatam incorporationem acceptando litteras super hoc necessarias, in plenaria Ordinis potestate faciat et procuret.

52. Capitulum generale magistro Richardo Archebald in

sacris litteris doctori mandat et praecipit, quatinus infra tempus in capitulo sexto, distinctionis octavae *Novellarum* praefixum, ad aliquod monasterium Ordinis, ubi invenerint benevolum receptorem, ibidem professionem illico peracturus, nisi iam alibi fuerit professus, et in loco suae professionis regulariter, prout ex voto religionis obligatur deinceps victurus se transferat, mandando districte suo abbati quatinus ipsum doctorem secundum sui gradus exigentiam favorabiliter in omnibus iuxta Ordinis laudabilem consuetudinem tractet et procuret.

53. Capitulum generale media possibilia et rationabilia invenire cupiens, quibus ruinae Ordinis praegrandes valeant relevari, et etiam particulariter domini de Cistercio et de Firmitate abbates dignum duxerunt charitatem domini Claraevallis favorabiliter exorare, quatinus, ut omnes patres egregiae nationis Germaniae instantissime unanimiter requirunt, redditum illum quem annuatim consuevit ab Ordine recipere omnino quittare velit et dignetur, se suis praedecessoribus conformando, qui suis bonis et corporibus non parcentes fundationi et promotioni Ordinis totis viribus effective intenderunt.

54. Capitulum generale orationes pro incolumitate serenissimi regis Hungariae eiusdemque consortis et prole habenda universaliter fieri ordinavit.

EXCUSATIO ABBATUM

55. Capitulum generale praesens a via praesentis Capituli excusavit et diffinitorie excusat omnes absentes qui non fuerunt ad ipsum Capitulum debite citati, propter temporis iniquitatem pene ubique gravissime grassantem.

REHABILITATIONES

56. Ad instantiam et humilem supplicationem abbatis monasterii de Longovado, praesens generale Capitulum cum fratre Ioanne de Ruffeo, eiusdem monasterii professo, misericorditer dispensat, ut non obstante inhabilitate ac infamiae nota, quam per annum cum dimidio apostatando et per saeculum in detrimentum suae salutis et animae contraxit vagando, super quo sibi iniunctam Ordinis poenitentiam humiliter et devote peregit, ad omnes

Ordinis actus legitimos, gradus, voces, officia, beneficia et administrationes promoveri valeat et admitti.

57. Ad idem, pro sorore Dorothea Simerin de Enadetal, monasterii Vallis Sanctae Crucis professae, super contagio carnis, puerperio inde secuto.

58. Ad idem, pro fratre Petro Paris, monasterii Caricampi, in contagio carnis convicto et per mundum apostatando, habitu regulari temere dimisso.

59. Ad idem, pro fratre Bartholomeo, dicti monasterii Caricampi professo, de apostasia et habitu regulari deposito.

60. Ad idem, pro sorore Maria Crualecte, monasterii de Blandeca in contagio carnis lapsa, prole inde secuta.

61. Ad idem, pro sorore Petrina de By, monasterii B. M. de Villencourt, in contagio carnis comprehensa, puerperio inde secuto.

SUFFRAGIA

62. Pro serenissimo invictissimoque domino nostro, domino Mathia, Dei gratia Hungariae Bohemiaeque rege, necnon generosissima ac religiosissima domina nostra, domina Beatrice eius consorte.

63. Capitulum generale ad instantiam illustrissimi principis domini Alberti comitis palatini Rheni, Superioris et Inferioris Bavariae ducis, ad participationem omnium et singulorum bonorum spiritualium, quae usque ad quinquennium per universum Ordinem fient, omnes cuiuscumque status et conditionis existant acceptat, qui ad reparationem monasterii de Cella Dei manus adiutrices liberaliter praebuerint.

64. Pro magistro Ioanne Rogier et Perreta eius uxore cum liberis eorumdem, ad requestam domini Claraevallis.

65. Item, pro Petro de Ginersaut, notario publico, et Iaqueta eius uxore et liberis eorumdem.

66. Pro honorabili viro domino Ioanne Margueron notario, Ioanna eius coniuge et liberis.

67. Pro magistro Burkardo Wenli de Herenburg, s. th. lic. magistro scolarium collegii Heidelbergae, ad requestam domini Charitatis.

68. Pro domino Nicolao Morsing, utriusque iuris doctori, illustrissimi principis domini ducis palatini Rheni consiliario,

pro matre sua Brigida, uxore sua si quam ducat, cum Margareta sorore sua et eorum liberis.

69. Pro magistro Iodoco Martini de Gengen, medicinarum doctore civitatis Spirensis, insigni phisico, et conthorali sua Elisabeth et liberis praesentibus et futuris.

70. Item, pro Michaele Martini de Ganguen et Margareta eius uxore, cum liberis eorumdem.

71. Pro magistro Ioanne Helviset, decano ecclesiae Sanctorum Germani et Martini, in civitate Spirensi.

72. Pro domino Ioanne Frakenstein, capellano Beatae Mariae in Eslingen.

73. Item, pro Plicardo magistro curiae domini comitis Palani et pro Landsthade eius uxore et liberis eorumdem.

1479

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo nono edita sunt, diffinita et promulgata quae sequuntur, in generali Capitulo apud Cistercium celebrato.

ORATIONES

1. Pro sanctissimo... Sixto... Papa IV, necnon... et maxime pro... Guillermo, episcopo Ostiensi, S. R. E. presbytero cardinali, nostrique Ordinis in Curia benevolo protectore... *etc. ut in anno* 1471.

2. Praeterea pro serenissimo ... *etc. ut in anno* 1472.

3. Insuper pro burgensibus ... *etc. ut in anno* 1449.

4. Ceterum pro pace ... *etc. ut in anno* 1449.

5. Demum pro felicis ... *etc. ut in anno* 1470.

[DIFFINITIO] GENERALIS.

6. Cum Ordo noster Cisterciensis specialiter et expresse ac

1479. *Fontes* : L^5 : 1-41 ; P^2 : 1, 6, 7, 8, 18, 21, 32 *omnia sub forma abbrev.*, 29 *ut in textu nostro.* [a] *Titulus apud* L^5.

iuste domino abbati et conventui Cistercii ac ipsi monasterio Cisterciensi sit obligatus veraciter in summa 25448 francorum seu florenorum aureorum et 3 grossorum argenteorum de antiquo debito, cum resta ultimorum computorum quae ascendit ad summam 2308 florenorum, 14 solidorum, 2 den. monetae Capituli, de et pro toto tempore praeterito... contributionem novem millium florenorum ... *etc. ut in anno* 1449.

INSTITUTIO PROCURATORIS GENERALIS ORDINIS

7. Generale Capitulum de vita, moribus, conversatione, sufficientia, idoneitate, fidelique diligentia, ac ceteris virtutibus fratris Petri Ryolis, s. th. pr., monasterii Bonaevallis Ruthenensis expresse professi, debite et sufficienter informatum, ipsum elegit, fecit, creavit et nominavit, eligit, facit, creat et nominat generalem totius nostri Cisterciensis Ordinis in Curia romana procuratorem, cum omnibus clausulis et articulis ad id necessariis et opportunis per reverendissimum dominum nostrum Cisterciensem apponendis, specificandis et declarandis, in plenaria Ordinis potestate.

IMPOSITIO SUBSIDII GRATIOSI

8. Praesens generale Capitulum flebili consideratione maxima Ordinis debita, quibus tam in Curia romana et apud multos bancarios etiam multipliciter obligatur, satisfacere non potuit subsidium ratione legationis anno Domini 1473 ad Sanctissimum Dominum Summum Pontificem et Sanctam Sedem Apostolicam, pro defensione et tuitione iurium, libertatum et privilegiorum Ordinis transivisse sufficiens non potuit subsidium eodem anno, propter hoc super monasteria Ordinis onera et agenda mente revolvens, et ob hoc in sex millibus et quingentis scutis aureis ac regiis et novis communiter currentibus obligatum se sentiens, nec aliter quam per bonorum et fidelium Ordinis personarum ab his miserabilibus vinculis se posse exonerare conspiciens attendensque, quod et bona corporis mystici pro sui totius corporis conservatione, si et quidquid possunt exponere tenentur, idem generale Capitulum gratiosum subsidium, et collectionem praefatae summae sex millium quigentorum auri scutorum novorum regiorum nunc communiter currentium, pro quolibet triginta

duos solidos unum denarium turonensem bonae monetae Franciae computando ; omnibus et singulis utriusque sexus Ordinis monasteriis, prioratibus ac aliis locis regularibus secundum taxas et quotas per Diffinitores eiusdem praesentis Capituli, et per commissarios per ipsum deputatos levandi, colligendi et recipiendi, ordinat et imponit, volens et decernens ipsum subsidium ab omnibus et singulis Ordinis abbatibus, abbatissis, commendatariis, prioribus, priorissis, cellerariis, rentariis et officiariis quibuscumque saecularibus aut regularibus cuiuscumque dignitatis, conditionis vel status existant, per eosdem ad id deputatos exigi, requiri, recipi, et realiter et de facto levari ; omnes et singulos praedictos et eorum loca tenentes per censuras Ordinis, excommunicationem, interdictum, suspensionem a divinis officiis, personaliter veniendi ad proximum generale Capitulum citationem et omnes alias iuris et iustitiae vias debite et indissimulanter compellendo. Et si aliqua loca ad solutionem praedicti subsidii invenerint non imposita vel taxata, illis et eorum cuilibet secundum suae conscientiae aequitatem prout iustius poterunt fidelem et rationabilem taxam et quotam imponant, et ad realiter et debite solvendum compellant debitas valentes et sufficientes de receptis quittantias faciendo, super quo eorum conscientias coram Summo Iudice oneramus ; eisdem commissariis seu receptoribus sub censuris per Capitulum declarandis iniungendo et praecipiendo, quatinus ante proximum festum Dominicae Resurrectionis, summas, quotas et taxas in provinciis et locis sibi commissis per se vel alium receptas et recipiendas domino Cisterciensi ad eas integraliter recipiendas ordinate afferant, apportent seu per fidelem et securum nuntium fideliter transmittant, et sibi de receptis bonum, verum et fidelem computum reddant eidemque domino Cisterciensi benigne committit praesens generale Capitulum, ut ubi aliquis commissariorum deputatorum per se vel per alium commissum sibi onus exsequi non valeret, vel debitum suum non faceret, alium loco ipsius iustitia subrogare et ordinare possit et valeat, prout sibi melius et magis expediens videbitur, omniaque alia augendo et diminuendo suppleat, quae hic omissa esse possunt, renuentes, rebelles et in aliquo contradicentes non solum ad solvendum principale, sed etiam expensas viriliter et debite compellendo.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

9. Promotionem, institutionem et installationem fratris Ioannis Darnecton, cellerarii et monachi expresse professi monasterii B. M. de Fontibus in Anglia, per abbatem monasterii Rievallis commissarium domini Claraevallis, s. th. pr., eiusdem monasterii immediate patris abbatis, ad dignitatem abbatialem ipsius monasterii de Fontibus, tunc vacantis per expressam et puram resignationem fratris Thomae Swynton novissimi abbatis praedicti monasterii in manus memorati commissarii, ac etiam omnia alia in decreto contenta, cui praesentes annectuntur, tamquam iusta et secundum Deum ac etiam statuta Ordinis canonice facta, praesens generale Capitulum confirmat, ratificat et approbat, supplendo omnes et singulos defectus, si qui forsan in praemissis contigerint.

10. Electionem, institutionem et installationem fratris Thomae Vituli ad dignitatem abbatialem monasterii B. M. de Fontanis albis, monasterio Savigniaci directe subiecti, per resignationem fratris Maturini Freumi, eiusdem monasterii novissimi abbatis, per dominum Cisterciensem, s. th. pr., et Capituli generalis potestate fungentem, rite, canonice et per viam Spiritus Sancti factam et celebratam, prout... *etc.* approbat.

11. Ad idem, pro fratre Henrico... cellerario monasterii Sturzelbrun, ad dignitatem abbatialem eiusdem monasterii per abbates monasteriorum Novicastri et Wernevillerii, abbatis monasterii Maceriarum dicti monasterii Sturzelbrun immediati patris abbatis commissarios.

12. Ad idem, pro fratre Bernardo Viardi, monasterii Claraevallis professi, ad dignitatem abbatialem monasterii Pontisfrigidi Metensis, per dominum Morimundi, patrem abbatem, etc.

13. Ad idem, pro fratre Ioanne, priore monasterii de Walkenreyde, ad dignitatem abbatialem eiusdem monasterii, per abbatem monasterii Campensis, ipsius monasterii patrem abbatem, etc.

14. Capitulum generale cassat, irritat et annullat decretum promotionis abbatis de Calercio, tamquam contra ius et Ordinis constitutiones factum, quem dictum Capitulum de novo promovet in abbatem, omnes et singulos defectus qui in prima eius promotione quomodolibet contingerint supplendo.

CONFIRMATIONES TRACTATUUM.

15. Viso et diligenter examinato tractatu inter venerabilem coabbatem monasterii Balernae, dilectos filios priorem et conventum eiusdem monasterii ex una et honorabilem virum dominum Petrum Symonot in ordine sacerdotali constitutum, ac fidelem mercatorem Ioannem Aubelin apud Divionem commorantem ex altera, cui tractatui nostrae praesentes annectuntur, cognitisque causis et rationibus eiusdem tractatus rationabiles esse ac necessarias, et eidem monasterio perutiles, praesens generale Capitulum eumdem tractatum, sicut iacet, confirmat, roborat et acceptat, supplendo omnes et singulos defectus, si qui forte ex errore scriptorum aut alias essent in eodem tractatu, propter quem seu quos aliquid allegari posset contra et adversus dictos dominum Petrum et Ioannem Aubelin, quominus dictus tractatus plenarium sortiri non debeat effectum, in plenaria Ordinis potestate districtissime sub poena excommunicationis, suspensionis, interdicti et aliis censuris Ordinis mandando et praecipiendo eisdem abbati et conventui de Balerna, quatinus dictum tractatum per eos solemniter et mature passatum impleant et observent, et praefatos dominum Petrum et Ioannem Aubelin omnino indemnes ac contentos seu circa omnia contenta in eodem tractatu reddant et faciant. Datum sub appensione sigilli Diffinitorum, etc.

16. Capitulum generale confirmat, ratificat et approbat tractatum inter abbatum et conventum monasterii de Caroloco ex una parte, et magistrum Ioannem Marescalli ex altera, super re plenius in ipso tractatu declarata passatum, cui tractatui praesens diffinitio cum confirmationibus dominorum Cistercii et Claraevallis annectitur.

17. Tractatum passatum, initum et concordatum inter dominum Cisterciensem et conventum suum ex una, et religiosos viros priorem et conventum B. M. de Monte Carmeli apud Divionem partibus ex altera, de et super venditione et deliberatione cuiusdam domus vulgariter nuncupata Domus rubea, prout plenius continetur in litteris super hoc confectis, tamquam iustum, utilem et valde pro utroque conventu necessarium, praesens generale Capitulum ratificat, approbat et confirmat.

COMMISSIONES

18. Cum generale Capitulum anno superiore quosdam venerabiles abbates, tam gallicanae quam germanicae nationum delegaverit, qui secundum serenissimi et invictissimi domini nostri, domini Mathiae regis Hungariae, Bohemiae, etc., necnon illustrissimae dominae Beatricis ipsius generosissimae conthoralis, sanctissimum desiderium in certis Ordinis praefatae germanicae nationis monasteriis in diffinitione tunc edita explicatis, centum vel eo circa regulatos monachos colligerent, ac maiestati regiae, quatinus de eisdem monachis aut eorumdem portionibus monasteria certa praefati inclitissimi Hungariae regni hactenus desolata et depopulata, ac in eorumdem utroque statu spirituali scilicet et temporali pene collapsa repopulari, restaurari, reformari, ac in pristinum statum sanctae observantiae regularis reduci ad honorem et gloriam divinae Maiestatis et gloriossimae Virginis Matris, reparationemque status monastici et animarum salutem possent cum debitis honore et reverentia praesentarent et offerrent. Ac praeterea ipsi praedicti abbates commissarii et delegati apud Herbipolim civitatem Franconiae, plures Ordinis patres convocantes, pauci tamen numero propter varia tunc eis occurrentia impedimenta, ad constitutam diem convenientes, ad dictorum religiosorum collectionem nec ad aliam commodiorem pro materia principali conclusionem descendere valentes, de famosissima domini nostri regis Hungariae benignitate, clementia et longanimitate non mediocriter confidentes, materiam ipsam ad praesentis Capituli generalis examen plenius disponendam remiserint, praesens generale Capitulum volens et summis desideriis cupiens tam salubre et tam sanctum negotium fine debito terminari, reverendissimum in Christo patrem dominum nostrum Cisterciensem, s. th. pr., nostri totius Ordinis reformatorem generalem ad huiusmodi oneris latiorem decisionem et considerationem, diffiniendo humiliter deputavit et delegavit, ipsum orando ut si quovismodo fieri possit ad partes illas transeat, et si opus sit congregationem patrum ubi et secundum quod necessarium viderit faciat, et cum eisdem rem istam sacram tractet, et ad reparationem dictorum monasteriorum Hungariae, iuxta regalem devotionem perficiat in plenaria Ordinis potestate. Quod si praefatus reverendissimus pater noster sive propter corporalem aegritudinem, sive propter guerrarum

pericula, personaliter ad partes illas transire non posset, ne tam sanctum opus imperfectum maneat, sed ut melius inchoari, ordinatius et fructuosius terminari possit et valeat, de Ebraco, de Fonte salutis, s. th. pr., et de Lanckheim monasteriorum abbatibus et duobus eorum, idem generale Capitulum in virtute salutaris obedientiae committendo praecipit et mandat, quatinus inter se videant, et quantocius commode poterint de loco et tempore cuiusdam Capituli seu congregationis generalis concludant, absque praeiudicio auctoritatis Capituli generalis et superioritatis seu iurisdictionis et auctoritatis monasterii Cistercii. In qua quidem congregatione abbates germanicae nationis et vicinorum locorum, quos ad praemissa tractanda et diffinienda vocandos iudicabunt auctoritate dicti Capituli convocabunt, et matura discussione facta inter eos iudicant, iuxta prudentiae discretionis et zeli industriam sui, ad charitative providendum in hoc sancto negotio ; quinimo, si opus sit, quod Deus avertat ! debita compulsione ad complementum praemissorum utentur tam pro necessaria conclusione fienda, quam pro congregandis religiosis et conductioni eorum ad dictum serenissimum dominum regem, et constitutione seu distributione eorumdem diversis monasteriis, prout in singulis pro meliori eis videbitur, insuperque tractabunt iuxta conscientiarum suarum dictamen et religionis nostrae statuta de paternitatibus monasteriorum, qui de novo instaurabuntur. Et in praemissis se iuvabunt de pecuniis contributionum Ordinis prout discretioni eorum melius videbitur ; praefato domino nostro Cisterciensi cuncta quae circa dictam assignationem dictae congregationis fecerint ante diem assignationis intimando, ut si Domino permittente, sublatis impedimentis ad eam transire poterit, ipse, ut dictum est, vadat, aut si in Alemanniam transire non possit, denuntiet eisdem patribus, quid ulterius agendum fuerit; et nihilominus si aliquo casu accidente nuntii redire non possint, dicti abbates superius nominati cuncta praemissa prosequantur et ad debitum finem perducant, ut praemissum est, perinde ac si ipse reverendissimus pater noster Cisterciensis praesens adesset, in plenaria Ordinis potestate, invocato ad praemissa et ea tangentia, si opus fuerit, brachii saecularis auxilio, consilio et favore. Omnibus igitur regularibus personis Ordinis per praefatos coabbates nostros convocandis firmiter damus in mandatis, in virtute salutaris obedientiae, et sub excommunicationis latae sententiae poena, quatinus

in praemissis omnibus et ea tangentibus eisdem coabbatibus nostris tamquam eidem generali Capitulo obediant et assistant.

19. Capitulum generale diffiniendo committit abbatibus de Gratia Dei et de Charone et eorum cuilibet, quatinus quam commode fieri poterit, se informent super conversatione, vita et moribus fratris Iacobi de la Nouhe, professi monasterii de Ré, quem secundum eius merita vel demerita ita tractent, quod mali rumores, qui de eo in dedecus Ordinis currunt perpetuo sopiantur, et quod non sit opus in posterum rem eius retractare, in plenaria Ordinis potestate.

20. Committit praesens generale Capitulum abbatibus de Ardorello et de Candelio, ut se transferant ad monasterium monialium de Bonoloco, et ibidem per censuras Ordinis sorores eiusdem loci super suis excessibus et signanter quia munus benedictionis monachicae, absque patris abbatis licentia ab episcopo receperunt, corrigant et puniant, dentque eis leges Ordini consonantes, ad quarum observantiam eas compellant in plenaria Ordinis potestate.

21. Capitulum generale diffiniendo reverenter committit domino Cistercii, ceterisque primis abbatibus et aliis quos secum voluerint in hac parte assumere, omnes et singulas causas, in plenaria Ordinis potestate, diffiniendi et terminandi, quae in praesenti diffiniri et terminari nequeunt.

22. Abbati de Caroliloco, s. th. pr., Capitulum generale diffiniendo committit, praecipit et mandat, quatinus super causis transitus ad Ordinem nigrum fratris Dorin, professi monasterii de Misericordia Dei, se informet, et secundum quod expediens videbitur, salva Ordinis disciplina, eumdem fratrem ad Ordinem et locum priorem revocet et recipiat, aut sicuti est, relinquat.

23. Abbatibus de Sylva Melonni et de Lanvaux, et eorum cuilibet in solidum, generale Capitulum committit, praecipit et mandat, quatinus se informent super quadam diffinitione anno praeterito edita, eiusque executione, eorumque quae occasione cuiusdam hominis nominati Christofori Rivelloni a dicto monasterio expulsi acciderunt, et secundum quod invenerint controversias inde ortas praedicta diffinitione non obstante, et terminent et sopiant, monasteriumque ipsum visitent et reforment in plenaria Ordinis potestate, nec omittant quae fecerint proximo Capitulo confirmanda vel infirmanda fideliter referre.

24. Abbati de Pontigniaco diffiniendo committit et praecipit

praesens generale Capitulum, quatinus ad monasterium de Quinceyo se transferens seipsum informet super quodam tractatu inter abbatem et conventum ex una, et Laurentium Cruchot, Nicolaumque et Guidonem fratres pro se, eorumdem uxoribus et liberis partibus ex altera, passato de quadam grangia dicta Massoub ad certas vitas praenotatis hominibus tradita, quem tractatum si invenerit esse rationabilem et utilem, proximo generali Capitulo referat, ut secundum eius tenorem, si opus est, approbetur.

25. Generale Capitulum revocat commissionem abbatis de Gratia Dei ad triennium.

26. Capitulum generale revocat diffinitionem anno elapso editam, pro visitatione monasterii de Spinoso loco, abbatibus de Alna et de Villari commissam.

IUDICES

27. Audita querimonia nobilis viri Wernheri Loibly, civis Bernensis, ex parte decimarum de Elswil et de Balsurguen monasterio de Altocristo pertinentium, quas pro spatio novem annorum continuorum anno Domini 1475 incipientium, nomine abbatis et totius conventus dicti monasterii de Altocristo, sibi admodiavit frater Petrus Gacheti, conventualis cellerarius et procurator eiusdem monasterii, prout ex litteris inde confectis eidem generali Capitulo exhibitis plenius patere videtur, cuius admodiationis gratia tempore guerrarum ipsae decimae cum domibus et pertinentiis suis, ut asserit idem Wernherus ipsi monasterio de Altocristo per eum fuerunt salvatae, quae aliunde hostiliter devastatae fuissent, quas tamen decimas finita guerra ipsius monasterii abbas quibusdam aliis locavit et admodiavit, priore admodiatione per plures annos ante terminum suae admodiationis spreto et repudiato, generale Capitulum committit abbati de Aurora, quatinus citatis coram se partibus ad locum et diem competentem, allegationibus earum diligenter auditis et intellectis, prout melius viderit et cognoverit, debitum iustitiae complementum administret, ipsas partes ad tenendum ea quae per ipsum decreta fuerint, per censuras Ordinis compellendo, in plenaria ipsius Capituli generalis et totius Ordinis potestate.

28. Abbati de Caroliloco, s. th. pr., Capitulum generale committit, praecipit et mandat, quatinus super controversia quam

in prioratus B. M. de Guenmeto vertitur, diligenter se informans ad pacificationem et finalem huiusmodi controversiae et circumstantiarum eiusdem determinationem iuridice et regulariter procedat, in plenaria Ordinis potestate.

[DIFFINITIONES] SPECIALES

29. Praesens generale Capitulum dat domino Cistercii et illis quos secum de suo conventu voluerit assumere aut deputare, auctoritatem et plenum posse interpretandi et exponendi quamdam diffinitionem, super missa *de Requiem* per conventum Cistercii alta voce quotidie celebrata et celebranda, anno Domini 1406 editam, et etiam eamdem concordandi ad usus et ceteras Ordinis constitutiones pro missarum debita ordinaria et pacifica celebratione olim digestas, editas, promulgatas et approbatas, et cetera in hac parte agendi et perficiendi, quae dictum Capitulum agere et perficere posset, si actualiter sederet, eius quod actum et conclusum fuerit in hac re approbationem et confirmationem reservando.

30. Summum retributorem bonorum omnium, qui nullum bonum irremuneratum reliquit imitari cupiens praesens generale Capitulum, fratrem Martinum, dudum abbatem Sancti Gothardi in Hungaria, propter multiplicia sua merita et opera virtuosa, quibus in Ordine claruit, et propter quae minus iuste plurima pertulit opprobria, in priorem et administratorem perpetuum monasterii seu prioratus Varadini Petri, in comitatu Sezennae, Colocensis dioecesis, instituit, utrumque regimen eiusdem monasterii seu prioratus sibi committendo mandans ac praecipiens in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae poena, omnibus et singulis dicti monasterii seu prioratus personis regularibus, donatis quoque servitoribus et vassallis eiusdem, quatinus dictum fratrem Martinum in priorem suum indubitatum recipiant, obedientiam debitam eidem faciendo, alioquin mandat et praecipit omnibus et singulis ipsius Ordinis abbatibus et personis regularibus ubilibet constitutis qui per dictum priorem super hoc requisiti fuerint, quatinus dicti prioratus religiosos seu personas regulares ad recipiendum dictum priorem, eique fideliter obediendum per censuras Ordinis aut alias poenas debitas compellant, aut si compelli non possint,

eos eiiciant et alios bonos et honestos religiosos dicto priori obedientes ibidem reponant, in plenaria Ordinis potestate.

31. Praesens generale Capitulum monet omnes et singulas Ordinis personas sub excommunicationis poena quatinus, infra viginti dies ab intimatione huius diffinitionis, reddant et restituant domino Morimundi et suo monasterio omnes et singulos libros ac etiam omnia et singula alia bona mobilia et immobilia, puta cartas, scedulas, vasa aurea vel argentea, mappas, linteamina seu quaecumque alia bona ; huius diffinitionis omnibus et singulis nostri Ordinis sacerdotibus super hoc requirendis executionem committendo. Datum sub appensione... etc.

32. Capitulum generale in quantum potest et debet, dispensat cum sorore Catherina de Sages, ut non obstante quod sit minor aetate, sua bona et virtuosa dispositione attenta, nihilominus eiusdem promotio debeat tamquam canonica reputari, nam senectus venerabilis est non diuturna, neque annorum numero computata.

33. Capitulum generale supportat abbatem de Signiaco a transmissione scolaris ad studium universale, ad triennium a data praesentis diffinitionis computandum.

34. Capitulum generale praecipit et mandat abbatibus de Frigidomonte et de Lanneyo, ut scolari de Belloprato in subsidium lecturae suae summarum realiter, anno sequenti, similes summas illis distribuant et solvant, quas per triennium elapsum eidem scolari persolverunt, huius diffinitionis executionem abbati de Caroliloco, s. th. pr., committendo.

35. Capitulum generale ob reverentiam Dei Virginis gloriosae permittit quod conventus monasterii de Fontanis albis, pout consuevit, dicat, decantet et recitet *Inviolata, integra,* etc.

36. Capitulum generale ordinat fieri procuratorium abbati de Bellaaqua super alienatione loci de Bocheto membro, quod tunc fuit unitum monasterio Aquaebellae per dominum cardinalem Sancti Petri ad Vincula facta, et dictum membrum possit dicto monasterio Aquaebellae reuniri.

37. Capitulum generale misericorditer concedit fratri Iacobo du Chasne, sacerdoti religioso de Gratia, spatium trium mensium a die datae praesentis diffinitionis computandum, sibi in Ordine benevolum receptorum procurandi.

38. Capitulum generale dat licentiam priori et conventui monasterii de Bolbona per certum receptorem in hac parte

deputandum, recipiendi pecunias, quas pro fundatione cuiusdam missae dietim in honorem gloriosae Virginis Mariae celebrandae persolvendas annuatim, quondam praepotens et egregius dominus, dominus comes Fuxi assignavit, ita tamen quod taliter pecuniae illae distribuantur et tractentur, quod conventus ipse nec eiusdem fratres de vitio proprietatis in futurum quomodolibet valeant redargui.

39. Capitulum generale ordinat, ut Summo Pontifici rescribatur, quatinus casset et annullet litteras suas virtute quarum monasterium monialium Bituminis unitum fuit cuidam capellae ad instantiam dominae ducissae Sabaudiae, omnis prosecutionis huius rei negotium procuratori generali committendo.

CITATIONES

40. Auctoritate Capituli generalis fratres Ioannes Cornet et Guillelmus de Moncello, religiosi Ordinis, pro dignitate abbatiali in monasterio de Fulcardimonte contendentes ad proximum generale Capitulum, ad ea quae tunc eis per promotorem causarum obiicientur, quod iustum fuerit, responsuri, sub poena perditionis iuris et causae ipsorum peremptorie citentur, quidquid per eosdem contendendo actum est violenter annullando, et sub simili poena districte praecipiendo eisdem, ne medio tempore aliquid ulterius in praeiudicium monasterii attentent aut aliqui de quibuscumque ipsius monasterii rebus mobilibus aut immobilibus quomodolibet alienari procurent, quinimo ad quorumdam alienatorum plenariam restitutionem omnino se disponant, effective compellantur; executionem huius diffinitionis omnibus et singulis Ordinis regularibus personis super hoc requirendis, sub censuris Ordinis committendo.

SUFFRAGIA

41. Pro generoso et nobili viro Thoma de Moncy milite, Ioanna eius uxore et liberis eorumdem.

1480

Anno Domini millesimo quadringentesimo octuagesimo, edita sint et diffinita quas sequuntur in generali Capitulo, etc.

ORATIONES

1. Pro sanctissimo ... *etc. ut in anno* 1479.
2. Praeterea pro serenissimo ... *etc. ut in anno* 1472.
3. Insuper pro burgensibus ... *etc. ut in anno* 1449.
4. Ceterum pro pace ... *etc. ut in anno* 1449.
5. Demum pro felicis ... *etc. ut in anno* 1470.

[DIFFINITIO] GENERALIS.

6. Cum Ordo noster Cisterciensis specialiter et expresse ac iuste domino abbati et conventui Cistercii, ac ipsi monasterio Cisterciensi sit obligatus veraciter in summa 25448 francorum seu florenorum aureorum et 3 grossorum argenteorum de antiquo debito cum resta ultimorum computorum, quae ascendit ad summam 1309 flor. 14 solid. 2 den. de et pro toto tempore... *etc.* contributionem novem millium florenorum... *etc. ut in anno* 1449.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

7. Electionem, promotionem, institutionem et installationem de persona fratris Ioannis de Flequières, monasterii Claraevallis expresse professi, ad dignitatem abbatialem monasterii de Bullencuria, per dominum Claraevallis, s. th. pr., praefati monasterii immediatum patrem abbatem, prout in decreto... *etc.* confirmat.

8. Ad idem, pro fratre Petro de Porta, professo monasterii Septem fontium, ad dignitatem abbatialem monasterii de Barbello, per abbatem Prulliaci, praefati monasterii patrem abbatem ...

1480. *Fontes* : L^5 : 1-55 ; P^2 : 29 *(abbrev.)*, 53

9. Ad idem, pro fratre Ioanne de Duaco, monasterio Claraevallis professo, ad dignitatem abbatialem monasterii Pontisthieffredi Metensis, per dominum Claraevallis, s. th. pr., Ordinis commissarium.

10. Ad idem, pro fratre Ioanne de Reigny, monasterii Vallis lucentis professo, ad dignitatem abbatialem eiusdem monasterii.

11. Ad idem, pro fratre Helya Henardi, monasterii de Castellariis professi, ad dignitatem abbatialem monasterii de Grossobosco, per abbatem de Moroliis, Ordinis commissarium.

12. Translationem, permutationem, institutionem et installationem fratris Bernardi Viardi, nuper abbatis monasterii Pontisthieffredi Metensis, ad monasterium de Ripatorio, in dioecesi Trecensi, per dominum Claraevallis, s. th. pr., auctoritate Capituli generalis, certis et rationabilibus causis, factas per dominum Claraevallis, s. th. pr., eiusdem monasterii de Ripatorio patrem abbatem, praesens generale Capitulum secundum sui formam et tenorem, prout in decreto super hoc confecto plenius continetur, approbat, ratificat et confirmat eumdem fratrem Bernardum verum, unicum et indubitatum abbatem praedicti monasterii de Ripatorio declarando et pronuntiando.

13. Electionem, institutionem, installationem fratris Nicolai de Conay, monasterii de Crista, Lingonensis dioecesis, professi, ad dignitatem abbatialem eiusdem monasterii per abbatem de Vallibus in Ornesio et priorem monasterii Morimundi, eiusdem monasterii de Crista patris abbatis commissarios, factas et celebratas, ac per reverendissimum dominum nostrum Cisterciensem approbatas, ratificatas et confirmatas, prout in litteris decreti et confirmationis plenius continetur, praesens generale Capitulum approbat, acceptat, ratificat et confirmat, supplendo in quantum potest et debet omnes et singulos defectus, et qui forsan in praemissia intervenerint.

CONFIRMATIONES TRACTATUUM

14. Tractatum initum, factum et passatum inter abbatem et conventum monasterii de Valle clara et potentem dominum, dominum de Moy de Chin et de Bellecombe, eiusque generosam consortem dominam Margaretam Dailly, prout in litteris... *etc.*, confirmat.

15. Visis et diligenter examinatis et consideratis honestate, sanctitate et decentia tractatus inter reverendissimum in Christo patrem et dominum nostrum, dominum Cisterciensem eiusque conventum, et nobilem et clarissimum dominum, dominum Philippum Pot, militem, dominum de Rupe, magnum senescallum Burgundiae, cui nostrae praesentes configuntur, scientesque summam mille francorum in eodem tractatu expressam per eumdem dominum de Rupe die confectionis praesentium fuisse et esse, realiter et de facto, eidem reverendissimo domino Cisterciensi eiusque conventui et officiariis in praesentia nostra solutam, expeditam et traditam in ipso Cisterciensi monasterio, et de qua praefatus dominus de Rupe suique successores et haeredes merito quitti et liberi perpetuo esse debent. Nos dictum tractatum, universaque in eo contenta approbamus, ratificamus et confirmamus, volentes sacrum Cisterciense monasterium universasque ipsius personas praesentes et futuras ad observantiam et impletionem contentorum in eodem tractatu, perpetuis temporibus, teneri et obligari, in plenaria Ordinis potestate.

16. Visis, auditis et diligenter examinatis litteris tractatus facti, initi et passati inter abbatem et conventum monasterii de Ellancio, et fratrem Ioannem Blonde monachum eiusdem monasterii, prout plenius... *etc.* confirmat.

17. Tractatum initum, factum et passatum inter reverendissimum in Christo patrem dominum Cisterciensem suumque conventum ex una, et dominum Pontigniaci de et super venditione redditus 30 denar. parvorum turonensium, per monasterium de Benedictione Dei, singulis annis ecclesiae Cisterciensi debiti, prout... *etc.* confirmat.

18. Tractatum initum, passatum et conclusum inter reverendissimum in Christo patrem dominum Cisterciensem et eius conventum ex una, et nobilem virum Anthonium Lombart presbyterum ex altera, declaratum et expressum in litteris patentibus quibus praesens diffinitio annectitur, Capitulum generale tamquam iustum et ad utilitatem monasterii Cistercii factum, approbat, ratificat et confirmat secundum omnes suas partes.

19. Ad idem, pro domino Firmitatis suoque conventu ex una, et habitatoribus seu manentibus villagii de Laluye partibus ex altera, tamquam iustum ... *etc.* confirmat.

20. Ad idem, pro abbate et conventu de Leoncello ex una, et Guillermum et Ioannem Morini partibus ex altera, cum sup-

pletione lapsus temporis de non confirmando per Capitulum tempore debito.

PROCURATORES

21. Praesens generale Capitulum debite in Spiritu Sancto congregatum, cupiens Ordinis agenda fructuose et commode agi et tractari, fecit, constituit, creavit et ordinavit venerabiles coabbates monasteriorum de Strafordia, de Rievalle, de Fontibus, de Voburnia, de Hayles, de Wardona, de Gratiis, necnon dilectum in Christo filium fratrem Ioannem Cok, et quemlibet eorum in solidum, totius nostri Cisterciensis Ordinis veros, certos, legitimos et indubitatos procuratores, syndicos et nuntios speciales in omnibus et singulis causis, querelis et negotiis ipsius Ordinis et personarum eiusdem motis et movendis contra quascumque personas ecclesiasticas, saeculares vel laicas, tam pro toto Ordine, rebus et personis eorum, quam contra ipsum, dantes eisdem procuratoribus et cuilibet eorum plenam potestatem et mandatum speciale petendi, repetendi et requirendi, per omnes iuris et iustitiae vias ecclesiam nostram de Scardeburgh cum omnibus capellis, decimis, iuribus, proventibus, pertinentiis et emolumentis ipsius, necnon omnes census, redditus et proventus nobis praefato abbati Cistercii, monasterioque nostro Cisterciensi ac conventui ipsius per universum regnum Angliae debitos, ac ratione guerrarum et divisionum nobis detentos, seu ab aliis occupatos, conveniendique universos et singulos detentores ac occupatores tam dictae ecclesiae nostrae de Scardeburgh, et pertinentiarum ipsius coram quibuscumque iudicibus ecclesiasticis vel saecularibus, ordinariis vel extraordinariis, legatis vel subdelegatis, vel aliis quibuscumque et locatenentibus eorumdem, ipsosque detentores coram dictis iudicibus aut altero eorum citandi et vocandi, libellos, scripturas, instrumenta, acta, litteras, cartas et quaecumque munimenta ad hoc servientia dandi et offerendi, oblatum seu oblatos recipiendi, excipiendi, proponendi, duplicandi, et cetera ut in aliis.

PROVISIONES SCOLARIUM

22. Abbatibus de Pietate Dei, de Campania et de Tyronello per generale Capitulum praecipitur, quatinus dehinc ad triennium

manuteneant fratrem Petrum Inhes, monasterii de Pietate scolarem, cum debita et sufficienti provisione, mandatque abbati... *(locus vacuus)* quatinus compellat praefatos abbates per censuras Ordinis ad praemissa observanda.

23. Praesens generale Capitulum cupiens viros doctos habere et nutrire, qui possint uberes fructus in posterum afferre, ex tunc declarat censuras Ordinis secundum formam in *Benedictina* contentas contra abbates, nisi mittant scolares infra Pascha, incurrisse, praecipiendo omnibus et singulis commissariis Ordinis ac etiam provisori et magistro regenti nostri collegii Parisiensis, quatinus praesentem ordinationem denuntient aut denuntiari faciant in singulis provinciis, omnes et singulos abbates irretractabiliter compellendo in plenaria Ordinis potestate.

24. Generale Capitulum annuit et concedit abbati B. M. de Belloprato ut habeat percipere, et percipiat super monasteriis de Frigidomonte et de Lanneyo super quolibet ipsorum summam decem francorum annis singulis pro manutenentia sui scolaris, videlicet fratris Anthonii in theol. bacc. form. usque ad gradum doctoratus; abbatibus de Regalimonte et de Caroliloco, s. th. pr., et de Ellancio huiusmodi diffinitionis executionem committendo, in plenaria Ordinis potestate.

25. Praesens generale Capitulum hortatur et monet abbatem de Populeto, ut fratri Petro Azelor, scolari et religioso dicti monasterii de Populeto, pro ampliori sui studii provisione ministret eidem expensas aut valorem, quas ibidem faceret. si resideret, nec eum revocet usque ad gradum doctoratus absque licentia praefati Capituli generalis.

26. Conceditur generali Capitulo abbati de Ioyaco, ut habeat et levare possit super monasteriis de Noya et de Strata, pro manutenentia sui scolaris in nostro collegio Sancti Bernardi Parisiensis actu studentis, a monasterio videlicet de Noya decem francos, et a monasterio de Strata sex francos, usque ad tres annos.

COMMISSIONES

27. Abbati de Pontigniaci per generale Capitulum committitur, quatinus se debite et diligenter informet de et super contentis in litteris quibus haec praesens diffinitio annectitur, et si per informationem debite factam invenerit contenta in dic-

tis litteris fore utilia monasterio de Esclanchia ratificet, approbet et confirmet in plenaria Ordinis potestate.

28. Abbatibus de Firmitate, de Claravalle, s. th. pr., et de Morimundo et cuilibet eorum, generale Capitulum committit et mandat, quatinus alter ipsorum quamprimum commode poterit, se transferat ad monasterium monialium de Bonoloco, ibidemque visitet et reformet, in plenaria Ordinis potestate, moniales ad secundum Ordinis statuta vivendum et regulariter conversandum, viriliter compellendo.

29. Ad audientiam praesentis Capituli generalis lamentabiliter pervenit quod abbates regnorum Hispaniae, Arragoniae et Navarrae, necnon quorumdam vicinorum aliorum regnorum ac etiam milites de Calatravia, timore Dei postposito, in offensam divinae Maiestatis, et Ordinis pergrande scandalum et praeiudicium, laboraverunt ad hoc quod Capitulum generale in partibus illis singulis annis celebretur, et eximentur ab Ordinis iurisdictione, idem generale Capitulum huiusmodi abusibus et scandalis, quantum potest obviare cupiens committit reverendissimo domino nostro Cisterciensi, s. th. pr., quatinus quamprimum commode fieri poterit, scribat Sanctissimo domino nostro Papae, ac procuratori Ordinis, sumptibus et expensis communibus ipsius Ordinis, ad viriliter et exacte impediendum ne tale ac tantum in ipso Ordine oriatur scandalum.

30. Visitationem et reformationem omnium et singulorum monasteriorum principatus Walliae, abbatibus de Laude, de Woburnia et de Hayles, et duobus ipsorum, quorum unus sit semper abbas de Laude, praesens generale Capitulum committit in plenaria Ordinis potestate, ut exinde grandes excessus, crimina, et enormes casus, quae ad aures praesentis Capituli dolenter evenerunt, emendari et debite puniri valeant et possint ; rogat insuper reverendissimum dominum nostrum Cisterciensem, s. th. pr., quod illustrissimo principi domino duci de Wallia scribat litteras regratiatorias, eidem benigne nostri Ordinis monasteria commendando et omnia cum clausulis opportunis per ipsum dominum Cisterciensem apponendis.

31. Praesens generale Capitulum abbatibus de Pontigniaco et de Fontemorum committit, quatinus ipsi aut unus ipsorum iuste et fideliter se informent super tractatu inito et passato, cui haec praesens diffinito annectitur, inter abbatem et conventum monasterii de Callovio, et Ioannem Parent, necnon Thereni-

no Bertheau, de grangia de Bourderousse pertinente dicto monasterio, et si dictum tractatum fidelem et ad profectum praefati monasterii de Callovio repererint, ipsum confirment et ratificent.

32. Ad idem, pro domino Pontigniaci de tractatu facto inter abbatem et conventum de Quinciaco ex una, et Laurentium Truchart, Nicolaum et Guidonem Truchart partibus ex altera.

33. Praesens generale Capitulum committit abbati de Aquabella, quatinus fideliter et diligenter se informent de et super qualitate, statu et valore monasterii Vallis Sanctae, Aptensis dioecesis, et informatione debite facta de singulis, proximum generale Capitulum informare non omittat.

34. Reverendissimo in Christo patri domino nostro Cistercii ac domino Claraevallis, s. th. pr., et eorum cuilibet in solidum, committit praesens generale Capitulum, ut visis instrumentis et actis super provisione monasterii de Bullione de persona fratris Ioannis de Divione, et si invenerint secundum formam Ordinis rite et canonice factam, confirment in plenaria Ordinis potestate.

35. Committit praesens generale Capitulum abbatibus de Nigrolacu et de Fontemorum, et eorum cuilibet in solidum ut secundum statuta et per Ordinis censuras compellant fratrem Rogerium Lorin, professum monasterii de Pratea, qui nunc residet in villa Exoldum in dedecus Ordinis, et suae salutis detrimentum, residere seu residentiam facere in dicto monasterio de Pratea, in plenaria Ordinis potestate.

36. Rebelliones, inobedientias et insolentias domino abbati Morimundi, Ordinis commissario, per abbatissam et moniales monasterii monialium B. M. de Esclanchia ac nonnullorum aliorum monasteriorum monialium in Alvernia et terris circumvicinis sitorum, factas et illatas, in maximum salutis earum praeiudicium et horrendum Ordinis dedecus, praesens generale Capitulum fide dignorum relatu lamentabiliter audiens et tantis abusibus, quantum cum Deo potest, obviare cupiens, domino abbati Pontigniaci committendo praecipit et mandat, quatinus semotis sinistris affectionibus, volontariisque excusationibus, quamcitius commode poterit, ad dictas partes Alverniae et circumvicinas se personaliter transferat, dictaque monasteria monialium visitet et reformet, dictaeque abbatissae et monialibus eiusdem monasterii de Esclanchia, pro dictis rebellionibus, inobedientiis et insolentiis, poenitentiam iniungat, videlicet quod

dicta abbatissa, per quatuor menses immediate suam ordinationem sequentes, divinum servitium tam diurnum quam nocturnum, claustrumque et conventum frequentando et prosequendo, singulis quartis et sextis feriis eorumdem quatuor mensium levis culpae poenitentiam agat, solo pane et aqua vescatur, sitque primo mense dictorum quatuor mensium in ecclesia extra stallum suum, monialibus vero eiusdem monasterii iuxta delictorum qualitatem, et statutorum nostrae sacrae religionis tenorem talem poenitentiam infligat pro sua prudentia, quod aliis monialibus non solum eorumdem monasteriorum, sed etiam aliarum regionum cedat in exemplum, appellationem frivolam per easdem abbatissam et moniales emissam, auctoritate dicti Capituli nullius vigoris et efficaciae fuisse et esse declarando, compellendoque per Ordinis censuras dictam abbatissam et officiarias eiusdem ad realiter et cum effectu ac indissimulanter solvendum eidem domino Morimundi pro panno et structura seu factura scapularium duas libras 10 solid. et pro expensis vacationibus et aliis damnis per eum factis et supportatis in visitatione eiusdem monasterii, et resistendo inobedientiis et rebellionibus praedictis summam 14 scrutorum regis, infra terminum per eumdem dominum de Pontigniaco praefigendum. Idem insuper generale Capitulum committendo dat auctoritatem eidem domino Pontigniaci, quatinus sub censuris Ordinis levet et percipiat, sive per se sive per alium, a monasteriis infrascriptis summas tam contributionum, quam subsidiorum charitativorum pro necessitatibus Ordinis monasteriis impositorum, et arreragia necnon ad compellendum sub eisdem censuris monasterii Mediimontis eidem domino Morimundi solvendi summam 4 libr. turon. quas pro panno et factura scapularium pro monialibus eiusdem monasterii exposuit ac etiam expensas per eum factas in sua visitatione iuxta discretionem eiusdem domini Pontigniaci, compellendumque abbatissam et moniales eorumdem monasteriorum ad tenendum et observandum cartas visitationis per eumdem dominum Morimundi confectas et editas ac eisdem monasteriis dimissas, sub poenis tam in eisdem cartis contentis quam aliis per eum taxandis, visitandique et reformandi universa monasteria utriusque sexus earumdem terrarum, ac faciendi circa praemissa et ea tangentia alia quae faceremus, in plenaria Ordinis potestate. Monasteria autem sequuntur debentia quotas ultimi subsidii charitativi : monas-

terium de Bocheto 4 scuta ultra 6 gros. solvat domino Morimundi ; monasterium de Feneriis 20 scuta ; monasterium de Esclanchia 12 scuta ; monasterium de Palatio Lemovicensi 8 scuta ; monasterium de Bellaqua 6 scuta ; monasterium de Bullio Lemovicensi 8 scuta ; monasterium de Valle benedicta 6 scuta ; de Garda Dei 6 scuta ; de Forensio 6 scuta ; de Clava 2 scuta ; de Bonaaqua 8 scuta, et arreragia alterius praecedentis subsidii ac contributionum.

37. Non potuit praesens generale Capitulum absque gravi mentis amaritudine audire fratrem Ioannem Bustett, monachum monasterii de Hayles, Wigorniensis dioecesis, sub praetextu rectoriae cuiusdam ecclesiae parochialis, ac sub confidentia plurium consanguineorum et affinium suorum, limites claustri pro libitu exire, et nihilominus prioris officium in eodem monasterio praepropere occupare, et quod gravius est se ab Ordinis iurisdictione exemptum praetendere, inde licentia accepta in omnem dissolutionis abyssum se effluere et diffundere non veretur, spreta et postposita obedientia sui patris et abbati omni iure debita ; indeque non solum difformem aut potius dissolutum habitum hominis interioris sed etiam exterioris demonstrans lineis camisiis, zonis de aurifrigio margaritis contextis, nodulis fibulis aureis et argenteis, quandoque vero monilibus et aliis superfluitatibus utens se in omni parte habitus corporis remotissimum ab religionis simplicitate et honestate demonstrans. Quapropter tantis abusibus obviare cupiens dictum generale Capitulum abbati de Woburnia committendo districtissime praecipit, quatinus se super praemissis diligenter informet et tantam monachi superbiam et arrogantiam, superfluitatemque et inobedientiam taliter puniat, castiget et emendet, quod aliis cedat in exemplum et aedificationem correcti erroris, etiam per ablationem et omnimodam privationem ab omni officio et administratione ; necnon si sua exigant demerita relegationem in claustro vel in carcere, cum tales morum corruptores quacumque auctoritate promoti non debeant gaudere privilegio, ut abbates Ordinis per Sanctam Sedem sublimati, faciatque praemissa omnia et circa ea necessaria in plenaria Ordinis potestate, ac etiam confirmet eadem auctoritate promotionem, installationem et institutionem abbatis de Hayles ad dignitatem abbatialem eiusdem monasterii.

38. Abbatibus de Woburnia et de Rievalle aut alteri abbati,

quem ipse de Woburnia dignum duxerit vocandum, si dictus de Rievalle super hoc vacare non posset aut nollet, praesens generale Capitulum committendo mandat, quatinus se diligenter informent super delictis, excessibus et aliis multis offensis, quae dicuntur fuisse perpetratae per fratrem Nicolaum Driffald, dudum professum monasterii de Fontibus, eumque iuxta demeritorum qualitates sic debite puniat, quod aliis cedat in exemplum, ipsum si dignum duxerint compellendo manere et profiteri in monasterio de Woburnia, aut alio quocumque Ordinis monasterio, prout melius viderint, perpetuum silentium eidem fratri Nicolao super quibusdam per eum praetensis querelis imponendo, in plenaria Ordinis potestate.

39. Cum ingenti cordis amaritudine praesens generale Capitulum fide digno relatu audiens fratrem Richardum Archibold, in s. pag. pr., multa in dies adversus Ordinem tractare, vitae inhonestatem sectari, et quod suo statui penitus indecens est, alchimiae traditionibus vacando tempus perdere, et Ordinis puritatem denigrare, committendo districtissime mandat et praecipit de Fontibus, de Strafordia, de Woburnia abbatibus, quatinus se super huiusmodi et aliis eiusdem fratris Richardi delictis sufficienter informent, et eum prout expediens et rationabile viderint iuxta delictorum qualitatem corripiant, puniant et emendent, formam vivendi iuxta nostrae religionis honestatem et sui status decentiam sibi imponendo, in plenaria Ordinis potestate.

40. Abbatibus de Loco Mariae, de Sconaugia et de Monte Sancti Disibodi, et eorum cuilibet in solidum, per generale Capitulum districtissime mandando praecipitur, quatinus etiam cum invocatione et imploratione favoris et auxilii brachii saecularis, si opus fuerit, omni dissimulatione semota, per omnes iuris et iustitiae vias, realiter et de facto, compellant fratrem Ioannem Kauffman fugitivum et apostatam, qui suae salutis immemor irregulariter vivendo discurrit per mundum, et curias magnatum contra formam religionis, honorem Ordinis et personarum multipliciter denigrando, ad suae professionis monasterium de Eberbaco reverti et redire, ipsum secundum suorum exigentiam demeritorum debite puniendo et corrigendo, in plenaria Ordinis potestate.

41. Generale Capitulum debite et sufficienter informatum de religiosa et laudabili reformatione, regulari dispositione et ordi-

natione monasterii monialium de Salvatorio iuxta et subtus Laudunum, ad devotam et commendandam devotionem illustris ac nobilis dominae, dominae Ioannae de Flandria, tunc dominae de Sancto Gobanno, per Ordinem pro salute animarum factis, quae reformatio licet ab eiusdem locis devotis sanctimonialibus longo tempore irrefragabiliter fuit observata, modernis tamen, proh dolor ! ut ipsi Capitulo relatum est, ad tantum devenit neglectum et contemptum ut domus ipsa dissolutionis et irregularitatis potius quam devotae religionis locus dici mereatur, ita quod et abbatissae negligentia et religiosarum malitia et inobedientia multorum defectuum et vitiorum sint causa, nimiusque et nimis frequens ipsarum religiosarum extra monasterium est egressus, et virorum ad ipsas inordinatus ingressus. Quapropter praesens generale Capitulum totis praecordiis Dei et religionis honorem ac animarum salutem ferventer desiderans, abbatibus de Signiaco et de Valle clara, in virtute salutaris obedientiae praecipiendo iniungitur, quatinus secum assumpto abbate Fusniacensi eiusdem loci immediate patre abbate, quamcitius commode poterunt, ad ipsum monasterium de Salvatorio personaliter accedant, et ibidem debite et religiosae visitationis et reformationis officium exercendo, super omnibus et singulis eiusdem reformationis articulis per abbatem Claraevallis ad hoc praesens Capitulum apportatis et praesentatis diligenter et debite se informent, et si eos secundum nostrae regulae et statutorum formam fuisse factos et ordinatos invenerint, illos integraliter et indefectibiliter secundum suam formam et tenorem, omni dissimulatione, teneri, impleri et observari faciant, ad hoc abbatissam et religiosas compellendo ; si vero abbatissa in hoc negligens, inobediens aut nolens, vel non potens, et si inutilis et insufficiens ad hoc et utriusque regiminis eiusdem monasterii salutarem directionem inventa fuerit, illam deponant et destituant, aliam loco eius, quae hoc possit et velit, in Ordine professam, instituendo, rebellesque et contradicentes religiosas, si quod absit, aliquae reperiantur, ab ipso monasterio penitus et totaliter expellendo et emittendo, ceteraque omnia et singula circa praemissa et ea tangentia faciendo et agendo, quae idem Capitulum agere et facere posset, etiam tam abbatissam quam ceteras religiosas ad sibi obediendum astringendo et compellendo, in plenaria Ordinis potestate.

IUDICES

42. Abbatibus de Prulliaco, de Regalimonte, de Caroliloco, s. th. pr., et eorum cuilibet per generale Capitulum committitur, quatinus per omnes iuris et iustitiae vias compellant, in plenaria Ordinis potestate, abbatem et conventum monasterii de Valle B. M., ad solvendum haeredibus Guillelmi Boulecart, quondam civi parisiensi, omnes et singulas pecuniarum summas, secundum tractatum passatum in praesentia abbatis Caroliloci.

43. Abbatibus de Regalimonte, s. th. pr., et de Valle nostrae Dominae, tam coniunctim quam divisim, praesens generale Capitulum committit, quatinus omnes et singulas Ordinis utriusque sexus personas et earumdem monasteria seu quaecumque loca, quas et quae per testes fide dignos, litteras obligatorias, acta seu alia legitima documenta invenerint abbati et conventui monasterii Caroliloci debite teneri obligatas seu obligata, sive quaecumque eorumdem bona detinendo aut indebite occupando, tam in pecuniarum quam aliarum rerum summis seu debitis, ad eisdem plenarie realiter et de facto satisfaciendum astringant et compellant, in plenaria Ordinis potestate.

44. Ad idem, pro domino Cistercii suoque conventui, abbatibus de Firmitate, de Maceriis et de ... *(locus vacuus)*.

45. Ad idem, pro collegio Sancti Bernardi Parisiis, abbatibus de Regalimonte et de Caroliloco, s. th. pr., et de Vallibus Sernay.

46. Ad idem, pro monasterio de Parco dominarum, abbatibus de Prulliaco, de Regalimonte et Caroliloco.

47. Ad idem, pro domino Claraevallis.

48. Ad idem, pro domino de Pontigniaco, abbatibus de Morimundo et de Reigniaco, et eorum cuilibet.

49. Ad idem, pro abbate de Fontemorum, abbati de Nigrolacu.

50. Constituti personaliter in diffinitorio coram Diffinitoribus praesentis Capituli generalis magister Guillelmus Ernault, procurator et nomine procuratorio sororis Ysabellae Seram, pro priorissa prioratus B. M. de Villaribus Quaniveti se gerente, ac etiam magister Ioannes Regnes procurator et nomine procuratorio sororis Margaretae de Vaussy electae et in priorissam eiusdem prioratus, per abbatem Savigniaci, patrem abbatem eiusdem loci, citatae et confirmatae, pro pace habenda inter

praefatas sorores super dignitate memorati prioratus contendentes, in praesentia nostra sponte et libere omnibus litibus, processibus et appellationibus, tam in Scacario quam in curia magni senescalli Normanniae, seu etiam in quacumque alia saeculari curia aut ecclesiastica curia, sive per doleantiam sive alias pendentibus renuntiando et desistendo omnia et singula huiusmodi discordiam inter memoratas sorores concernentia, sine praeiudicio iuris utriusque partis, Ordini remiserunt fine debito terminandum, dummodo a praemissa curia absque emenda, si absque emenda licentia seu remissio huiusmodi causae a dictis curiis haberi possit, aut cum emenda, quae non transeat summam 10 denar. accordaveruntque dicti procuratores, quod ad obtinendam dictam licentiam seu causae remissionem a dictis curiis simul, sive per se sive per notabiles personas, laborabunt fideliter et diligenter infra 15 dies ab eorum reditu a Capitulo generali, et cum ad dictas partes Normanniae reversi fuerint, iuraveruntque solemniter non impedire huiusmodi remissionem causae suae per se sive per alium, clam vel palam aut quovis alio modo, et si eorum alter cognoscat impedimentum dictae, remissionis, alteri illico significabit. Qua proptergenerale Capitulum huic litigio et processui finem imponere cupiens, abbatibus de Caroliloco, s. th. pr., et de Claromonte, et cuilibet eorum committit et mandat, quatinus quamprimum commode poterunt, ad praefatum prioratum personaliter accedant, ibidemque partibus vocatis et auditis, iustitiae complementum ministrent, et causam istam finiant et terminent in plenaria Ordinis potestate ; ordinans idem generale Capitulum et statuens quod memorata soror Margareta de Vaussy cum suis adhaerentibus habeant victum et vestitum sicut et ceterae moniales in eodem monasterio, lite pendente, dummodo divinum frequentaverint servitium, vixerintque regulariter secundum formam Ordinis.

51. Capitulum generale committit domino Morimundi ut se informet de et super venditione seu alienatione cuiusdam domus monasterii Pontisthieffridi Metensis, in eadem civitate Metensi, et partibus auditis debitum iustitiae complementum faciat, in plenaria Ordinis potestate.

52. Capitulum generale committit abbatibus de Prulliaco, de Caroliloco, s. th. pr., et de Ioyaco, et eorum cuilibet in solidum quatinus per Ordinis censuras compellant fratrem Ioannem de Pruino, priorem de Gratia nostrae Dominae, ad persolvendum

integre pensionem annuam 20 librarum turon. et unius caudae vini cum arreragiis fratri Ioanni de Longoprato, qui praefata pensione mediante dictum prioratum eidem de Pruino cessit et quittavit.

[DIFFINITIONES] GENERALES

53. Capitulum generale decernit, quod abbates per reverendissimum dominum nostrum Cisterciensem, habentem potestatem Capituli generalis, confirmati, non indigent amplius confirmari per ipsum generale Capitulum.

54. Districtissime praecipitur universis et singulis patribus abbatibus, visitatoribus, necnon contributionum receptoribus seu collectoribus, auctoritate Capituli generalis, quatinus se informent per se vel a se commissos de vero valore prioratuum et abbatiarum seu monasteriorum, de statu religiosarum ad statum religiosorum, et ipsum verum valorem ad generale Capitulum anno sequenti fideliter referant seu transmittant.

55. Cum tales ac tantae fuerint expensae Ordinis tam in legatione novissima ad Sanctam Sedem Apostolicam, quam in diversis aliis sollicitationibus et impetrationibus, tam adversus abbatem Sancti Bernardi depositum Ordinis procuratorem in Curia, quam alias diversimode, ita ut Ordo nunquam fuerit tantum gravatus, sicut est his diebus, praesens generale Capitulum universos Ordinis patres rogat, interpellat et obtestatur in Domino Iesu, ut in sibi possibilibus toti Ordini subveniant, et quod poterunt reverendissimo domino nostro Cisterciensi fideliter transmittant, se benivolos Ordinis filios ostendendo; et nihilominus eis ac universis collectoribus contributionum et subsidiorum, in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae poena, districtissime mandat et praecipit, quatinus omni dissimulatione postposita diligenter et fideliter quotas omnes sibi ad levandum commissas levent sive per se sive per alios dignos et sufficientes, ac quamprimum poterint summas receptas cum expressis computationibus praefato reverendissimo domino nostro Cistercii, prout melius et commodius fieri poterit, transmittant, salvis dispositionibus per eumdem reverendissimum Cisterciensem pro conservatione communium privilegiorum Ordinis et alias in diversis regnis et provinciis factis.

1481

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo octogesimo primo, edita sunt et diffinita in generali Capitulo.

ORATIONES

1. Pro sanctissimo... *etc. ut in anno* 1479.
2. Praeterea pro serenissimo... *etc. ut in anno* 1472.
3. Insuper pro burgensibus... *etc. ut in anno* 1449.
4. Ceterum pro pace... *etc. ut in anno* 1449.
5. Demum pro felicis... *etc. ut in anno* 1470.

[DIFFINITIO] GENERALIS.

6. Cum Ordo noster Cisterciensis specialiter et expresse ac iuste domino abbati et conventui Cistercii ac ipsi monasterio Cisterciensi sit obligatus veraciter in summa 25448 francorum seu florenorum aureorum et 3 grossorum argenteorum de antiquo debito, cum resta ultimorum quae ascendit ad summam 3850 florenorum, 8 grossorum, 2 den. de et pro toto tempore praeterito... contributionem novem millium... *etc. ut in anno* 1449.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

7. Electionem, promotionem, institutionem et installationem fratris Henrici de Anneto, professi monasterii de Albaripa, ad dignitatem abbatialem eiusdem monasterii, post resignationem fratris Guidonis Leonis, nuper abbatis dicti monasterii, per dominum Claraevallis praedicti monasterii immediatum patrem abbatem, *etc.* praesens generale Capitulum approbat, ratificat et confirmat.

8. Ad idem, pro fratre Ioanne de Lenduno, professo monaste-

1481. Fontes : L^5 : 1-91 ; *M* : 60, 61 ; P^2 : 6 *(abbrev.)*, 22 *(abbrev.)*, 60, 61, 62 ; T^6 : 60. [a] *Titulus apud* L^5.

rii de Signiaço, ad dignitatem abbatialem monasterii de Bullencuria, per resignationem fratris Ioannis de Flequières, per dictum dominum Claraevallis dicti monasterii immediate patrem abbatem acceptatas, factas et celebratas.

9. Ad idem, pro fratre Ioanne Asselin ad dignitatem abbatialem monasterii de Briostel alias de Lanneyo, Belvacensis dioecesis, per abbatem monasterii de Frigidomonte, virtute diffinitionis Capituli generalis factas, etc.

10. Item, promotionem, provisionem et institutionem de persona fratris Roberti Valée de Rothomago, professo monasterii de Bellobecco, ad dignitatem abbatialem monasterii de Fulcardimonte, per dominum Cisterciensem, s. th. pr., plenaria auctoritate et potestate Ordinis et Capituli generalis fungentem, factas... *etc.*

11. Ad idem, pro fratre Stephano Ausrye, professo monasterii de Valle Richerii, ad dignitatem abbatialem monasterii de Eleemosina, per dominum Cisterciensem, dicti monasterii immediatum patrem abbatem, factas.

CONFIRMATIONES TRACTATUUM, DIFFINITIONUM ET PENSIONUM.

12. Tractatum initum, factum et passatum inter dominum Claraevallis, s. th. pr., et conventum suum ex una, et abbatem de Signiaco partibus ex altera, pro prioratu de Claromarisco intra et extra muros civitatis Remensis cum eiusdem pertinentiis, necnon de grangia de Voisino, prout in litteris... *etc.* confirmat.

13. Item, tractatum initum, factum et passatum inter abbatem et conventum monasterii B. M. de Fontemorum et fratrem Ioannem Chamnart, quondam abbatem eiusdem monasterii secundum formam et tenorem litterarum super hoc confectarum, quibus... etc.

14. Ad idem, pro abbate et conventu monasterii Vallislucentis et Theobaldo Berthiet mercatore de et super quadam domo, vinea, stabulo aut grangia cum pertinentiis suis in civitate Trecensi situatis.

15. Ad idem, pro praefatis abbate et conventu Vallis lucentis et nobili viro Guidone le Peley, de et super quibusdam domo,

stabulo aut grangia cum pertinentiis suis in civitate Trecensi situatis, *etc.*

16. Pensionem per dominum Claraevallis, s. th. pr., fratri Guidoni Leonis, nuper monasterii de Albaripa abbati assignatam, prout plenius... *etc.*

17. Visis, auditis et diligenter examinatis litteris abbatis et conventus monasterii de Fonteneto, Eduensis dioecesis, et Ysabellae de Chappes, quondam uxoris honorabilis viri Humberti le Boiteux dicti Rolin, de et super quibusdam haereditagiis, domibus, iardinis et aliis rebus in Vitello situatis, prout... *etc.*

18. Capitulum generale confirmat diffinitionem anno praeterito factam contra fratrem Laurentium Menardi, religiosum de Bellabrancha, cui idem diffiniendo multis de causis praeceperat, ut indilate monasterium de Firmitate haberet intrare, et ibidem regulariter vivere ; et quia dictus frater visus est a praeceptis recedere, sub poena excommunicationis eidem districte praecipit et mandat quatinus, praesenti diffinitione visa, immediate ad monasterium de Scala Dei, Tarbiensis dioecesis, ibidem regulariter victurus, se transferat, sibi interdicendo sub poena excommunicationis latae sententiae ne quomodolibet audeat monasterium de Bellabrancha praedictum repetere, aut cum fratribus eiusdem loci conversari, donec aliter fuerit ordinatum, mandando fratribus Guillelmo Focault, Ioanni Hantres et cuilibet eorum ut praesentem diffinitionem debitae executioni demandent.

19. Appunctuamentum factum in monasterio de Pomerio per abbatem monasterii Novicastri, videlicet quod monasterium ipsum manebit in eodem modo et statu, quo dictus abbas in fine suae ultimae visitationis dereliquit absque abbate aut priore, propter inopiam aut insufficientiam omnium victualium, et in eo residebunt religiosi per triennium ex tunc immediate sequens sub disciplina et ordinatione eiusdem abbatis aut suorum commissorum in eodem, tam in spiritualibus quam temporalibus, quo tempore intermedio redditus et aedificia eiusdem monasterii recuperabuntur et reparabuntur, ut in fine triennii ibidem possit institui abbas et conventus secundum formam Ordinis, praesens Capitulum generale absque patris abbatis praeiudicio approbat, ratificat et confirmat.

20. Capitulum generale confirmat, ratificat et approbat pensionem assignatam fratri Ioanni Pomart, quondam abbati mo-

nasterii de Vallibus Sernay, per reverendissimum dominum Cistercii, prout... *etc.*

COMMISSIONES

21. Capitulum generale committit, mandat et praecipit dominis abbatibus de Pontigniaco et de Nigrolacu, quatinus se transferant, citius quo commodius fieri poterit, ad monasterium de Landesio, et ibidem diligenter se informent super quibusdam multiplicibus articulis accusatoriis, hinc inde inter abbatem et quosdam fratres eiusdem loci Capitulo generali praesenti exhibitis non sufficienter ad sententiandum dispositis, et secundum quod ipsi invenerint criminosos et delinquentes, in capite et in membris, taliter puniant, quod aliis cedat in terrorem et exemplum, et ulterius, si opus est, monasterium ipsum in capite et in membris visitent et reforment ,in plenaria Ordinis potestate.

22. Capitulum generale inter ceteras suas sollicitudines maxime de collegiis Ordinis ubicumque in Universitatibus generalibus constitutis eo affectuosius curam gerit, quo maiora ab eis toti Ordini hactenus commoda provenerunt, et quia ad eius notitiam deductum est collegium Ordinis Tolosanum ob defectum debiti regiminis ad ruinam et desolationem in Ordinis damnum et scandalum non modicum devenire, provisionem et ordinationem ipsius in spiritualibus et temporalibus, prout in *Benedictina* et in ceteris Ordinis constitutionibus in favorem collegiorum praedictorum et scolarium factis et editis plenius continetur, abbati de Candelio committit, eidem sub debito obedientiae praecipiendo, quatinus omnes et singulos abbates qui ad dictum collegium secundum *Benedictinam* praedictam suos scolares illuc mittere obligantur, per censuras Ordinis, commendatariis etiam monasteria, quae ad hoc obligantur, occupantibus non omissis, viriliter compellat, cum sufficientibus provisionibus eosdem suos scolares destinare, quibus de magistris, lectoribus dictus abbas secundum quod expediet et exiget capacitas auditorum diligenter providebit, duo aut tria monasteria quorum quodlibet non sufficeret suum mittere scolarem secundum eius discretionem copulando. Quos quidem scolares omnes et singulos procurabit et compellet disciplinate conversari, et si quos inde cognoverit, quod absit, deviare, illos studeat sub eodem debito reducere, et prout honestas et finis scolarium, qui sacrosanctae

religionis observantiam professi sunt, requirit et postulat ad viam dirigere veritatis ; et si invenerit aliquos monachos absque licentia et causa legitima vagari per civitatem Tolosanam et irregulariter se habere, eos capiat et carceri, si opus est, mancipet ac monasteriorum et abbatum suorum expensis secundum casus exigentiam detineat et corrigat, in plenaria Ordinis potestate.

23. Capitulum generale sufficienter per relationem domini Claraevallis de inutilitate et inhonesto regimine abbatis et monachorum de Valleregis informatum, volens de remedio providere, de Caroliloco, s. th. pr., de Igniaco et de Signiaco monasteriorum abbatibus diffiniendo praecipit et mandat, quatinus ipsi aut ipsorum duo coniunctim personaliter ad monasterium praefatum Vallis regis se transportent, atque ibidem in capite et in membris diligenter et efficaciter visitent, et quae visitanda, corrigenda et emendanda invenerint, corrigant et emendent, etiam usque ad abbatis, officialium atque ceterorum depositionem inclusive, expulsionem, et si opus sit, aliorum institutionem procedendo, in plenaria Ordinis potestate.

24. Capitulum generale committit domino Morimundi ut monasterium monialium de Sanctorames, prope et extra muros civitatis Lectoriensis in Vasconia situatum, prorsus reductum in ruinam, quod ut possit relevari frater Guillelmus, Mirapicensis, monasterii de Bollianis professus, supplicat sibi dari et conferri, ut de illo secundum Ordinis constitutiones praefatus dominus Morimundi disponat, eidem monasterio praefatum fratrem, aut alium praeficiendo, quem necessitati loci ipsius cognoverit congruere, commendario monasterii de Gimundo et quibuscumque aliis sub censuris Ordinis districte praecipiendo et mandando ut quaecumque bona mobilia sive immobilia a dicto monasterio de Sanctomares subtraxerit, restituat, in plenaria Ordinis potestate.

25. Capitulum generale praecipiendo mandat abbati de Oratorio, quatinus viriliter executioni demandet diffinitionem in favorem fratris Petri Iuhes scolaris de Pietate Dei dudum factam, etiam praecipiendo procuratoribus et receptoribus de Pietate Dei quatinus eidem scolari de vestiario debite et sufficienter provideant.

26. Capitulum generale cupiens semper universas utriusque sexus suae sollicitudini creditas personas ad gradus perfectionis promovere sublimiores, abbati de Ebraco, s. th. pr., diffiniendo

committit, praecipit et mandat, quatinus ad monasterium monialium de Coeli corona accedens, et illud in capite et in membris diligenter et religiose visitans illud in omnibus et per omnia reformare, emendare et ad instar reformatorum reducere pro semel dumtaxat studeat, auxilium domini marchionis Brandeburgensis principis terrae etiam, si opus est, implorando, in plenaria Ordinis potestate.

27. Abbatibus de Otterburg et de Heymerode, et cuilibet eorum in solidum, diffiniendo praecipit et mandat Capitulum generale, quatinus se diligenter informent super accusationibus introductis contra modernum priorem de Ramosa, et de actis circa eum per abbates de Eberbaco et de Mulbruna, necnon super appellationibus per praedictum priorem emissis, et secundum quod invenerint, eos terminent et studeant super praemissis rumoribus, quibus diu est audientia Capituli et multoties extitit occupata, dictum priorem corrigere et emendare, etiam si opus est contra eum usque ad depositionem inclusive, et alterius loco eius institutionem efficaciter procedendo, et ipsum prioratum in spiritualibus et temporalibus reformando, in plenaria Ordinis potestate.

28. Capitulum generale committit domino Morimundi ut compellat modernum abbatem Pontisthieffridi solvere pensionem antiquo abbati eiusdem loci hactenus assignatam, in plenaria Ordinis potestate.

29. Domino Pontigniaci per generale Capitulum committitur, quatinus quamprimum commode poterit, ad monasterium de Sancto loco, alias de Septem fontibus, personaliter accedat, ibidemque visitet et reformet in capite et in membris omnia et singula quae invenerit visitanda et reformanda, etiam viriliter et exacte compellendo per censuras Ordinis fratres Ioannem de Valle et Iacobum de Long, praedicti monasterii monachos, prout alias dominum Claraevallis moniti fuerunt ad reddendum computationes de omnibus et singulis per ipsos receptis tempore processus dicti monasterii, ipsos secundum suorum exigentiam delictorum puniendo et corrigendo.

30. De Caricampo et de Longovillari monasteriorum abbatibus, et eorum cuilibet in solidum, per generale Capitulum committitur, quatinus regimen et administrationem omnium et singulorum bonorum, reddituum et proventuum ecclesiae desolatae de Claromarisco in regno Franciae situatorum et existentium,

secundum suam providam discretionem et conscientiae dictamen de ipsis redditibus distribuant ea quae necessaria erunt fratribus Guillelmo Rapre, Florentino Martel, Iudoco Monachi, Ioanni Machaire, Guillelmo de Fromentel et Petro Vincent religiosis professis monasterii praedicti de Claromarisco in ipso regno commorantibus, quibus christianissimus dominus noster rex dedit permissionem et licentiam percipiendi et levandi ipsa bona, guerris durantibus; residuum vero praedictorum bonorum et reddituum penes se custodiant et conservent.

IUDICES

31. Ad audientiam praesentis Capituli generalis, fide dignorum relatu dolenter pervenit, quod in pluribus monasteriis Ordinis, et signanter in monasterio de Lanneyo, Belvacensis dioecesis, per abbates et quosdam religiosos dicti monasterii a triginta annis et citra, quidam tractatus illiciti et indebiti de quibusdam grangiis dicti monasterii terris seu membris maioribus et melioribus contra papalia et Ordinis statuta, incepti, facti et passati sunt et fuerunt, ac usque hodie permanent in praegrande praeiudicium et gravamen praedicto monasterio. Idem generale Capitulum super quod de remedio opportuno obviare cupiens, abbatibus de Regalimonte et de Caroliloco, s. th. pr., et eorum cuilibet in solidum committit et districte praecipiendo iniungit, quatinus quamcitius commode fieri poterit, ad praedictum monasterium de Lanneyo se transferant, aut alter eorum se transferat, ibidemque diligenter et debite super huiusmodi tractatibus se informent, aut alter eorum se informet; et si per informationem invenerint aut alter eorum invenerit dictos tractatus in praeiudicium et gravamen dicti monasterii, ac contra formam Benedicti Papae XII, et statuto rum Domini Pauli Papae II, in favorem totius cleri concessum-eosdem tractatus factos fuisse vel esse, cassent, irritent et annullent, ac nullius vogoris et efficaciae esse declarent, in plenaria Ordinis potestate.

32. Ad idem, pro monasterio de Vallibus Sernay, et eosdem iudices.

33. Ad idem, pro prioratu de Monceyo, abbatibus de Savigniaco, de Fontanis albis, de Claromonte et eorum cuilibet.

34. Ad idem, pro abbate de Barbello, abbatibus de Prulliaco et de Sacra cella et eorum cuilibet.

35. Ad idem, pro monasterio de Albaripa, abbatibus de... *(locus vacuus)*.

36. Per generale Capitulum committitur domino Claraevallis, s. th. pr., necnon abbatibus de Fonteneto et de Quinciaco, et eorum cuilibet in solidum, quatinus quamprimum commode poterunt, personaliter accedant, seu alter eorum accedat, ad monasterium de Moris, et ibidem vel alibi se fideliter et diligenter informent de et super contentis in supplicatione, cui praesens diffinitio annectitur, et si per informationem debitam invenerint contenta esse vera, partibus hinc inde vocatis et auditis, debitae iustitiae complementum eisdem ministrent, in plenaria Ordinis potestate.

37. Abbati de Belloloco, Ruthenensis dioecesis, per generale Capitulum committitur, quatinus quamprimum commode poterit, compellat per omnes iuris et iustitiae vias, abbatem monasterii de Calercio ad satisfaciendum abbati de Candelio de expensis per ipsum factis in auditione computorum monasterii Grandissylvae, auctoritate et mandato dicti Capituli, et hoc in plenaria Ordinis potestate.

38. Ad idem, domino Claraevallis, s. th. pr., et domino Morimundi, et eorum cuilibet pro domino Pontigniaci contra abbatem de Boscheto ad sibi refundendas expensas per ipsum factas, visitando et reformando praedictum monasterium virtute et auctoritate Capituli generalis.

39. Attenta dispositione monasterii de Busayo, ratione commendae, per generale Capitulum committitur provisori collegii Sancti Bernardi Parisiis, quatinus per censuras Ordinis compellat viriliter et exacte abbates monasteriorum de Sancto Albino et de Reliquiis ad realiter deliberandum 12 scuta fratri Ioanni Bolaie, scolari monasterii praedicti de Busayo, et in eodem collegio sententias in proximo lecturo ad succurrendum suis necessitatibus et agendum, et hoc in plenaria Ordinis potestate.

40. Per generale Capitulum committitur abbati de Rigniaco, s. th. pr., quatinus per censuras Ordinis compellat abbatem monasterii de Sacracella ad satisfaciendum domino Pontigniaci, de expensis factis ratione religiosi sui in carceribus praefati domini, suis exigentibus demeritis, detenti, et hoc in plenaria Ordinis potestate, ipsum quoque deinceps in suo monasterio

detineat et ad illud revocet, et ad religiose vivendum compellat.

41. Abbatibus de Longovado et de Ripatorio ac de Bullencuria, et eorum cuilibet per se et in solidum committit generale Capitulum, quatinus omnes abbates et abbatissas ac alias utriusque sexus Ordinis personas, quos et quas invenerint, aut alter eorum invenerit domino Claraevallis, s. th. pr., et eius monasterio in aliquibus pecuniarum summis seu etiam in quibuscumque aliis bonis et rebus obligatos seu debite teneri, per censuras Ordinis et alia iuris et iustitiae remedia, ad satisfaciendum eidem suoque monasterio viriliter et debite compellat, in plenaria Ordinis et dicti Capituli generalis potestate.

42. Ad idem, pro domino Cistercii et suo monasterio, abbatibus de Firmitate, de Claravalle, s. th. pr., de Morimundo et de Charitate, et eorum cuilibet.

43. Ad idem, pro domino Morimundi, abbatibus de Regalimonte, de Caroliloco, s. th. pr., de Vallibus in Ornesio et de Crista.

44. Ad idem, pro abbate Charitatis, abbatibus de Balerna et de Aceyo.

45. Ad idem, pro abbate de Ellancio, abbatibus de Signiaco et de Igniaco.

46. Ad idem, pro domino Pontigniaci, abbatibus de Claravalle, s. th. pr., et de Morimundo.

47. Capitulum generale unicuique quod suum est reddere cupiens, et debitae iustitiae complementum ministrare desiderans, ad instantiam et supplicationem abbatis et conventus Claraevallis, abbatibus de Regalimonte et de Caroliloco, s. th. pr., committit et praecipit, quatinus vocatis et auditis provisore et cellerario collegii Sancti Bernardi Parisiis, et aliquibus peritis lathomis sive carpentatoribus super iure proprietatis cuiusdam camerae existensis in magno infirmitorio eiusdem collegii contiguae domui Claraevallis de latere magni dormitorii, in qua alias morabatur frater Vyenetus, tunc scolaris et baccalarius de Caroliloco, et post ipsum modernus abbas de Fonteneto, quam ipsi abbas et conventus Claraevallis contendunt et dicunt esse de corpore, ambitu et pertinentia suae praefatae domus, tenendo et procedendo ab ipsa camera versus hortum Claraevallis ac ecclesiam Sancti Nicolai de Cardineto, ita quod sub integro tecto ipsius domus Claraevallis, ut dicunt, comprehenditur et includitur, ipsa camera quam ideo asserunt et affirmant sibi pertinere debere, quam citius poterunt se debite informent, et

si per informationem debitam tam ex antiquis intersigniis ostiorum aut alias, quam per operariorum relatione invenerint eamdem cameram antiquitus fuisse et verisimiliter debere esse de corpore, ambitu et pertinentiis ipsius domus Claraevallis, ipsam tamquam talem et ipsis Claraevallensibus pertinentem declarent, ordinent, et diffinitive decernant, in plenaria Capituli generalis et totius Ordinis potestate.

48. Per generale Capitulum generale committitur abbatibus monasteriorum de Scala Dei et de Candelio, quatinus fideliter debite et diligenter se informent de et super omnibus et singulis contentis in tractatu inito, facto et passato inter abbatem et conventum monasterii de Bollianis in Vasconia, et nobilem virum Ioannem de Monte Lugduno, cui tractatui haec praesens diffinitio annectitur, et si per informationem debite factam invenerint dictum tractatum fore et esse utilem praedicto monasterio ipsum secundum suum tenorem approbent, ratificent et confirment, in plenaria Ordinis potestate.

49. Ad idem, abbatibus de Scala Dei et de Candelio, et eorum cuilibet per se et in solidum, quatinus secundum diffinitionem alias editam, per omnes iuris et iustitiae vias compellant, seu compellat eorum alter fratrem Ioannem de Vaudogrio ad plenarie satisfaciendum fratri Ioanni Plenholis de expensis factis alias, in processu habito contra eum pro dignitate abbatiali monasterii de Villalonga.

50. Committitur abbatibus de Rigniaco, s. th. pr., et de Quinciaco, et eorum cuilibet, quatinus diligenter et debite se informent de et super contentis in litteris tractatus abbatis et conventus monasterii de Fonteneto, cui haec praesens... *etc. ut supra, n°* 48.

51. Committit generale Capitulum abbati de Charitate, quatinus se debite informet de et super controversia, seu querela mota aut moveri parata inter abbatem monasterii de Bullione, et fratrem D. Guillelmum de Iusseyo suum praedecessorem, partibusque hinc inde auditis, debitae iustitiae complementum ministret, in plenaria Ordinis potestate.

52. Generale Capitulum committit domino Firmitatis, quatinus fideliter et diligenter se informent de et super contentis in litteris abbatis et conventus monasterii Maceriarum, quibus haec praesens diffinitio... *etc. ut supra n°* 48.

53. Abbatibus de Candelio et de Scala Dei per generale Capi-

tulum committitur, quatinus per censuras Ordinis viriliter et exacte compellant abbatem monasterii de Vico ad reddendum et realiter restituendum duos libros iuris canonici, videlicet Sextum et Clementinas a 26 annis vel circa per abbatem Bellaeperticae abbati praelibato charitative concessos ipsi abbati Bellaeperticae, et hoc in plenaria Ordinis potestate.

54. Capitulum generale diffiniendo praecipit et mandat abbatibus de Otterburg et de Bebenhusen, quatinus per immediatum sequens triennium monasteria monialium de Veteri monasterio et de Sancta Agnete infra muros civitatis Maguntinensis situata visitent, reforment et emendent, etiam auxilio brachii saecularis ad hoc, si opus sit, invocato, in plenaria Ordinis potestate.

55. Abbatibus de Regalimonte et de Caroliloco, s. th. pr., praesens generale Capitulum committit, ut omnes querelas et controversias motas inter abbatem et conventum de Valle Nostrae Dominae, et abbatissam et conventum Beatae Mariae Regalis, alias de Maloduno, sopiant, terminent et iudicent, insuper praecipit praedictis abbati et abbatissae et conventibus eorumdem, ne a cetero similia extra iurisdictionem Ordinis audeant praesumere.

56. Ad idem, abbatibus eisdem pro monasterio monialium de Lilio et de Villari similiter inter se contendentibus.

57. Capitulum generale committit abbatibus de Mulbruna et de Bebenhusen, quatinus se diligenter informent de et super quibusdam bonis immobilibus, videlicet Bibrach, Wercksheyn, et Blidenstat, quae tamquam minus utilia Eberbacenses cupiunt per commutationem aut alias debite alienare, et si invenerint et compererint alienationem huiusmodi fiendam fore iustam et rationabilem, eamdem approbent, ratificent et confirment, in plenaria Ordinis potestate.

CONTUMACES

58. Abbatissam monasterii monialium de Lavaysse debite ad generale Capitulum citatam per dominum Pontigniacensem et minime comparentem, praesens generale Capitulum contumacem et excommunicatam declarat et denuntiat, huiusmodi diffinitionis executionem domino Morimundi committendo, in plenaria Ordinis potestate.

59. Omnibus et singulis abbatibus, prioribus, ceterisque nos-

tri Ordinis sacerdotibus super hoc requirendis per generale Capitulum praecipitur et mandatur in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis poena, quatinus contumacem et excommunicatam per affixionem in valvis ecclesiarum declarent et denuntient abbatissam V. M. de Mègemont debite monitam, per dominum Pontigniacensem, in hac parte commissarium dicti Capituli generalis, ad refundendum et realiter tradendum sex scuta auri domino Morimundi sibi debitis ratione et ad causam visitationis et reformationis monasterii praedicti de Mègemont, et pro scapularibus nigris per ipsum emptis, et hoc in plenaria Ordinis potestate.

[DIFFINITIONES] GENERALES

60. Generale [b] Capitulum dolenter audiens quarumdam nostri

[b] *Apud* T^6 : Nos, frater Ioannes abbas Cistercii, Cabiloniensis dioecesis, ceterique Diffinitores Capituli generalis Cisterciensis Ordinis notum facimus universis, quod in eodem generali Capitulo, die quarta decima mensis septembris anno Domini M. CCCC. LXXXI apud Cistercium celebrato, facta fuit quaedam diffinitio cuius tenor sequitur et est talis : Generale Capitulum non sine magno cordis dolore suscipiens nonnullas nostri Ordinis moniales a forma nostrae sanctae religionis plurimum aberrantes et deviantes, quosdam habitus dissolutos, inordinatos, ac a forma per sanctos patres nostros tradita alienos et extraneos, necnon ab Ordine prohibitos, in suarum animarum salutis detrimentum eiusdemque nostrae sacratissimae religionis et personarum eius contemptum et derisum, ac populi christiani scandalum non modicum, ferre et portare praesumunt. Quibus malis occurrere cupiens, et modis possibilibus obviare, idem generale Capitulum patribus abbatibus, visitatoribus et reformatoribus universis et singulis praecipit, mandat et iniungit, quatinus omnes et singulas moniales Ordinis viriliter et indissimulanter compellant ad uniformiter portandum et ferendum habitum nostrae sacratissimae religionis per sanctos patres institutum et ordinatum, videlicet ut non habeant aut portent alicubi aliquo velum de serico aut de simili materia, aut capitergia nimis pretiosa aut composita, plicata seu impastata, sed habeant et ferant sua capitergia et vela rotunda, et simplicia secundum formam religionis, absque qualicumque superfluitate spinterum aut vanitate. Similiter quod habeant et ferant suos mantellos aut suas cucullas de panno albo et non alterius coloris usque ad terram simpliciter, sine caudis, sine curiositate, pompa aut superfluilate. Scapularia de panno nigro aut sargia nigra super tunicis suis latitudinis unius pedis et dimidii vel circa, necnon super scapulari sint cinctae uno cingulo de lana nigra vel alba, habeant desuper tunicas albas longas usque ad terram, sine caudis, sine replicaturis inferius, latas per totum corpus, maxime desuper et in manicis, fromatas *(sic)* usque ad collum, nec sint fissae nisi dumtaxat pro necessitate eas induendi, aut accipiendi disciplinam, sintque cinctae desuper sub scapulari nigro cingulo de corio nigro. Ipsique patres abbates, visitatores

Ordinis monialium deformitatem in habitu et nonnullis modis vivendi contra communem et decentem ipsius Ordinis compositionem, et adeo plerumque extraneam, ut nil in eis praeter ipsius Cistercii Ordinis nomen remansisse videatur ; his abusibus pro viribus obviare, et cum sanctis patribus ad Ordinis modum uniformem prius observatum eas reducere cupiens, districtissime omnibus ipsius Ordinis patribus abbatibus, visitatoribus, commissariis et reformatoribus, ac eorum cuilibet praecipit, mandat et iniungit, ut quam citius commode fieri poterit, ubicumque tales abusus, tam in habitibus quam in Ordinis cerimoniis invenerint, reordinent, reforment, corrigant [c] et emendent, omnia ad Ordinis nostri pristinum laudabilem antiquum et debitum modum per censuras Ordinis, si aliter fieri gratiose non potest, ut poterunt reducendo [d] videlicet, ut ipsae moniales caput velatum peplis seu capitegiis non pretiosis, vel nimis curiose compositis, aut plicatis seu impastatis, et desuper, quae professae fuerint velum nigrum de lino vel canabo et non de serico, absque superfluis spinteribus habeant et ferant ; quae vero cucullas ferre et habere consueverunt, utantur cucullis albis per totum satis latis, sine cauda, cum manicis largis, et usque circa genua longis ad cancellandum more Ordinis sedendo et inclinando. Quae autem non cucullis sed mantellis uti consueverunt, habeant mantellos religiosos panni albi, longos usque ad terram sine cauda, absque qualicumque pompa et superfluitate, scapulare nigrum de panno vel sargia non pretiosis [e] super tunicam latitudinis ferme unius pedis usualis, vel circa cinctum cingulo albo et proprio, tunicam albam longitudinis usque ad terram et non ultra non reduplicatam inferius, nec nimis strictam seu apertam superius ; in omnibus indumentis tam exterioribus quam interioribus, caveant a colore nigro vel alio quocumque, exceptis velo et scapulari ; tunicam latam, et usque ad collum clausam superius a parte anteriori penitus teneant, cum sola fissura necessaria dumtaxat ad induendum [f] et capiendum disci-

---

et reformatores, taliter per censuras et poenas Ordinis puniant et corrigant rebelles, et contradicentes seu praedicta recusantes, quod aliis cedat in exemplum et terrorem, invocato ad praemissa, et ea tangentia, si opus sit, brachii saecularis auxilio, consilio et favore. Datum sub appensione sigilli Diffinitorum eiusdem generalis Capituli, die, mense et anno praedictis.

[c] *deest* *MP*². [d] reducentes : *MP*². [e] pretiosum : *MP*².
[f] inducendum : *M*.

plinam ; camisiis lineis [g] utantur per discretionem abbatissae, et super mattam [h] in pannis de lana, nisi cum eis propter necessitatem dispensetur, secundum regulam dormiant. Ab annulis, corrigiis argentatis [i] vel deauratis, necnon ab omnibus curiositatibus abstineant, et generaliter in omnibus, exemplo beatissimi patris nostri Bernardi, habitum sui corporis sic ad simplicitatem et humilitatem Ordinis reducant, ut nil appareat in eis quod possit aut debeat offendere intuentes ; si quae vero rebelles aut inobedientes fuerint, quamvis etiam abbatiali vel alia quacumque dignitate praeemineant debite puniantur, etiam si earum demerita exigant, deponantur ; aliae autem secundum sui casus et status exigentiam taliter puniantur, quod ceteris occasio rebellandi vel inobediendi secludatur, in Ordinis plenaria potestate.

61. Animarum saluti sollicite invigilans generale Capitulum gravem in Ordine et a diebus multis piorum conscientias agitantem, ac sollicite mordentem articulum super esu carnium atroci scrupulositate, morosaque deliberatione sub divino timore pertractans, cuius decisionem usque ad praesens distulit, hinc sanctae regulae tenorem, necnon devotam nonnullorum filiorum Ordinis abstinentiam et austeram observantiam, multorumque his diebus adhuc in diversis regionibus degentium super hoc puram opinionem et religiosam frugalitatem, et alia multa huic parti servientia ponderans ; inde vero Benedicti Papae XII ac Domini Sixti IV Pontificis Maximi saluberrimas, pernecessariasque moderationes ac dispositiones super huiusmodi esu ad instantiam Ordinis rationabiliter editas ; cum ob urgentissimam et inevitabilem in diversis terris et regionibus necessitatem, in quorum nonnullis ob locorum et terrarum sterilitatem, et guerrarum [j] vastitates et desolationes, in aliis vero propter fluviorum et aquarum raritatem, ubi cum nulla pene victualia praeter carnes haberi possunt, impossibile seu multum difficile esset homines in eis absque earum esu vivere ; tum denique propter alias apparentes satis rationes huic alteri parti non mediocriter faventes, attentius considerans ; quamobrem etsi integro animo cupiat omnes Ordinis filios et filias posse et velle a carnibus abstinere, crebris nihilominus et assiduis multorum

[g] laneis : *MP*². [h] desst : *M*. [i] argenteis : *MP*². [j] et guerrarum... raritatem : *deest M*.

querulosis [k] precibus pulsatum, praemissarumque et aliarum plurium rationum [l] consideratione inclinatum, pro animarum et conscientiarum quietudine, conformiter ad gratiam Domini Sixti Papae IV dispositionem seu permissionem, esus carnium prudentiae seu discretioni [m] et conscientiae abbatum, pro se et eorum subditis, necnon patrum abbatum seu visitatorum et reformatorum Ordinis quoad sanctimoniales et conversas, pro diebus ab Ecclesia et ab Ordine non prohibitis remittit, ita ut absque conscientiarum quorumcumque [n] periculo, laesura seu scrupulos pro terrarum, locorum, personarum, societatum, negotiorumve et temporum conditionibus et necessitatibus, ut dictum est, carnibus uti, et cum praedictis subditis suis aut sibi commissis disponere seu dispensare possint et valeant, donec et quousque per dictum generale Capitulum aliter fuerit dispositum et ordinatum [o], praesens generale Capitulum tamquam pernecessariam et sententiam confirmat, ratificat et approbat. Datum... etc.

[DIFFINITIONES] SPECIALES

62. Capitulum generale obviare cupiens impedimentis, inquietationibus et variis perturbationibus multipliciter Ordini pene ubique factis et dietim emergentibus, diffiniendo committit domino Cistercii, s. th. pr., ut per mundi climata, prout cognoscet expedire, procuratoria in forma communi ad obviandum praedictis et aliis incommodis Ordinis transmittat, in plenaria totius Ordinis et Capituli generalis potestate.

63. Praesens generale Capitulum attendens maximam gratiam per reverendissimum dominum Cisterciensem multipliciter impensam fratri Nicolao de Sinemuro, religioso suo, in assecutione dignitatis abbatialis monasterii Ursicampi, necnon considerans grave damnum monasterio Cistercii inde exortum, gratam habet et confirmat quamdam compositionem factam, initam et passatam inter praefatum dominum Cistercii et magistrum Ioannem Daubantum, germanum seu consanguineum ac procuratorem eiusdem fratris Nicolai, videlicet quod ex aequo dictus frater Nicolaus tali medio dimittit et relinquit monaste-

---

[k] querelis : *MP*. [l] eorum : *MP*². [m] *deest MP*². [n] quocumque: *MP*². [o] *hic desià. M*².

rium Cistercii in quamdam compensam ipse quamprimum quousque fructus eiusdem monasterii Ursicampi levaverit, solvet unam bursam 30 francorum pro uno scolari monasterii Cistercii secundum dispositionem domini Cisterciensis, et hanc bursam continuabit per sex annos immediate sequentes, videlicet quolibet dictorum sex annorum in festo beati Remigii solvendo uni scolari Cistercii summam 30 francorum pro dicta bursa, et ad hoc omni excusatione postposita compelli poterit per censuras Ordinis ; quam quidem compositionem ipse procurator fratris Nicolai promisit solemniter se facturum ratificare quamprimum rogatus fuerit per praedictum fratrem Nicolaum, cum renuntiatione omnium exceptionum et quorumcumque in oppositum facientium, mandatque dictum generale Capitulum districtissime sub censuris Ordinis per aliquem iudicem de Ordine taxandis praefato fratri Nicolao, se pro abbate monasterii Ursicampi gerente, quatinus eamdem tamquam iustam et rationabilem, passatamque et concordatam inter partes et ab eodem generali Capitulo confirmatam adimpleat secundum sui tenorem, et quolibet dictorum sex annorum solvat dictos 30 francos pro bursa unius scolaris Cistercii, ut praemissum est.

64. De benigno consensu et beneplacito reverendissimi domini Cisterciensis, s. th. pr., conservationem monasteriorum Ordinis, quantum sibi possibile est, cupientis et certis rationabilibus causis tamquam ad praemissa moti et inclinati, praesens generale Capitulum, multis cum eo habitis deliberationibus et religiosis conferentiis, ac salutaribus conclusionibus et sententiis tenore praesentium committens abbati monasterii de Regalimonte, s. th. pr., mandat et praecipit, quatinus auctoritative ad certum et competentem diem citet aut citari faciat peremptorie et personaliter fratrem Nicolaum de Sinemuro, monachum professum eiusdem domini Cisterciensis, se pro abbate monasterii Ursicampi gerentis, ad comparendum coram se in capitulo collegii Sancti Bernardi Parisiis, et ibidem hora debita omnibus scolaribus eiusdem collegii ad sonum campanae more solito capitulariter convocatis et congregatis, verboque Dei et aedificationis prolato, praedictum fratrem Nicolaum iuxta formam Ordinis proclamet ipsumque super quibusdam gravibus inobedientiis, rebellionibus et offensis, contra et adversus praefatum dominum nostrum Cisterciensem, factis et diversimode perpetratis dure increpet et redarguat iuxta demeriti excessum, eidem praeci-

piendo ut in terram prostratus humiliter et devote satisfaciendo veniam petat praefato domino Cisterciensi, in persona eiusdem abbatis Regalismontis ad hoc specialiter deputati suum delictum confitendo, et nihilominus idem abbas Regalismontis declaret eumdem fratrem Nicolaum nullam excommunicationis sententiam aut censuram seu inhabilitatem commisisse, quae ad generalis Capituli notitiam venerit, propter quam dignitatem abbatialem in eodem monasterio Ursicampi aut alibi assequi non potuerit. Et quia ipse frater Nicolaus plus iusto et aliter quam decet religiosum in nonnullis visus est repugnare suo superiori, dictis abbas Regalismontis eidem fratri Nicolao pro ulteriori satisfactione iniungat poenitentiam carceris per octo dies tunc immediate sequentes in dicto collegio, ita ut in exitu dicti capituli indilate eumdem dictis carceribus claudat, ubi solitarius sedeat, sibique praecipiat sub gravibus et regularibus poenis ut dictis octo diebus in carcere expletis, per tunc immediate sequentes quindecim dies continuet officium divinum in ecclesia eiusdem collegii extra stallum, seu stalla in quibus abbates stare solent, compellendo eumdem fratrem Nicolaum ad observantiam praemissorum, et citando ipsum peremptorie et personaliter ad proximum futurum generale Capitulum, similiter praefato domino Cistercii in Diffinitorio satisfacturum, et informando sufficienter dictum generale Capitulum proximum super omnibus quae in praemissis facta fuerint, nihil de iniuncto... etc.

65. Capitulum generale annuit domino Morimundi attestationem, quam abbas monasterii Pontisthieffridi Metensis in audientia Capituli fecit, asserendo quod subditus est abbati de Villerio Metensi et non alias, volens per huiusmodi pertinaciter declinare paternam auctoritatem quam praefatus dominus Morimundi, et sui praedecessores, praetendit et semper, ut asserit, praetenderunt in praefato monasterio Pontisthieffridi habere.

66. Querelas, contentiones et controversias quae inter dominum Morimundi et abbatem monasterii Pontisthieffridi in civitate Metensi situati, praesens generale Capitulum in modum qui sequitur diffiniendo pro praesenti determinat, videlicet quod partes hinc inde contendentes secunda die futuri Capituli quaecumque munimenta, documenta et instrumenta ius paternitatis et unionis monasterii praedicti concernentia deferent, de singulis praedictum Capitulum, ut perinde materia facilius et commodius tunc possit et valeat terminari, informabunt ; verum quae ad

bonorum occupationem fratris Ioannis Heluini, professi monasterii Claraevallis, per dictum abbatem de Pontethieffredi in odium praefati domini Morimundi ex eo et propterea factam quod quoddam mandamentum ipsius domini Morimundi contra eum exsequi per obedientiam praetendebat pro dictorum bonorum finali recuperatione fideiubebit, aut pignus sufficiens ad manus domini nostri Cisterciensis, s. th. pr., relinquet, donec et quousque dicto fratri de dictis bonis fuerit integraliter satisfactum, et quia dictus abbas Pontisthieffridi frontose nimis et aperte nimis contra suum superiorem etiam auxilium saecularium contra Ordinis statuta invocando rebellavit, solo prostratus praefato domino Morimundi publice in consistorio Diffinitorum lacrymabilem veniam proclamabit, et ulterius per duos menses continuos quamprimum in monasterio fuerit computandos singulos dictorum mensium secundis, quartis et sextis feriis extra proprium stallum in choro stabit et duobus dictorum mensium diebus cuiuslibet septimanae in pane et aqua ieiunabit. Interim autem praefatus dominus Morimundi alias poenas a praefato abbate Pontisthieffridi non exiget, sed cuncta in statu remanebunt, donec per generale Capitulum aliter fuerit, re cognita, ordinatum.

67. Capitulum generale desiderans et multipliciter cupiens viros litteratos in Ordine, cum abbate de Buxeria Andegavensi dispensat ut, secundum morem hactenus per abbates observatum, dehinc usque ad triennium in collegio Sancti Bernardi Parisiis ad studendum possit residere, dummodo per se vel patrem abbatem aut commissarium Ordinis, de regimine tam spirituali quam temporali ipsius monasterii debite provideatur.

68. Capitulum generale certis rumoribus sibi cognitis motum permittit fratri Ioanni de Luto, monasterii de Bellapertica professo, quod possit in collegio nostro Sancti Bernardi Tolosani, et non alibi, studere in iure canonico, et gradus in eadem alma Universitate Tolosana assequi.

69. Capitulum generale de perfectionibus, idoneitate et sufficientia fratris Petri Iacinna, professi monasterii nostri de Obasina, informatum, idem generale Capitulum creat, constituit et ordinat dictum fratrem Petrum priorem dicti monasterii Obasinae, mandans et praecipiens omnibus et singulis dicti monasterii de Obasina regularibus personis, in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis poena, quatinus eidem fratri tamquam eorum vero et indubitato priori obediant.

70. Viso processu inter fratres Guillermum de Sancto Florentino ex una, et Ioannem de Rupe, alias Beauperier, ex alia partibus, occasione dignitatis abbatialis monasterii de Fonte Ioannis deducto, et in eo visis videndis et consideratis considerandis, diligenti maturaque deliberatione praehabita, praesens generale Capitulum, cuius sententiae et determinationi praedicti contendentes se submiserunt dicit, pronuntiat, sententiat et declarat diffinitive dominum abbatem Caroliloci, s. th. pr., commissarium in hac parte per generale deputatum, bene, iuste et sancte sententiam suam ad opus praedicti fratris Ioannis de Rupe dedisse, appellationes in contrarium factas annullando, et silentium perpetuum dicto fratri Guillermo super praemissis imponendo, executionem praesentis diffinitionis domino de Reigniaco, s. th. pr., et abbati de Fontemorum, et cuilibet per se et in solidum committendo, in plenaria Ordinis potestate.

71. Generale Capitulum patrum abbatum iurisdictionem liberam et integram et illaesam conservare desiderans, quamdam diffinitionem anno Domini 1476 in praeiudicium domini Antonii abbatis Morimundi factam, ratione et occasione processus tunc in curia saeculari super iure dignitatis abbatialis eiusdem monasterii Morimundi pendentis, ad instantiam fratris Nicolai de Bassencuria ipsius monasterii Morimundi electi, et eiusdem domini Morimundi competitoris, domino Cisterciensi ipsum Capitulum tunc celebratum supplicabat, et quantum sub honore et reverentia poterat, ordinando mandabat, ne quamcumque commissionem visitandi, reformandi, seu quoscumque actus alios visitationis aut reformationis exercendi aut onus Ordinis contributiones aut pecunias levandi eidem domino Antonio abbati Morimundi daret, donec per ipsum Capitulum generale aliter dispositum fuisset, cassat, revocat et annullat et nullius diffinit et declarat esse efficaciae aut vigoris, suae sibi iurisdictionis plenariam auctoritatem et liberum usum sicut et ceteris primis Ordinis filiabus ad Dei honorem et animarum salutem solito more tenore praesentis diffinitionis relinquendo et dimittendo, in plenaria Ordinis potestate.

72. Capitulum generale intuitu pietatis misericorditer dispensat cum officiariis monasterii de Bellapertica, ut dehinc ad biennium inclusive non teneantur ad solutionem contributionum monasterium suum concernentium, nisi quod solvere consueve-

runt, videlicet marcham argenti ascendentem ad summam novem florenorum monetae Capituli.

73. Praesens generale Capitulum misericorditer dispensat cum abbate monasterii B. M. de Pratea, ut possit semel in foro conscientiae audire omnes et singulos regulares personas sibi subiectas et illas absolvere cum salutari poenitentia ab omnibus peccatis, casibus et excommunicationum sententiis generali Capitulo specialiter reservatis, sibique Ordinis confessorem eligere qui consimilem ipsum absolvendi habeat potestatem.

74. Ad idem, pro abbate de Heysterbach et suis subditis, pro semel.

EXCUSATIO ABBATUM.

75. Attentis viarum periculis et discriminibus ratione et occasione guerrarum pro hac vice excusantur a via Capituli generalis omnes et singuli abbates, qui ad praesens generale Capitulum commode accedere non valuerunt.

REHABILITATIONES

76. Ad supplicationem abbatis de Bellaaqua generale Capitulum misericorditer dispensat cum fratribus Guillelmo de Montloux et Guillelmo de Fernes, ut non obstante inhabilitate quam incurrere potuerunt interessendo in verberatione cuiusdam famuli rapientis decimas dicti monasterii Bellaeaquae, qui migravit a saeculo occasione huiusmodi verberationis, licet eum non tetigerint, ad omnes Ordinis actus legitimos, voces, gradus, officia et administrationes, dignitates valeant promoveri et assumi.

77. Ad idem, pro fratre Wendelino Piscatoris, monasterii de Speciosa valle, qui suadente humani generis inimico, lapsus est in carnis contagio, prole inde secuta, super quo tamen Ordinis poenitentiam sibi iniunctam humiliter peregit, excepta dignitate abbatiali.

78. Ad idem, pro fratre Guillelmo de Villy, monasterii de Voto professo, ad instantiam abbatis de Mortuomari, qui a 20[a] Augusti usque ad 27 Ianuarii apostatando et per saeculum discurrendo, etiam missas celebrando, excepta dignitate abbatiali.

79. Ad idem, pro fratre Aegidio Potdarain, monasterii de Lanneyo monacho, qui per saeculum vagando per biennium vel circa apostatavit.

80. Ad idem, pro fratre Petro Cotelifault, monacho de Baugeyo, qui homicidii causa extitit, et per aliquod tempus apostatando regularem habitum temere dimisit, ad omnes Ordinis actus, etc.

SUFFRAGIA

81. Capitulum generale pro compassionis affectu condolens ruinis, desolationibus, paupertatibus et penuriis prioratus Penthemontis, Belvacensis dioecesis, omnibus et singulis Christi fidelibus, qui ad sublevationem et relevationem eiusdem prioratus manus praebuerint adiutrices, ac de bonis sibi a Deo collatis eidem contulerint, idem generale Capitulum annuit plenariam participationem omnium bonorum spiritualium, quae fiunt et de cetero fient in toto Ordine nostro.

82. Item, pro illustrissimo principe et domino domino Philberto duce Sabaudiae.

83. Item, pro illustri et magnifico domino domino Ludovico comite Camerae, viceque comite Maurianae.

84. Pro magnifico domino Autermo, domino de Myolan et barone de Aujonecz.

85. Pro nobili viro Claudio Garelli, ducis Sabaudiae secretario.

86. Pro domino gubernatore Burgundiae.

87. Pro domino generali... *(locus vacuus)* ad instantiam domini Cistercii.

88. Item, pro domino Antonio de Lafin et fratre suo, ad instantiam domini Pontigniaci.

89. Item, pro domino Aegidio de Belleville, ad instantiam domini Claraevallis.

90. Pro domino abbate Sancti Dionisii Remensis, et Pontio Ruthier et eius coniuge.

91. Pro Ioanne Vaulthey, alias Bisot, receptore domini ballivi Divionensis, et eius uxore.

1482

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo octogesimo secundo, in generali Capitulo statuta sunt et diffinita quae sequuntur.

ORATIONES

1. Pro sanctissimo... *etc.*... Guillermo... cardinali vulgariter Rothomagensi nuncupato... *etc. ut in anno* 1479.

2. Praeterea pro serenissimo... *etc. ut in anno* 1472.

3. Insuper pro burgensibus... *etc. ut in anno* 1449.

4. Ceterum pro pace... *etc. ut in anno* 1449.

5. Demum pro felicis... *etc. ut in anno* 1470.

[DIFFINITIO] GENERALIS

6. Cum Ordo noster... *etc.* cum resta ultimorum computorum quae ascendit ad summam 5486 florenorum, 7 grossorum, 16 denariorum, de et pro toto tempore praeterito... *etc.* contributionem novem millium florenorum... *etc. ut in anno* 1449.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

7. Electionem, institutionem et installationem fratris Georgii de Puteo, monasterii B. M. de Gardo professi, ad dignitatem abbatialem eiusdem monasterii, per abbatem Caroliloci, s. th. pr., commissarium abbatis Cariloci, praedicti monasterii immediatum patrem abbatem, per resignationem fratris Roberti, eiusdem monasterii novissimi abbatis, factas... *etc.* approbat et confirmat, omnes et singulos defectus, si qui in huiusmodi provisione intervenerint, supplendo.

8. Ad idem, pro fratre Ioanne Laurentii, monachi de Caricampo, Ambianensis dioecesis, professi, ad dignitatem abbatialem eiusdem monasterii, per abbatem praefatum Caroliloci,

---

1482. Fontes : A^4 : 40, 52-56, 64 ; F^1 : 52 ; L^5 : 1-72 ; M : *abbrev.* 41, 52, 54 ; P^2, *similiter abbrev.* 41, 52, 56. [a] *Titulus apud* L^5.

commissarium domini Pontigniaci, dicti monasterii Caricampi immediatum patrem abbatem, per resignationem fratris Ingeramni de Cresegnia, novissimi eiusdem monasterii abbatis, canonice... *etc.* confirmat.

9. Ad idem, pro fratre Richardo, monasterii B. M. Woburniensis, ad dignitatem abbatialem monasterii de Medeneham, per abbatem Woburnia Ordinis commissarium.

10. Ad idem, pro fratre Ioanne Louet, monasterii Vallisregis expresse professi, ad dignitatem abbatialem eiusdem monasterii, per resignationem fratris Petri de Domo, nuper eiusdem monasterii abbatis, et per abbatem monasterii Igniacensis, eiusdem monasterii immediati patris abbatis, acceptatas et celebratas.

11. Ad idem, pro sorore Philippa de Moussy, monasterii B. M. de Buxeriis religiosa, ad dignitatem abbatialem praedicti monasterii, per abbatem monasterii de Domo Dei, alias de Nigrolacu, eiusdem monasterii immediatum patrem abbatem, factas.

12. Ad idem, pro fratre Ioanne Grammingen, monasterii de Castro aquilae monacho, ad dignitatem abbatialem eiusdem monasterii, per abbatem Eberbacensem praefati monasterii immediatum patrem abbatem, factas.

13. Ad idem, pro fratre Ioanne Stietfford, professo monasteri de Hayles, ad dignitatem abbatialem monasterii de Kimium, per abbatem dicti monasterii de Hayles, Ordinis commissarium, factas.

14. Ad idem, pro fratre David Wynicheronib, ad dignitatem abbatialem monasterii de Conway, per abbatem praefatum de Hayles, Ordinis commissarium, factas.

[ALIAE CONFIRMATIONES]

15. Visitationem, reformationem et ordinationem [b] collegii Sancti Bernardi Tolosani, novissime per reverendissimum dominum nostrum Cisterciensem, s. th. pr., factas, praesens generale Capitulum approbat, ratificat et confirmat, praecipiens et mandans omnibus abbatibus ad praedictum collegium mittere potentibus, ac commendatariis et officiariis eorumdem monasteriorum,

---

[b] Haec statuta Ioannis de Cirey, Cisterc. abbatis, data 1[a] mensis maii 1482, videsis apud MARCEL FOURNIER, *Statuts et privilèges des Universités françaises*, Paris, 1891, t. TI, p. 863 sq. edita ex Archiv. publicis apud Tolssanum et ex ms. 4354[c] biblioth. nation. Parisiensis.

in virtute salutaris obedientiae ac sub censuris Ordinis, quatinus ad ipsum collegium mittere suos scolares non omittant, huiusmodi diffinitionis executionem provisori dicti collegii committendo.

16. Generale Capitulum his quae canonice et rite facta cognoscit suae confirmationis sustentamentum ac robur praestare cupiens, pensionem sorori Mariae Bertrand, dudum religiosae professae monasterii de Freistorff, nunc vero priorissae monasterii seu prioratus Claraevallis Metensis, per abbatem et conventum eiusdem monasterii de Freistorff, ordinatione domini Guillelmi, nuper abbatis Morimundi, assignatam et concessam, prout in authenticis super hoc factis et passatis litteris quinque sigillis sigillatis, quibus praesens diffinitio sub sigillo Diffinitorum annectitur, plenius continetur, specificatur et declaratur, secundum sui formam et tenorem, ratificat, approbat et confirmat, eisdem abbati et conventui de Freistorff sub poenis et censuris Ordinis praecipiendo et ordinando, quatinus annuatim eamdem pensionem praefatae Mariae priorissae, quamdiu vixerit, fideliter et diligenter solvant et tradant cum effectu, sine dissimulatione quacumque, abbatibus de Villario Metensi, de Sancto Benedicto, de Vallibus in Ornesio et de Pontethieffridi tamquam huius diffinitionis executoribus constitutis, et eorum cuilibet in solidum, committendo, ut in casu refutationis seu dilationis vel negligentiae, eumdem abbatem et conventum de Freistorff ad praemissorum debitam impletionem, et eiusdem pensionis veram et realem solutionem, per censuras Ordinis et omnes alias iuris et iustitiae vias viriliter et exacte compellant, in plenaria Ordinis potestate.

17. Ad idem, pro sorore Cecilia, monasterii de Stanchia professa et priorissa.

18. Annuam pensionem per abbatem Caroliloci, s. th. pr., fratri Ingeramno de Cresegnia, nuper abbati monasterii Caricampi, assignatam, prout... *etc.* confirmat.

19. Generale Capitulum ratificat et confirmat omnia et singula per dominum Claraevallensem, s. th. pr., virtute diffinitionis anno elpaso editae super emissione fratris Laurentii, religiosi monasterii de Bellabrancha.

20. Tractatum initum, factum et passatum inter abbatem et conventum monasterii B. M. Longivadi ex una, et Iacobum Armedey, Ioannem Armedey et Ioannem Milot de Melesson et eorum liberos parte ex altera, prout in litteris... *etc.* approbat.

21. Tenorem litterarum abbatis de Laude, quibus praesentes annectuntur, praesens generale Capitulum ad plenum confidens de sufficientia, bonitate et prudentia eiusdem abbatis de Laude, approbat, ratificat et confirmat.

22. Cassationem, revocationem, annullationem et irritationem quarumdam clausularum in nonnullis litteris procuratoriis anno superiore per generale Capitulum factis, passatis et conclusis, praesertim clausulam potestatis seu facultatis arbitrandi, seu in arbitros condescendendi, tunc ad abbates de Veteri cella et quosdam alios sibi vicinos missos ad defendendum se et Ordinem adversus nonnullos invasores privilegiorum, libertatum et exemptionis eorum et Ordinis, in quarum quidem litterarum confectione ad generalis Capituli notitiam minime deductum erat, quod apud eosdem abbates tunc super altioribus Ordinis privilegiis, libertatibus et gravioribus materiis, quae in Ordine contingere possunt et quae cum universum tangunt Ordinem, per arbitrium minime tractari aut decidi debent, virtute dictarum litterarum procuratoriarum agendum esset, quin potius eidem Capitulo exponebatur quod de nonnullis satis communibus et levibus rebus difficultas vertetur ; cuius rei cum reverendissimus in Christo pater dominus Ioannes abbas Cisterciensis postmodum veritatem cognoverat, sciens tunc non fuisse Ordinis intentionem dare eisdem abbatibus seu Ordinis procuratoribus potestatem arbitrandi super tam ponderosis materiis, dictas litteras procuratorias tam religiosos quam scolares forsan earumdem litterarum vigore quoad hoc constitutos seu substitutos, cassavit, revocavit et annullavit, et ut potuit ad notitiam dictorum procuratorum deduxit, praesens generale Capitulum dictam cassationem, revocationem, irritationem et annullationem, tamquam iustam et rationi ac privilegiis Ordinis plenarie consonam, quantum potest et valet, ratificat, approbat et confirmat ; et si opus sit, de novo dictam clausulam arbitrandi in praefatis litteris procuratoriis positam, necnon dictos procuratores forsan ab eis seu altero eorum super hoc constitutos propter rationes praedictas et alias iustas et rationabiles cassat, irritat, annullat et revocat, eisdem abbatibus et cuilibet eorum sub Ordinis censuris praecipiendo, ne quacumque occasione absque speciali ipsius generalis Capituli expresso consensu, dicta clausula arbitrandi, maxime in processu pendente, contra et adversus reverendum patrem dominum episcopum Misnensem uti praesumant.

23. Capitulum generale approbat, ratificat et confirmat tractatum inter abbatem et conventum monasterii de Chalocheyo, et fratrem Ioannem Bonalengier, praedicti monasterii professum, habitum et concorditer passatum, secundum eius formam et tenorem, quamdiu ipse frater Ioannes bene se rexerit, et gratia sibi facta bene usus fuerit.

24. Capitulum generale tractatum initum, factum et passatum inter abbatem et conventum monasterii de Claravalle ex una parte, et fratrem Odonem de Dortant, priorem prioratus Sanctae Eulaliae, Ordinis Cluniacensis, ex altera, utriusque partibus proficuum et utilem, prout eidem generali Capitulo extitit legitime facta fides per de Caroliloco, s. th. pr., et de Tribus fontibus monasteriorum abbates, prout in litteris... *etc.* confirmat.

COMMISSIONES

25. Abbatibus de Charitate et de Aceyo, et eorum cuilibet in solidum, per generale Capitulum committitur, quatinus debite et fideliter se informent de et super venditione cuiusdam domus per abbatissam et conventum monasterii B. M. de Baptanto facta, et si per informationem invenerint aut alter eorum invenerit, huiusmodi venditionem fore utilem pro dicto monasterio, litteras super hoc confectas approbent, ratificent et confirment, in plenaria Ordinis potestate.

26. Visitationem et reformationem omnium et singulorum utriusque sexus in regnis Angliae et Scotiae et dominio totius Hyberniae, ac etiam partibus Walliae, domino Claraevallis, s. th. pr., praesens generale Capitulum dehinc ad triennium committit in plenaria Ordinis potestate, cum clausulis opportunis per dominum Cisterciensem addendis, ac etiam potestatem prosequendi omnibus viis et mediis possibilibus redditum ecclesiae B. M. de Scardebourgh, ac alia Ordinis iura in partibus illis prosequenda.

27. Abbatibus de Tribus fontibus, de Ripatorio et de Bullencuria, et eorum cuilibet, per generale Capitulum committitur, quatinus quamprimum poterunt fideliter et diligenter se informent super tractatu inito, facto et passato inter abbatem et conventum monasterii B. M. de Pietate, Trecensis dioecesis, et Ioannem Gilhate, et si per debitam informationem repererint, aut alter eorum repererit, ipsum tractatum in damnum et praeiu-

dicium praedicti monasterii de Pietate, cassent, irritent et revocent, in plenaria Ordinis potestate.

28. Capitulum generale committit abbati de Charitate, quatinus si invenerit alienationem cuiusdam parvae domus apud Bisuntium sitae, per abbatissam et conventum monasterii de Baptanto, ad utilitatem dicti monasterii esse factam, eamdem auctoritate ipsius Capituli approbet, ratificet et confirmet.

29. Ad audientiam generalis Capituli saepius tam per fide dignorum varios relatus, quam per multorum patrum scripta pervenit fratrem Ioannem de Dublinia ter apostatasse a monasterio et ipsum monasterium spoliasse multis bonis, multaque divisionum seminaria inter patres et regulares personas Ordinis detulisse, nec habere abbatem sub cuius protectione et obedientia vivat, fratrem etiam Ioannem Stolten, dudum professum de Fontibus, dissoluta vita et indiscreto regimine nostrae religionis famam pluribus in locis denigrasse, nec Ordinis reformatores in regno Angliae tantis excessibus de remedio providere ; hinc est quod abbatibus de Stratfordia et de Salleya, et cuilibet eorum committendo districtissime praecipit, quatinus se super praemissis et aliis offensis dictorum fratrum et consimilium informent, eosque debite puniendo et corrigendo, religiose deinceps secundum formam Ordinis vivere compellant.

30. Ad audientiam praesentis Capituli generalis fide dignorum relatu dolenter pervenit nonnullas monasterii religiosarum de Salvatorio subtus Laudunum moniales, veneno superbiae et elationis inflatas, plurimas contra suam abbatissam procurasse et suscitasse dissensiones, divisiones, machinationes, imo et scandalosas conspirationes in his quae ad regularem Ordinis disciplinam et correctionem pertinent, contra Ordinis statuta ad auxilium et favorem brachii saecularis indebite recurrendo, in non modicum iurisdictionis Ordinis ac privilegiorum detrimentum et laesuram ; quibus abusibus et temerariis praesumptionibus idem praesens Capitulum generale de remedio providere cupiens opportuno, abbatibus de Caroliloco, s. th. pr., et de Longoponte, et eorum cuilibet in solidum committit, quatinus quamcitius commode poterunt ad ipsum monasterium de Salvatorio, non vocato nec praesente certis ex causis abbate Fusniaci pro hac vice, eiusdem monasterii monialium patre abbate, se personaliter transferant, et super praemissis et eorum dependentiis debite se informent, et informatione facta rebelles et inobe-

dientes religiosas taliter puniant quod ceteris cedat in exemplum, etiam magis culpabiles conspiratrices, si quas tales invenerint, perpetuo et irrevocabiliter ab ipso monasterio penitus et totaliter sine spe reversionis expellendo et emittendo, et abbatissas aliorum monasteriorum ad ipsas recipiendum compellendo, in plenaria Ordinis potestate, invocato, etc.

31. Per generale Capitulum committitur abbati de Ebraco, s. th. pr., quatinus se informet de necessitate qua, ut relatum est, monasterium Castri aquilae cogitur ad conservationem ceterorum bonorum suorum, alia quaedam per impignorationem, venditionem aut alias alienare, et prout viderit expedire, consentiat, et abbati eiusdem loci concedat huiusmodi licentiam, cuius quidem monasterii abbatem a missione scolaris ad studium universale, et a via Capituli generalis per triennium excusatum habens, praefatum Capitulum eidem concedit auctoritatem absolvendi a casibus Capitulo generali reservatis semel dumtaxat omnes personas sibi in spiritualibus subiectas, usumque carnium prout anno superiore extitit diffinitum, eumdem abbatem minime a solutione contributionum absolvendo.

32. Capitulum generale rogat dominum Cisterciensem, quatinus per seipsum, aut per eius commissarios, compellat moniales monasterii de Eluovenca [Nonença] deinceps ferre habitus regulares, tam in tunicis, cucullis, quam aliis quibuscumque, prout solitum est fieri in Ordine, in plenaria Ordinis potestate.

33. Capitulum generale committit abbati Caroliloci, quatinus compellat auctoritate ipsius Capituli abbatem de Voto ac eius monasterium, ut pro quolibet duorum annorum futurorum contribuat decem scuta fratri Ioanni Philippi, monasterii de Bonoportu professo, si idem abbas nolit per se scolarem unum propriis expensis sufficienter provisum Parisios transmittere.

34. Capitulum generale mandat et praecipit sub censuris Ordinis abbati de Monasteriis in Argona, quatinus causam adversus eum per quosdam mercatores Florentinos coram conservatore privilegiorum Universitatis Parisiensis motam, inde retrahat, et ad audientiam domini Claraevallis, tamquam ad eius ordinarium, coram eo iudicium et iustitiam, secundum quod iustum fuerit, recepturus ; huiusmodi diffinitionis executionem abbati de Tribus fontibus committendo, in plenaria Ordinis potestate.

35. Capitulum generale committit domino Claraevallis, et

de Reigniaco abbatibus, s. th. pr., et eorum cuilibet, quatinus se informent super quadam admodiatione ad tres vitas, per abbatem et conventum de Fonteneto, cuidam nomine Reynaldo Regnault de Fraigne et quibusdam aliis, in tractatu super hoc confecto nominatis, facta, et si opus sit, ipsum tractatum confirment vel infirment auctoritate ipsius Capituli.

36. Audita appellatione quam abbas de Sora transmisit ad praesens Capitulum, necnon intellectis simultatibus et controversiis inter dictum de Sora et de Esrom, ceterosque abbates regnorum Daniae, Sueciae et Norwegiae et circumvicinarum regionum motis, Capitulum generale committit et praecipit abbatibus de Dobran et de Puro campo, et eorum cuilibet, quatinus se ad praedicta Daniae, Sueciae et Norwegiae regna transferentes, se de praedictis simultatibus ad longum et veraciter se informent, atque omnia pro viribus pacificare studentes, curent ad regularem disciplinam cuncta in dictis regnis emendatione indigentia reducere, in plenaria Ordinis potestate. Quibus peractis singula eorum acta sub sigillis R. D. Cistercii, aut proximo generali Capitulo indefectibiliter remittant ut, si opus sit, ulterius procedatur, et quod minus sufficienter fortassis fuerit exsecutum, postea compleatur.

37. Cupiens generale Capitulum quibusvis abusibus, damnis et inconvenientiis in Ordine emergentibus pro sua possibilitate succurrere, et ea de medio tollere, abbatibus de Hayles et de Salleya et cuilibet eorum committendo mandat et praecipit, quatinus se informent super quadam pensione annua seu annuo redditu 8 flor. legalis monetae Angliae, quem frater Ludovicus Ox. Ianikym praetendit sibi fuisse assignatum per fratrem Grophynum super monasterio de Alberconwet, sub communi sigillo conventus ad terminum vitae ipsius fratris Ludovici, et si reperiant dictam pensionem indebite et contra rationem fuisse assignatam, illam penitus cassent, revocent, et annullent, eidem fratri Ludovico super ea perpetuum silentium imponendo, aut in re ista faciendo quidquid iuris et rationis fuerit compassione paupertatis eiusdem monasterii, et nihilominus si reperiant dictum fratrem Ludovicum fuisse contemptorem, rebellem aut in vinculis excommunicationis perseverasse, nec fecisse professionem alicui abbati iuxta morem Ordinis, ipsum iuxta demeritorum exigentiam puniant, et cum expediens viderint, absolvant, compellantque facere professionem iuxta morem

Ordinis, et pacifice in suo monasterio residere. Eisdem insuper abbatibus et cuilibet eorum committendo, mandat generale Capitulum, quatinus se informent super alia pensione 40 scut. quam frater David Apiggam Reginaldi filius, ut dicitur, fratris Reginaldi quondam abbatis dicti monasterii sibi similiter assignatam super dicto monasterio, cum una domo pro matre sua per dictum fratrem Grophinum, ac paupertati ac tenuitati eiusdem monasterii compatiendo, si cum iustitia fieri possit, dictam pensionem extinguant, aut taliter super ea disponant, quod monasterium inde non gravetur, compellantque dictum fratrem David ad discendum divinum servitium et sanctae religionis observantiam in uno claustro Ordinis, sub disciplina abbatis et praesidentium Ordinis.

38. Capitulum generale committit abbati de Balerna, quatinus se informet de venditione cuiusdam domus apud Salinas existentis, per abbatem et conventum de Charitate facta, et plenius expressa in litteris ipsius venditionis testimonialibus, quibus haec praesens diffinitio annectitur, et prout invenerit ipsam venditionem confirmet, ratificet et approbet, in plenaria Ordinis potestate.

39. Abbati monasterii Claraevallis, s. th. pr., committit praesens generale Capitulum, quatinus citatis citandis, et auditis audiendis, debite sufficienter et diligenter se informet super quodam processu seu lite, controversia aut questione motis et pendentibus inter abbates monasteriorum de Morimundo et de Pontethieffridi Metensi, ratione paternitatis immediatae eiusdem monasterii Pontisthieffridi, quam ipse abbas Morimundi dicit ad se et suum monasterium pertinere, ac etiam annexionis eiusdem monasterii dudum, ut asserit, per generale Capitulum ad dictum monasterium Morimundi factae, necnon super dependentiis, circumstantiis et aliis dictum processum tangentibus et concernentibus, et informatione habita et in scriptis redacta, si commode discordiam istam seu processum terminare, sententiare et finire possit, eam seu eum terminet, sententiet et finiat, prout iuris fuerit et rationis, in plenaria Ordinis potestate; si vero eumdem processum ad finalem decisionem dispositum non esse invenerit, et sanxerit Ordinis seu Capituli generalis iudicium fore expectandum, cuncta quae invenerit in forma debita proximo generali Capitulo praesentabit et denuntiabit, eisdem partibus secundam diem Capituli ad audiendum huiusmodi pro-

cessus seu litis et discordiae sententiam finalem assignando, in plenaria Ordinis potestate, invocato ad praemissa et ea tangentia, si opus sit, brachii saecularis auxilio, consilio et favore.

40. Capitulum generale informatum, quod abbates comitatus Burgundiae, aut eorumdem nonnulli suas contributiones per longa tempora in praeiudicium animarum suarum solvere neglexerint, volens eisdem spiritualiter, et Ordinis modernae indigentiae temporaliter providere, districte diffiniendo praecipit et mandat abbatibus de Balerna et de Charitate et eorum cuilibet in solidum, quatinus ipsi aut eorum alter convocent aut convocet omnes praedictos abbates praedicti comitatus, scilicet illos de inferiori de Dolano baillivatibus Salinis, et illos de superiori Bisuntii ad certos et competentes dies, prout eis videbitur expedire, atque eisdem convocatis exponant incommodum, quod ipse Ordo et eorum quilibet incurrit ob defectum solutionis contributionum praedictarum ; et si abbates memorati se difficiles in re hac reddiderint, eos compellant de dictis contributionibus a quindecim annis ultimo prateritis per singulos eorum debitis usque ad praesens Capitulum inclusive, reddere rationem et computum, in plenaria Ordinis potestate. Et non omittant super omnibus et singulis habita ratione a quolibet, quam cito commode fieri poterit, R. D. Cistercii in scriptis authentice expeditis ad longum et veraciter informare, ut inde postea contra praedictos abbates aut illos, qui in hac parte difficiles aut rebelles extiterint, prout expediet ulterius procedatur.

41. Certo sciens generale Capitulum litterarum peritiam ad sanctae religionis conservationem cum sanctitatis et devotionis munere esse pernecessariam, solet virium suarum robur et studium felici ac debito collegiorum generaliumque studiorum Ordinis regimini eo ferventius applicare, quo novit ex eis opportune dispositis uberiores honoris et honestatis fructus providere. Visis itaque favorabilibus et gratiosis serenissimi domini regis Angliae, etc., necnon Rmi. in Christo patris domini archiepiscopi Cantuariensis, ac nonnullorum aliorum dominorum et patrum litteris, praesens generale Capitulum ad plenum confidens de sufficientia, idoneitate, virtutibusque plurimis abbatis de Stratfordia, committendo eidem districtissime sub censuris Ordinis plenius taxandis et declarandis, si opus sit, praecipit et mandat, quatinus insequendo diffinitionem quamdam generalis Capituli

dudum editam, per censuras ecclesiasticas viriliter, exacte et indissimulanter compellat universos abbates inclytissimi regni Angliae et dominiorum circumvicinorum, qui habent et habere possunt 13 monachos ad mittendum unum studentem religiosum Ordinis professum, infra breve tempus per eum praefigendum, cum debitis pensionibus, gratia studii ad collegium Ordinis Sancti Bernardi Oxoniensis [c]; eos vero abbates qui habent et habere possunt 26 monachos, consimiliter infra dictum tempus, ibidem mittant duos studentes ; qui autem 12 monachos habere non possunt iungantur bini aut terni ad tenendum unum studentem in eodem collegio, ita ut qui per certum tempus iuverit alium abbatem pro suo scolari, per tantum tempus sequens iuvetur ab eo pro suo studente, eidem abbati de Stratfordia praecipiendo et committendo ut sub dictis censuris compellat abbates, quos iudicaverit sufficientes et idoneos habere scolares ad eos continuandum in dicto collegio cum sufficientibus provisionibus usque ad gradum doctoratus inclusive ; ipsum super hoc dispensandi generale Capitulum nullam declarat habere potestatem. Quos autem scolares consilio provisoris et sanioris partis baccalariorum insufficientes et ad litterarum profectum minus idoneos iudicaverit, illos ad propria claustra remittat, compellendo abbates, ad statim mittendum aptiores ; in omnibus ita providendo de officiariis collegii, quod bursaria propter defectum imbursationis non maneat onerata. Ut autem praemissa omnia decentius fieri valeant, generale Capitulum sub dictis poenis mandat eidem abbati de Stratfordia, quatinus quamprimum fieri poterit, convocet ad civitatem Oxoniensem abbates de Woburnia, de Hayles, de Fontibus et alios tres, quos sibi onere conscientiae magis idoneos iudicaverit, et eorum consilio quorum unanimi deliberatione et consensu aut sanioris partis eligat unum quem magis sufficientem et idoneum sanxerint ad exercendum provisoris officium in eodem collegio, quique cum scolaribus iugiter conversans et actus scolasticos ut ceteri in alma Universitate exercens sit scolaris seu scolasticus, et ad gradus scolasticos tendens, imponantque et constituant etiam per scriptum ipsi abbates simul leges et vivendi formas, tam in spiritualibus quam temporalibus, quas viderint et iudicaverint eidem collegio et

---

[c] Auxoniensis : *P*².

scolaribus utiles et necessarias, et eas nihilominus sub sigillis suis ad proximum generale Capitulum discutiendas transmittant, si opus sit, et ita sanxerint dicti abbates, ad regimen temporalitatis eiusdem collegii unum cellerarium aut unum procuratorem creando et provisori, ut fieri poterit, providendo. Quia vero vero generale Capitulum iam a multorum annorum curriculis voluit contributiones aedificationi eiusdem collegii per tempus applicari, intelligit autem per dictas litteras, sicut et saepius intellexerat ab octo vel decem annis, quasi nihil in eiusdem collegii structura fuisse factum, et nihilominus contributiones singulis annis etiam levatas et ad recipientium voluntarios usus applicatas, sub dictis poenis praecipit eisdem abbatibus de Stratfordia, de Woburnia et de Hayles et duobus eorum, quorum ipse de Stratfordia semper sit unus, quatinus per iuris et iustitiae vias sub onere conscientiarum suarum coram Deo, et honoris coram hominibus compellant quamprimum poterunt universos receptores dictarum contributionum, et praepositos operum seu magistros structurae dicti collegii, a decem annis et citra usque in praesens ad reddendum fideles et integras computationes omnium receptorum et expensarum per eos in praemissis factarum, quas sub divinae maiestatis intuitu approbare vel reprobare habebunt, compellantque eos ad solutionem restarum, eas fideliter per eum, quem ad hoc deputabunt, cum medietate contributionum eiusdem regni deinceps singulis annis usque ad septem annos immediate sequentes applicando structurae te consummationi eiusdem collegii, et defensioni communium privilegiorum Ordinis, de quibus omnibus singulis annis vel saltem de biennio mittent ad generale Capitulum, sub dictis poenis dictas computationes sufficienter declaratas et debite sigillatas.

42. Praesens generale Capitulum non absque gravi cordis amaritudine audiens varias et quamplurimas questiones, divisiones et discordias iam a multis diebus subortas et pendentes in asserto prioratu de Ramosa, qui dudum et citra paucos annos erat monasterium monasterio Cistercii immediate subiectum, attendens etiam et considerans gravem querimoniam R. P. domini Cistercii, patris abbatis immediati eiusdem loci conquerentis, quod indebite et contra rationem sanctimoniales filiae suae fuerint a dicto monasterio eiectae, et ex tunc nihil religionis, nihil sanctitatis in eodem loco fuit observatum, sed potius

multa offendicula fiunt et perpetrantur in eodem loco, abbasque de Otterburg cupiens et praetendens locum ipsum suo monasterio incorporare et unire, subtilibus mediis requisivit habere commissionem eiusdem loci, adiuncto sibi alio abbate suis votis, ut dicitur, consentaneo, nunc unum priorem deposuit, nunc alium instituit, et totum locum non mediocriter perturbavit, ita ut principes et domini temporales ad bona, redditus et proventus eiusdem loci manus apponant, et nihilominus substantia eiusdem monasterii sufficiens est ad nutriendum et sustinendum septem vel octo religiosos cum abbate boni regiminis, vel totidem religiosas cum abbatissa, dictam provisionem factam per dictum abbatem de Otterburg in persona fratris Theoderici, professi monasterii de Oterburg, maxime audita relatione domini Morimundi, tamquam indebitam cassat, revocat et annullat, eisdem abbatibus et cuilibet eorum dando auctoritatem et plenum posse se informandi super depositione et punitione cuiusdam fratris Georgii Sutoris, tunc se pro priore eiusdem loci gerentis, et eam confirmandi atque roborandi ; et nihilominus eumdem locum in abbatiam ut prius restituendi, ibidemque providendi de sufficienti et idoneo abbate in Ordine nostro professo, ac de quinque aut sex religiosis qui habeant vivere secundum formam Ordinis ; et si hoc fieri non possit, saltem in eodem monasterio restituant unam abbatissam sufficientem et idoneam cum sex aut septem monialibus vel pluribus, si videant monasterium eas sustinere posse, quas auctoritate Ordinis sument in aliquibus monasteriis Ordinis regulatis necessarias ordinationes in spiritualibus et temporalibus secundum formam nostrae religionis, in eodem monasterio ordinando et constituendo faciendoque in praemissis et ea tangentibus omnia et singula quae secundum Deum et formam nostrae religionis viderint esse facienda, super quibus omnibus eorum conscientias onerat praesens generale Capitulum, invocato, etc.

IUDICES

43. Abbati de Theoloco et de Caroloco et eorum cuilibet diffiniendo, committit Capitulum generale ut quascumque Ordinis personas, haeredibus Gerardi Tholeret Tholereti de Campolito in aliquibus pecuniarum summis ad insinuationem magistri Guillelmi Tholereti invenerint, aut alter eorum invenerit, legi-

time eisdem haeredibus obligatas, eidem debitum iustitiae complementum ministrent, aut alter eorum ministret in plenaria Ordinis potestate.

44. Cum propter nimiam temporis brevitatem ac causarum et materiarum Ordinis, quae ad praesens generale Capitulum devenerunt, multitudinem et difficultatem materiae, ipsae tempore praesentis Capituli apud Cistercium terminari, diffiniri et decidi non valeant, praesens generale Capitulum nolens dictas materias indecisas relinquere, reverenter domino Cisterciensi, s. th. pr., necnon primis filiabus et aliis abbatibus per eumdem dominum Cisterciensem vocandis, omnimodam confert Ordinis et Capituli generalis auctoritatem et potestatem ad terminandum et diffiniendum apud Divionem, vel in alio loco per eumdem dominum Cisterciensem deputando, omnes et singulas materias et causas Ordinis, quae in praesenti Capitulo terminari et diffiniri non potuerunt, in plenaria Ordinis potestate.

45. Capitulum generale abbatibus de Theoloco et de Caroloco, et eorum cuilibet, ut si invenerint quemdam fratrem Stephanum, professum monasterii de Belloloco, in aliqua pecuniarum summa fratri Petro Grossicapitis, religioso conventus fratrum heremitarum Sancti Augustini de Campolito, legitime obligatum, eidem iustitiae debitum et complementum ministrent, aut eorum alter ministret, in plenaria Ordinis potestate.

46. Generale Capitulum declarat, tenet et admittit abbatem Sancti Sulpitii, Ordinis commissarium, sufficientem et idoneum ad terminandum et decidendum causam controversiae motae inter commendatarium monasterii Altaecumbae et fratrem Richardum Bonerii, sibi tenore praesentium, quantum opus est, renovando potestatem Ordinis ad praemissa, necnon ad compellendum dictas partes per omnes iuris et iustitiae vias, maxime virtute privilegiorum Ordinis ad faciendum quidquid iuris fuerit et rationis in materia praemissa.

47. Abbatibus de Prulliaco, de Regalimonte, s. th. pr., et de Valle B. M., et eorum cuilibet per se et in solidum, tam coniunctim quam divisim, praesens generale Capitulum committendo praecipit et mandat, quatinus omnes et singulas utriusque sexus Ordinis personas, tam abbates, abbatissas quam eorum conventus et monasteria, quos et quae per testes fide dignos, instrumenta litteras, acta, obligationes seu alia quaecumque legitima documenta invenerint abbati et conventui monasterii Caroliloci,

Sylvanectensis dioecesis, aut singulis eiusdem personis debite teneri et obligari in quibuscumque pecuniarum summis, seu aliis redditibus, aut quibuscumque bonis aut debitis, seu ea iniuste detinentes ad eisdem plenarie, realiter et de facto satisfaciendum astringant et compellant, in plenaria Ordinis potestate.

48. Ad idem, pro domino Claraevallis, abbatibus de Longovado, de Bullencuria et de Ripatorio, et eorum cuilibet.

49. Ad idem, pro abbate de Tribus fontibus, abbatibus de Igniaco et Signiaco, ac de Valleregis, et eorum cuilibet.

50. Ad idem, pro abbate de Elancio, abbatibus de Igniaco, de Signiaco et de Vallaregis, et eorum cuilibet.

CONTUMACES

51. Capitulum generale attento quod frater Ioannes..., quondam abbas monasterii de Caduino, sufficienter citatus non comparuit, eumdem reputat contumacem, et propter certas rationes materiam principalem remittit ad proximum generale Capitulum sine praeiudicio causae, ac eumdem ad illud citari mandat cum intimatione, quod sive comparuerit sive non, nihilominus contra eum procedetur, prout iuris fuerit et rationis.

[DIFFINITIONES] GENERALES

52. Cum ad audientiam praesentis Capituli generalis querimonia domini Cistercii, s. th. pr., super quodam codice aut libello ad abbate Claraevallis, eiusdem scientiae professore edito, et per eum diversis in locis publicato, in quo quidam articuli, tam de quibusdam redditibus qui dicuntur communes Ordinis, quam de multis particularibus negotiis et factis monasterii Cistercii, ipsumque dominum Cistercii et suos praedecessores, necnon religiosos ipsius tangentes continentur, pervenisset, ipso domino Cistercii dicente quod in illo codice seu libello multa scandalosa, iniuriosa, infamosa et opprobriosa verba in grave ipsius domini Cistercii et conventus eius, ac praedecessorum eorum dedecus, opprobrium, iniuriam et damnum continentur, de et super quibus praedictus dominus Cistercii tamquam de re mendosa et falsa reparationem congruam et dicti codicis seu libelli condemnationem requirebat; ipso vero abbate Claraevallis respondente quod nunquam eius fuit intentio iniuriam, infa-

miam, scandalum aut opprobrium ipsi domino Cistercii aut eius conventui aliquam inferre, et si aliqua minus discrete aut minus caute seu reverenter et debite ibidem scripta sint, paratus erat emendare et revocare. Quibus ita dictis, tandem ipse abbas Claraevallis delictum suum cognoscens et confitens in praesentia aliorum, tam priorum patrum ac sanioris partis Diffinitorum Ordinis, in terram prostratus veniam petiit, quam benigne ab ipso domino Cistercii obtinuit. Idcirco praesens generale Capitulum futurae quieti et paci Ordinis consulens, ipsum codicem seu libellum, quantum ad sui formam loquendi, dictasque iniurias et ipsa particularia facta praedictorum domus Cistercii, ac abbatum et conventus ipsius reservata prosecutione articulorum dictorum reddituum, qui omnes Ordinis dicuntur, loco et tempore per patres Ordinis in bona ipsius Ordinis charitate et ratione fienda, absque eo quod per haec scripta super eis aliquid innovetur, revocat, cassat et annullat, districtissime in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae poena, cuius absolutionem dictum Capitulum sibi reservat, praecipendo universis abbatibus, prioribus et personis regularibus Ordinis, ad quos et ad quas notitia praesentium devenerit, ne per se aut per alium, directe vel indirecte, seu quovis alio modo dictum codicem aut libellum seu eius copiam aut transumptum apud se quovismodo teneant, reservent seu custodiant; et si sciant quoscumque alios codicem illum aut eius copiam habere, eos viribus eis possibilibus recuperent, et quidquid de eo habent aut habebunt, infra 20 dies ad intimatione seu auditione aut perceptione praesentium, sub sigillis clausis ad praefatum dominum Cistercii transmittant, vel illico comburant. Cuius quidem diffinitionis executionem sub onere conscientiarum coram Deo committit generale Capitulum universis reformatoribus atque visitatoribus, necnon singulis abbatibus Ordinis, ad quos ipsa diffinitio pervenerit, praecipiendo sub dictis poenis, ut eamdem diffinitionem significent in monasteriis Ordinis in quibus visitaverint, et se repererint aut circa se putaverint dictum libellum aut eius copiam haberi, perpetuum silentium eidem abbati Claraevallis et aliis quibuslibet super praemissis et consimilibus, ut dictum est, imponendo.

53. Generale Capitulum audiens in nonnullis monasteriis Ordinis per bonorum sectiones fructuumque divisiones, tam pro victu quam vestitu et ceteris necessitatibus monachorum, contra

salutaria Ordinis instituta, et promissam Deo voluntariam pau pertatem, plures in periculosum proprietatis vitium incidere, huiusmodi detestabile vitium radicitus abolere cupiens, omnibus et singulis abbatibus Ordinis sub poena in statutis tam papalibus quam regularibus contentis insequendo, et quantum opus est renovando plures diffinitiones hactenus super hoc confectas, districtissime praecipit et iniungit, ut omnes huiusmodi sectiones, divisiones, portiunculas seu quascumque peculiares possessiones, vineas et animalia, quocumque colore quaesito, suis hactenus monachis concessas vel concessa, ad commune indissimulanter et totaliter in suis monasteriis per Ordinis censuras reduci faciant, et ut huiusmodi proprietatum occasiones auferantur et tollantur, idem Capitulum ordinat et iniungit universis Ordinis abbatibus, quatinus omnibus et singulis suis monachis et victu et vestitu ceterisque necessariis sufficienter provideant iuxta suorum monasteriorum possibilitatem et facultatem, inhibendo omnibus abbatibus Ordinis universi et aliis quibuscumque personis eiusdem, sub poena excommunicationis, ne de cetero quomodocumque deferant corrigias deargentatas, aut alias curiose compositas, aut tunicas ante vel retro fissas, aut alios quoscumque habitus ab Ordinis forma alienos.

54. Omnibus patribus abbatibus et Ordinis commissariis per generale Capitulum praecipitur et mandatur in virtute salutaris obedientiae, quatinus suas visitationes faciendo omnes et singulos caminos in dormitoriis monasteriorum utriusque sexus existentes aboleri et destruere faciant, secundum quod habetur in *Benedictina*.

55. Cum uniformitas ad Dei laudem et honorem in nostro sacro Ordine debeat observari, praesens generale Capitulum praecipit et mandat omnibus Ordinis abbatibus in virtute salutaris obedientiae, quatinus officium S. Sacramenti, prout in Cistercio celebratur, in suis monasteriis de cetero celebrari faciant.

56. Insolentias, dissolutiones, abusus, derisiones, infamesque familiaritates nonnullarum Ordinis monialium in monasteriorum suorum officinis publicis et secretis, viros saeculares et alios passim admittentium et contra Ordinis sacras institutiones in nostrae religionis dedecus, malum exemplum et scandalum plurimorum, ad colloquium et alias familiaritates suspectas penes se retinentium, Capitulum generale quantum cum Deo potest

refrenare ac huiusmodi dissolutionibus toto nisu obviare cupiens, omnibus et singulis nostri Ordinis abbatissis et monialibus ac ceteris eiusdem Ordinis personis regularibus quibuscumque in abbatiis earum residentibus, sub excommunicationis, depositionis, carceris ac ceteris poenis, votorum solemnium transgressoribus in Ordine regulariter et canonice infligi solitis, districte praecipit et mandat, quatinus cautissime et diligenter huiusmodi infames abusus munditiem ac puritatem etiam christianae religionis inficientes devitent, declinent, ac tamquam pabulum mortis fugiant, nec quoscumque ad basia seu oscula nisi forte eas attingentes in propria linea sanguinis ullatenus admittant, et hoc in loco et praesentia omni suspicione mala carentibus, necnon omnibus et singulis patribus abbatibus, visitatoribus, commissariis, et aliis Ordinis generalibus et particularibus reformatoribus, ac eorum subdelegatis et nuntiis praecipit et mandat, quatinus in cunctis eorum visitationum actibus exacte et singulariter super praemissis inquisitionem faciant et quascumque in his dissolutionibus qualitercumque vitiosas, aut vehementer suspectas invenerint praetactum Capitulum sub similibus poenis praecipit et mandat, ut easdem defectuosas taliter puniant, corrigant et emendent, quod ceteris cedat in exemplum et terrorem.

[DIFFINITIONES] SPECIALES

57. Generale Capitulum videns tenorem litterarum quibus praesentes annectuntur, et recogitans plures relationes patrum regni Angliae tenori dictarum litterarum concordantes, districte sub censuris Ordinis universis Ordinis regularibus personis inhibet, ne abbati moderno tales inferre molestias praesumant, perpetuum eis super his inquietationibus silentium imponendo ; executionem huius diffinitionis cuilibet abbati super hoc requirendo committendo.

58. Cum ad possibilem mutuae defensionis subventionem universos in Christo fratres districtissime, non solum regularium statutorum praesertim nostrae sacrosanctae religionis securitas, verum etiam legis divinae pariter et humanae auctoritas obliget, praesens generale Capitulum universos Ordinis patres et abbates partium Franconiae, Bavariae, Austriae, Rheni, Saxoniae et vicinarum, necnon Galliae, Angliae, Scotiae, Hyberniae,

Britanniae et Hispaniarum qua potest affectione benigne hortatur, monet et deprecatur, et nihilominus, si opus sit, eis districtissime mandat et praecipit, quatinus ad defensionem privilegiorum, libertatum, exemptionum et gratiarum Ordinis, quas R. in Christo pater dominus episcopus Misnensis, in monasteriis nostri Ordinis de Vetericella seu Cella Sanctae Mariae, de Dobriluc et Buch variis modis infringere permolitur, manus adiutrices apponant, et pro reverentia tam Ordinis quam dictorum monasteriorum de substantia sibi a Deo collata, quantum fuerit possibile cum residuo totius Ordinis liberaliter conferant, ne illibata et integra quaquaversum per orbem Ordinis privilegia ibidem violari et labefieri incipiant, illustrissimos principes et dominos Deo amabiles, praesertim dominos Saxoniae duces suppliciter exorando, ut Ordini praesidio in tanta necessitate esse velint, suaque monasteria tueri et defendere nobiscum dignentur.

59. Cum abbate de Oratorio per generale Capitulum benigne, et misericorditer dispensatur, ut omnes suos religiosos, ac omnes et singulas utriusque sexus regulares personas sibi et suo monasterio subiectas, in foro conscientiae ab omnibus et singulis peccatis, delictis, criminibus et excommunicationum sententiis, semel in foro conscientiae, auctoritate Capituli generalis et totius Ordinis absolvere possit, et ab uno eorumdem suorum religiosorum, aut alio suo religioso confessore de Ordine, cui confiteri voluerit ab huiusmodi casibus eadem auctoritate possit absolvi.

60. Ad idem, pro abbate de Bellabrancha.

61. Ad idem, pro abbate de Ponte Octrano.

62. Ad idem, pro abbate de Pratea.

63. Ad idem, pro abbate de Ebraco.

64. Capitulum generale ordinat procuratori Ordinis in Curia romana, ut se iungat cum priore prioratus Sancti Bernardi Argentinensis nuper Ordini unito, atque expensis ipsius quantum in se erit processum eius contra Guillelmitas prosequatur.

65. Intuitu et contemplatione magnarum reparationum quas, ut Ordini retulit abbas Claraevallis, facit et facere intendit, reverendissimus in Christo pater dominus Radulphus Ebroicensis episcopus, et commendatarius monasterii de Valentia, Pictaviensis dioecesis, in sumptuosa et nova reaedificatione ecclesiae eiusdem monasterii, cuius testitudines a multis iam elapsis temporibus a choro religiosorum versus portale per defectum

bonorum fundamentorum penitus et totaliter cadendo corruerunt, cum quibus necessario opera etiam murum ipsius ecclesiae de latere claustri omnino de novo reaedificari, quas valde sumptuosas reparationes nemo praecedentium eiusdem loci abbatum, etiam in ipso Ordine professorum aut incipere aut aggredi voluit vel potuit. Generale Capitulum eidem domino episcopo et commendatario et praefato suo de Valentia monasterio, usque ad sex primos futuros annos remittit et quittat quindecim florenos, quos annuatim debet ipsum monasterium pro suis contributionibus, cum omnibus et singulis arreragiis pro toto tempore praeterito usque nunc et hac occasione debitis, hac mediante conditione, quod praefato elapso sex annorum tempore idem monasterium suas deinceps integraliter solvet praedictas contributiones, omnibus et singulis earumdem contributionum in illis partibus deputatis vel deputandis receptoribus mandando et inhibendo, quatinus hac speciali gratia praefatum monasterium uti et gaudere faciant et permittant a solutione earumdem contributionum et huiusmodi arreragiorum debitorum eosdem episcopum et monasterium supportando.

EXCUSATIO ABBATUM

66. Omnes et singulos abbates, qui ad praesens generale Capitulum commode accedere non potuerunt et se legitime excusaverunt, idem generale Capitulum habet excusatos.

67. Attentis guerrarum periculis et viarum discriminibus, praesens generale Capitulum benigne et misericorditer dispensat cum abbate monasterii B. M. de Otterburg ipsum a via Capituli dehinc ad triennium habens excusatum eidem plenariam conferendo potestatem pro semel omnes et singulas monasterii sui regulares personas et alias sibi subiectas in foro conscientiae audiendi, et eas cum salutari poenitentia absolvendi ab omnibus peccatis, casibus et excommunicationum sententiis generali Capitulo specialiter reservatis, ac etiam pro ipso confessorem Ordinis eligendi, qui in praemissis casibus consimilem habeat potestatem.

REHABILITATIONES

68. Generale Capitulum misericorditer et benigne dispensat cum sororibus Margareta Mignote et Ioanna Mignote, in monas-

terio B. M. de Ponte dominarum commorantibus, ut non obstante defectu natalium, utpote de illegitimo matrimonio procreatae ad Ordinis regularem habitum et professionem in praedicto Pontis dominarum monasterio admitti valeant, et ad omnes Ordinis actus legitimos, voces, gradus, officia et beneficia, etiam abbatiali inclusa, possint assumi.

69. Ad instantiam et humilem supplicationem abbatis monasterii de Longovillari, generale Capitulum misericorditer dispensat cum fratre Ioanne Boulongue, ut non obstante inhabilitate, quam incurrit bina vice per spatium fere sex hebdomadarum apostatando, habitu regulari temere dimisso, super quo sibi iniunctam Ordinis poenitentiam humiliter et devote peregit, ad omnes Ordinis actus legitimos, gradus, voces, officia, beneficia, administrationes et dignitates promoveri valeat et assumi, etiam abbatiali dignitate inclusa.

SUFFRAGIA

70. Generale Capitulum benigne annuit Ordinis suffragia Ioanni de Melan, civi Tornacensi et christianae eius uxori devotae.

71. Ad idem, pro honorabili viro Francisco cive Trecensi et eius consorte.

72. Ad idem, pro honorabili et honestissimo viro Petro Carton, eiusque consorte.

1483

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo octuagesimo tertio, edita sunt et diffinita in generali Capitulo quae sequuntur, cuius quidem Capituli generalis dispositio talis erat.

1483. *Fontes* : A^4 : 13, 14, 16, 47, 60 ; F^1 : 16, 17, 20, 81; L^5 : 1-81 ; *M* : *abbrev. n°* 16, 47, 49; P^2 *abbrev. n°* 9, 16, 17, 47, 49 ; *W ad praesentem annum refert (ex ms. U) diffinitionem de cantu hymni* SALVE REGINA ; *sed error proditur ex primis verbis* : « Nos frater Hymbertus abbas Cistercii... » *qui defunctus erat Romae ann.* 1476. *Haec diffinitio referri debet ad ann.* 1463. [a] *Titulus apud* L^5.

A [ORDINATIO CAPITULI]

DIFFINITORES : De **Cistercio**, s. th. pr., de Loco Dei, de Laude, de Miratorio et de Balerna monasteriorum abbates. — De **Firmitate**, de Maceriis, de Fonteneto, de Fulcardimonte et de Longovado monasteriorum abbates. — De Sancto Bernardo Valentinensi, s. th. pr., et generalis Ordinis procurator in Curia, loco domini **Pontigniaci**, de Alna, s. th. pr., de Albaripa et de Septem fontibus monasteriorum abbates. — de Tribus fontibus loco domini **Claraevallis**, de Caroloco, de Quinciaco, de Belloloco et de Cheminione monasteriorum abbates. — De Claromonte loco domini **Morimundi**, de Pietate, s. th. pr., de Theoloco, de Valledulci et de Pontethieffridi monasteriorum abbates.

CONFESSORES : De Tribus fontibus, de Laude, de Septem fontibus monasteriorum abbates.

PROMOTOR CAUSARUM CAPITULI : Provisor collegii Sancti Bernardi Parisiensis.

RECEPTORES CONTRIBUTIONUM : De Belloloco, de Valledulci monasteriorum abbates.

RECEPTOR EXCUSATIONUM : De Balerna [monasterii abbas].

PORTARIUS CONSISTORII : De Cheminione [monasterii abbas].

NOTARII ABBATES : De Longovado et de Balerna monasteriorum abbates.

NOTARII AD PEDES : Fratres Ioannes de Divione et Michaël de Vitello.

ORATIONES

1. Pro Sanctissimo... Sixto IV, ... pro reverendissimo in Christo patre domino Ioanne, episcopo Albanensi, S. R. E. cardinali, vulgariter Andegavensi nuncupato, nostrique Ordinis in Curia protectore benevolo... *etc. ut in anno* 1479.

2. Praeterea pro serenissimo... *etc. ut in anno* 1472.

3. Insuper pro burgensibus... *etc. ut in anno* 1449.

4. Ceterum pro pace... *etc. ut in anno* 1449.

5. Demum pro felicis... *etc. ut in anno* 1470.

[DIFFINITIO] GENERALIS

6. Cum Ordo noster... *etc.* cum resta ultimorum computorum, quae ascendit ad summam 5407 flor. 5 gross. de et pro toto tempore praeterito... *etc.* contributionem novem millium florenorum. *etc. ut in anno* 1449.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

7. Electionem, promotionem et installationem fratris Anselmi, monasterii B. M. de Cheminione religiosi expresse professi, ad dignitatem abbatialem eiusdem monasterii de Cheminione, per abbatem de Tribus fontibus praedicti monasterii immediatum patrem abbatem, rite... *etc.* approbat.

8. Ad idem, pro fratre Radulpho Britonis, monasterii B. M. de Campania, per resignationem fratris Thomae Le Mercier, nuper abbatis monasterii de Tyronello, per abbatem monasterii de Claromonte, Capituli generalis commissarium.

9. Pro eo, quod dominus Claraevallis, s. th. pr., providit monasterio de Valcellis sibi immediate subiecto, de persona fratris Ioannis de Spinay, monasterii de Laude professi, et nihilominus nonnullos religiosos per decretum super hoc confectum, cui haec praesens diffinitio annectitur, declarat fore et esse inhabiles, quos inhabilitare non poterat, et sic monasterium vacabat, praesens generale Capitulum cassat, irritat et annullat dictam provisionem et institutionem, et nihilominus auditis virtutibus et meritis fratris Ioannis de Spinay, et ob reverentiam patrum in dicta electione assistentium, idem Capitulum de novo dictum fratrem Ioannem de Spinay instituit et ordinat verum, legitimum et indubitatum dicti monasterii de Valcellis abbatem et pastorem.

10. Electionem, confirmationem et institutionem fratris Philippi, monasterii de Vetericella expresse professi, ad dignitatem abbatialem monasterii Novaecellae, per abbatem Cellae Sanctae Mariae, patrem abbatem ipsius monasterii de Novacella, rite... *etc*... confirmat.

11. Promotionem, creationem et institutionem a R. P. domino abbate Morimundi de persona fratris Stephani de Villamauri, nuper prioris Cistercii, in abbatem Pontisthieffridi Metensis, factam... *etc.* approbat.

12. Provisionem et institutionem fratris Ioannis de Luco, monasterii de Bellapertica expresse professi, per abbatem de Loco Dei, Ruthenensis dioecesis, commissarium domini Cistercii et Capituli generalis, ad hoc specialiter deputatum factas, ad abbatialem dignitatem ipsius monasterii de Bellapertica... *etc.* approbat.

[ALIAE DIFFINITIONES]

13. Generale Capitulum audiens visitationem per R. in Christo patrem dominum Cisterciensem, s. th. pr., in collegio Sancti Iacobi Heydelbergensi factam, reformationes et statuta per ipsum ibidem facta laudat, corroborat, ratificat et approbat.

14. Ad idem, pro collegio Lipzensi.

15. Cartam visitationis per R. in Christo patrem dominum abbatem Cisterciensem, s. th. pr., in monasterio de Caduino anno 1482 factam, Capitulum generale tamquam sanctam et iustam laudat, ratificat et approbat, praecipiendo abbati et conventui eiusdem monasterii, ut ipsam sub censuris Ordinis in omnibus suis clausulis et partibus custodiant et inviolabiliter observent.

16. Generale Capitulum Ordinis Cisterciensis notum facit omnibus abbatibus, prioribus, cellerariis, ceterisque personis Ordinis, ac universis christifidelibus, quod venerabilis pater dominus Ioannes Falco, s. th. pr., abbas Sancti Bernardi Valentinensis ac totius nostri Ordinis generalis procurator, nobis graviter conquerendo exposuit, quod cum in generali Capitulo anno novisime praeterito, scilicet 1482, celebrato, propter negotiorum multitudinem, quae in generalibus Capitulis occurrunt, quaedam et plura Ordinis negotia commissa fuissent, ut moris est, reverendissimo domino nostro Cisterciensi, s. th. pr., necnon quibusdam aliis generalis ipsius Capituli Diffinitoribus in plenaria Ordinis potestate, Divione terminanda. Diffinitione autem taliter factae tamquam a dicti generalis Capituli sententia dependentes et emanantes esse et semper fuisse tantae, et eiusdem roboris, virtutis, auctoritatis et datae, sicut si in Diffinitorio dicti generalis Capituli apud Cistercium editae fuissent et expeditae ; per quos quidem dominos, Cisterciensem et alios cum eo Diffinitores, tunc facta fuit diffinitio quaedam cuius tenor sequitur et est talis : « Nos frater Ioannes, abbas Cistercii, Cabilonensis dioecesis,

ceterique Diffinitores Capituli generalis Cisterciensis Ordinis, notum facimus universis, quod in eodem generali Capitulo die 13 mensis septembris anno Domini 1482 apud Cistercium celebrato facta fuit quaedam diffinitio cuius tenor sequitur et est talis. Cum ad audientiam... *etc. ut in anno* 1482, *n*° 53... imponendo. Datum sub appensione sigilli Diffinitorum eiusdem Capituli generalis, anno, mense et die praedictis, sic sign. Abbas Caritatis.

Verum quia praedictus dominus Claraevallensis in prosecutione cuiusdam causae, seu quarumdam causarum, huiusmodi diffinitionem tangentium et alias, praedictam diffinitionem irritam dicit atque nullam, aut saltem irritandam, ex eo quod in Diffinitorio praedicti generalis Capituli in loco Cistercii non fuit expedita, et illam aliis quibusdam inventionibus et frivolis rationibus nititur improbare in maximam totius Ordinis praeiudicium, dedecus et gravamen, petens idem generalis procurator toti Ordini et personis eius de remedio iustitiae provideri opportuno, iniurias in libello diffamatorias praedicti domini de Claravalle, de quo in diffinitione praedicta contra praefatum R. D. Cisterciensem eiusque praedecessores, et praedictae ecclesiae Cistercii conventum et monasterium, non minus moleste quam graviter ferens, auditis super hoc notabilium patrum Ordinis, qui etiam in confectione praedictae diffinitionis praesentes fuerunt, relationibus, considerataque reservatione prosecutionis reddituum in dicta diffinitione expressa, et laudabili voluntate praefati domini Cisterciensis, et illius oblatione dudum et adhuc clare super hoc expressa, quod scilicet est contentus huiusmodi causas et negotia super dictis redditibus communibus, honorifice, pacifice atque quiete, cum patribus Ordinis tractare et expedire, prout etiam per scriptum eidem domino Claraevallis intimaverat, produxitque in medium consistorii unum de illis codicibus famosis, ut per generale Capitulum sumerentur quaecumque Ordo posset et vellet repetere a Cistercio, iniuriis exclusis ; dictam ergo diffinitionem superius insertam, praesens generale Capitulum pro confirmatione veritatis, atque totius Ordinis honore et utilitate, tamquam iustam, veram, atque rationi et statutis Ordinis consonam et secundum intentionem Capituli generalis editam, ac nullam falsitatis maculam seu notam continentem, laudat, approbat, corroborat et confirmat, abbatem de Caritate ipsius Capituli notarium, qui et ipsam signo suo et Diffinitorum sigillo

munivit tamquam fidelem, probam et veracem approbando, quantum opus est et concernit, inhibendo sub censuris Ordinis universis et singulis regularibus personis ipsius Ordinis utriusque sexus, ne quibuscumque personis, cuiuscumque conditionis existant, praesumant verbo vel scripto aliquid defectus vel vitii huic diffinitioni proponere, nec eam aliquomodo seu eam infringere, impugnare, aut contra illam modo aliquo venire, sed illi tamquam diffinitioni generalis Capituli iuridice et debite factae pareant, obediant omnino, et inviolabiliter observent in se et in omnibus suis clausulis opportunis.

17. Generale Capitulum Ordinis Cisterciensis auditis rationibus et causis propter quas R. P. D. Cisterciensis, s. th. pr., novissime in ianuario cassavit et revocavit omnes et singulas commissiones et auctoritates cuiuscumque tenoris existant, tam per eumdem dominum Cisterciensem auctoritate paterna vel Capituli generalis, quam per generale Capitulum, maxime a certis annis domino Claraevallis, s. th. pr., concessas seu commissas, idem praesens generale Capitulum, matura super hoc habita deliberatione, reputat et iudicat dictas causas esse et fuisse iustas et rationabiles, necnon sufficientes ad huiusmodi cassationem et suspensionem, easdem revocationem seu cassationem necnon suspensionem ratificans, approbans et confirmans, declarando universa et singula, quae dictus dominus de Claravalle virtute dictarum commissionum aut alicuius earumdem attentare praesumpsit, tam in visitationibus, reformationibus et consimilibus, quam in receptione contributionum, esse et fuisse cassa et nulla, sub poenis inobedientiae et excommunicationis latae sententiae, aliisque censuris Ordinis praecipiendo eidem abbati Claraevallis, ne deinceps virtute dictarum commissionum visitare, levare contributiones, seu alium quemcumque actum iurisdictionis in Ordine facere, aut contra formam Ordinis in generatione Claraevallis quidquam agere praesumat, patribus videlicet abbatibus immediatis eorum iurisdictionem penitus relinquendo ; et nihilominus universis et singulis personis utriusque sexus sub dictis poenis inhibendo, ne eidem abbati Claraevallis contra quodcumque praemissorum obediant, seu quidquam faciant, eis et cuilibet eorum intimando ; quod si secus fecerint gravius per Ordinem punientur. Si vero eidem aut deputato suo contributiones solverint, eas iterum committendo per praefatum R. D. Cistercii solvent in generali Capitulo, ubi omnes

abbates adesse debent, ad omnem aliam seu ulteriorem publicationem sufficere, ordinando insuper personis in eodem Capitulo praesentibus, ut eamdem publicent et denuntient in locis regularibus Ordinis ad quos eos devenire contigerit.

18. Tractatum factum, passatum et initum inter religiosos monasterii de Gimundo et fratrem Petrum de Bidossio, eiusdem monasterii religiosum, super admodiatione cuiusdam molendini, tamquam utilem ipsi monasterio de Gimundo, prout plenius... *etc*... approbat.

19. Abbatem de Veterivilla in coadiutorem de consensu abbatis et conventus monasterii Sancti Albini de Nemoribus assumptum, et per patrem abbatem ipsius institutum et ordinatum, praesens generale Capitulum, quamdiu in dicto coadiutoris officio fideliter et diligenter se habuerit, approbat et ratum pariter et gratum habet, cassatque et annullat omnia et singula per quoscumque in oppositum facta et attentata, inhibens sub censuris Ordinis omnibus aliis ne de huiusmodi officio se intromittere audeant aut praesumant, nisi de consensu et beneplacito ipsius coadiutoris ; huiusmodi diffinitionis executionem abbatibus de Claromonte, de Reliquiis et de Langoneyo committendo, in plenaria Ordinis potestate.

20. Ut dissidia mota per dominum abbatem Claraevallis s. th. pr., contra et adversus dominum abbatem Cisterciensem, eiusdem etiam facultatis professorem, non amplius apud saeculares iudices et extra Ordinem in dedecus ipsius ventilentur, sed per patres Ordinis finem sortirentur debitum, praesens generale Capitulum diffiniendo deputat de Firmitate, de Tribus fontibus, de Claromonte, de Alna, s. th. pr., et de Laude monasteriorum abbates ad segregandum et distrahendum a libello illo famoso seu codice, per eumdem dominum Claraevallis, promulgato, omnes et singulos articulos, partes et titulos redditus illos quos Ordini pertinere dicit concernentes, diffamationibus et iniuriis illis penitus exclusis, ut secundum debitam ipsius domini Cisterciensis summationem coram Diffinitoribus factam in hac materia procedatur ; quibus extractis, libellum ipsum integrum ipsis per eumdem R. D. nostrum Cisterciensem in pleno consistorio oblatum et notariis ad praedicta exsequenda traditum eidem domino Cisterciensi indilate reddent, mandans insuper de Firmitate, de Pontigniaco, de Regalimonte, de Caroliloco, s. th. pr., et de Prulliaco monasteriorum abbatibus, ut materiam

ipsam prosequantur, et ut lites in Parlamento Parisiensi et coram R. P. D. episcopo et duce Lingonensi, remitti in Ordinem possint et valeant sopiri ; idem generale Capitulum statuit et diffinit, quod dominis assistentibus ipsius Parlamenti Parisiensis fient expressae litterae, ut praedictam causam Ordini benigne remittant decidendam et terminandam, de Firmitate et de Caroliloco monasteriorum abbatibus praefatis prosecutionem ad effectum committendo fieri equidem et expedire ordinat consimiles litteras ipsi R. P. et duci Lingonensi, ut causam seu causas tam appellatorias quam alias praetextu rescripti apostolici coram eo initiatam aut initiatas, prout sinit clementer, remittat per ipsum Ordinem iuxta eiusdem privilegia hactenus observata pacifice et charitative terminandas.

21. Generale Capitulum confidens de prudentia, circumspectione et aliis virtutibus R. D. abbatis Sancti Bernardi Valentinensis, universi Ordinis generalis procuratoris eidem committit, quatinus omnes abbates annales, triennales, quadriennales, etc. eradicet et extirpet, eos ad antiquam et laudabilem in Ordine hactenus observatam formam, iuxta legislatoris nostri B. Benedicti regulam, reducendo, in plenaria Ordinis potestate.

22. Generale Capitulum considerans vagationes monachorum saluti esse contrariam, sub poena excommunicationis et censuris Ordinis, mandat et expresse praecipit abbati de Landesio, quatinus fratres Bertrandum Buardet et Ioannem Scuffleteaul, sui monasterii expresse professos, quos nihilominus per saeculum vagare permittit, recipiat et emendet, aut ad aliquod regulatum monasterium eos ponat, ne amplius habeant occasionem in animarum eorum periculum evagandi ; abbati de Barzello expresse committendo, ut praefatum abbatem de Landesio ad infrascripta observanda cogat, in plenaria Ordinis potestate.

23. Abbatibus de Vallibus in Ornesio, de Valledulci et de Pontethieffrido Metensi, et eorum cuilibet, committit praesens generale Capitulum, quatinus debite et fideliter se informent super tractatu inito, facto et passato inter abbatissam et conventum monasterii de Stanchia ex una, et dominum Nicolaum de la Starmant presbyterum decanum ecclesiae Calvimontis, partibus ex altera, prout in litteris praesenti diffinitioni annexis, et si dictum tractatum ad utilitatem et commodum dicti monasterii invenerint, aut alter eorum invenerit, esse et fuisse factum, illum cum omnibus et singulis suis clausulis approbent,

ratificent et confirment, seu alter eorum approbet, ratificet et confirmet, in plenaria Ordinis potestate.

24. Generale Capitulum ad plenum confidens de probitate dominorum abbatum de Longovado et de Ripatorio, eisdem aut uni eorum committit, ut supra, de tractatu facto inter abbatem de Moris, Lingonensis dioecesis, et Iacobum de la Grange, de quadam domo dicta de Buxières et eius pertinentiis, se diligenter informent, aut alter eorum informet, et secundum quod viderint, ipsum confirment aut infirment, confirmet aut infirmet alter eorum, in plenaria Ordinis potestate.

25. Super supplicatione exhibita per fratrem Ioannem de Luco, syndicum monasterii de Bellapertica, et computationibus eidem annexis, generale Capitulum mandat et committit abbati de Loco Dei Ruthenensi, quod quantocius et commodius fieri poterit, ad praefatum monasterium de Bellapertica se transferat et mature omnia, quae in eadem et computationibus annexis sunt, videat et secundum verum et iustum iudicium super eis appunctuet, in plenaria Ordinis potestate.

26. Abbatibus de Lanken, de Porta et de Bouch committit generale Capitulum, quod super quadam supplicatione pro parte abbatis Cellensis ipsi Capitulo exhibita, de praetensa commutatione cuiusdam villagii eiusdem monasterii cum domino Mareschallo illustrissimorum dominorum ducum Saxoniae se diligenter informent, et quae agenda viderint, timorem Dei prae oculis habentes, faciant in plenaria Ordinis potestate.

27. Abbatibus de Longovado et de Quinciaco, tam coniunctim quam divisim, per generale Capitulum committitur, quatinus debite et fideliter se informent de et super tractatu inito, facto et passato, inter abbatem et conventum monasterii de Fonteneto, et Nicolaum Gradelet de Fontanis, de quadam grangia de Moraulx nuncupata et eius pertinentiis, prout in litteris super hoc confectis plenius continetur, et habita informatione debita, si invenerint... *etc*... in plenaria Ordinis potestate.

28. Generale Capitulum praecipit et mandat abbati monasterii de Laude, quatinus se debite et diligenter informet de et super contentis in litteris pensionis, quibus haec praesens diffinitio annectitur, et si per informationem invenerit monasterium B. M. de Vaucellis adeo depauperatum quod absque damno et grandi incommodo persolvi non posset fratri Iacobo de Fontanis, dicti monasterii nuper abbati, dictam pensionem, sic mode-

rare studeat, quod monasterium non inde gravetur, dans idem Capitulum praefato abbati potestatem plenariam agendi et faciendi secundum quod viderit in praemissis expedire.

29. Abbati de Balerna committit generale Capitulum, quatinus quamprimum commode poterit, se debite et diligenter informet de omnibus et singulis contentis in litteris, quibus haec praesens diffinitio annectitur, et si per informationem debite factam invenerit contenta esse utilia monasterio de Roseriis, ipsas litteras secundum formam et tenorem ipsarum ratificet, confirmet et approbet, in plenaria Ordinis potestate.

30. Ad idem, abbati de Quinciaco, de quodam tractatu facto, passato et inito inter abbatem et conventum de Fonteneto et Nicolaum.

31. De Loco Dei et de Belloloco Ruthenensi monasteriorum abbatibus, tam coniunctim quam divisim, per generale Capitulum committitur, quatinus diligenter et debite, quamprimum commode poterint, vel alter eorum poterit, se informent de et super contentis in litteris, quibus... *etc*... utilia monasterio Obasinae... *etc*... in plenaria Ordinis potestate.

32. Auditis, visis et diligenter examinatis appellationibus per abbatem de Boquien et fratrem Alanum Laiero, contra et adversus abbatem monasterii de Begario, eiusdem monasterii de Boquien immediatum patrem abbatem, factis ad abbatem de Precibus, tamquam Ordinis commissarium, et non ad generale Capitulum ad quod erat appellandum, idem Capitulum tamquam frivolas et omnia inde secuta et nullius vigoris et efficaciae illas fore et esse declarat, praecipiens et mandans dicto abbati de Boquien, quatinus praefatum abbatem de Begario, in suum patrem abbatem de cetero recipiat, et eidem in omnibus et singulis decus et honorem Ordinis concernentibus humiliter et devote obediat, iniuriasque sibi et per eos illatas, sub excommunicationis latae sententiae poena, humiliter et devote reparando ; huiusmodi diffinitionis executionem abbatibus de Claromonte, de Sylvameloni et de Langoneyo, et eorum cuilibet in solidum committendo, in plenaria Ordinis potestate.

33. Generale Capitulum committit abbati Sancti Bernardi, s. th. pr., iuxta muros Valentinos et in Curia romana Ordinis generali procuratori, quatinus quamprimum commode poterit, se debite et fideliter informet de et super nonnullis peciis terrae in villa de Bornago, Noli dioecesis, quae peciae sunt hinc inde

distractae, et ut fertur, ad laborandum poenosae, ac etiam domibus quibusdam constitutis tam in civitate Noli quam extra, et informatione facta, si illa fore utilia venditioni exponere pro monasterio Caraevallis, Mediolanensis dioecesis, abbatem et conventum licentiet et omnia et singula super hoc inde confecta approbet, ratificet et confirmet, in plenaria Ordinis potestate.

[COMMISSIONES]

34. De Sylvamelonis et de Langoneyo monasteriorum abbatibus, et eorum cuilibet per se et in solidum, praecipit et mandat generale Capitulum in virtute sanctae obedientiae, quatinus per censuras Ordinis ac alias iuris et iustitiae vias viriliter et exacte compellant, seu alter eorum compellat, abbatem monasterii de Boquien ad persolvendum expensas abbati de Begario, patri abbati eiusdem monasterii, per ipsum factas in prosecutione quarumdam appellationum per dictum de Boquien factarum, a quibus per dictum Capitulum iuste extitit condemnatus.

35. Abbatibus de Firmitate, de Prulliaco, de Regalimonte, de Caroliloco, s. th. pr., et de Maceriis, tam coniunctim quam divisim, praesens generale Capitulum committit, quatinus omnes et singulas Ordinis personas utriusque sexus, et earumdem monasteria, seu quaecumque loca, quas et quae per testes fide dignos, litteras obligatorias, acta seu alia legitima documenta invenerint domino Cisterciensi, eiusque conventus singulis religiosis, aut monasterio suo debite teneri, obligatas seu obligata esse, sive quaecumque eorumdem bona detinentes aut indebite occupantes, tam in pecuniarum summis, redditibus, seu quibuscumque aliis bonis aut debitis, ad eisdem plenarie, realiter et de facto satisfaciendum astringant et compellant, in plenaria Ordinis potestate.

36. Ad idem, pro collegio Sancti Bernardi, abbatibus de Firmitate, de Prulliaco, de Regalimonte et de Caroliloco, s. th. pr.

37. Ad idem, pro domino Morimundi, abbatibus de Crista, de Pontethieffrido et de Vallibus in Ornesio.

38. Ad idem, pro magistro Iacobo du Breuquet, abbatibus de Claritate, etc.

39. Ad idem, pro magistro de Cerisey, contra abbatem de Monasteriis in Argona, abbati de Caroliloco.

40. Ad idem, pro abbate de Belloprato, abbatibus de Regalimonte et de Caroliloco, s. th. pr.

41. Ad idem, pro abbate Caroliloci, abbatibus de Firmitate et de Regalimonte, s. th. pr.

42. Fratrem Petrum de Gayn, quondam abbatem monasterii de Caduino sufficienter et debite citatum ad generale Capitulum anno Domini 1482, non comparentem, et ad hoc praesens generale Capitulum 1483, et non comparentem, neque per se neque per sufficientem procuratorem, idem Capitulum contumacem et excommunicatum declarat et denuntiat, praecipiens omnibus Ordinis... etc. quatinus ipsum tamquam contumacem et excommunicatam teneant et devitent et publicent.

43. Ad idem, contra fratrem Ioannem de Nisoleriis, quondam abbatem Belliloci Ruthenensis, qui non comparuit neque per se neque per procuratorem.

44. Fratrem Ioannem Buissonis, et fratrem Ioannem Bernardi, monachos monasterii de Bellapertica, debite ad generale Capitulum citatos promotori causarum dicti Capituli in sibi obiiciendis responsuros, et non comparentes, idem Capitulum illos fore et esse excommunicatos declarat et denuntiat, mandans omnibus et singulis Ordinis personis, quatinus illos tamquam excommunicatos et contumaces declarent et teneant, quod quidem propter suos gravissimos excessus idem Capitulum reputat inhabiles ad omnes actus legitimos Ordinis.

45. Ad idem, contra fratres Ioannem de Lupoalto supriorem, Guillelmum de Loberissio, et Arnaldum de Albacia sacrista monasterii de Bardonis.

46. Creationem, constitutionem, declarationes, denuntiationem et ordinationem factas per abbatem de Belloloco Ruthenensi, etc. *(sic)*

[DIFFINITIONES] GENERALES

47. Ad removendum pericula et scandala, quae occasione cuiusdam diffinitionis olim factae continentis : quod dum contigerit abbates quorumlibet monasteriorum diem extremum claudere aut alias ipsis providere, nec praesidentiam patris abbatis illius monasterii, cuius pater decesserit, habere potuerint, ad abbatem illius loci viciniorem recurrere habeant ; praetextu cuius diffinitionis spreto patre visitatore, commissario, aut pro-

prio, quidam abbates ad talia se ingerunt, aut vocantur, unde possent interdum oriri scandala, imo etiam monialibus in tali casu favore et temeritate praesident, Capitulum generale ad plenum super his debite informatum, volens reddere unicuique quod suum est et nemini derogare, statuit et districte praecipit, ut si interdum cuique monasterio de patre providere contigerit, non praesumant alium abbatem vocare nisi patrem visitatorem, commissarium et proprium, si tamen per diem integram ad ipsum monasterium commode venire possit ; nec quovismodo praesumant monialibus in talibus praesidere, sed vocetur et expectetur pater proprius aut commissarius, praedictam diffinitionem olim factam et hactenus observatam ad haec arcendo et restringendo.

48. Generale Capitulum dolenter sufferens infinitas turbationes et mala multis dispendiis oriri et pullulare in Ordine plurimis et diversis occasionibus, quibus libentissime subveniret, si eidem facultas adesset, et videns quoniam haec mala repelli non possunt, nisi assuetis contributionibus ad verum collectis, negligentia collectorum ipsorum et commissariorum emendata, qui officium sibi iniunctum tepide nimis et remissius exsequuntur in dispendium Ordinis, imo verius ruinam et desolationem totalem ; quare super his remedium apponere curans omnibus et singulis praedicti Capituli generalis commissariis et huiusmodi contributionum collectoribus districte mandat et praecipit, sub censuris ipsius Ordinis, ut nullis excusationibus praetermissis ad proximum generale Capitulum venire non omittant, de omnibus et singulis suarum commissionum in praedictis collectionibus ad plenum coram Diffinitoribus ipsius Capituli rationem reddituri, compellentes omnia et singula suarum visitationis et collectionis monasteria a quindecim annis et infra integraliter pro sua quota solvere, aut sufficientes quittancias ostendere, de quibus praedicti collectores fidem tunc facere tenebuntur.

[ALIAE DIFFINITIONES]

49. Generale Capitulum cum abbate monasterii Fontis Danielis benigne et misericorditer dispensat, quatinus dicti monasterii sui attenta paupertate, possit fratrem Guillelmum Dubois mittere ad studium Andegavense, quamdiu parentes eius tenere eum voluerint et potuerint, et ob hoc excusatum habet dictum

abbatem a mittendo scolarem ad collegium Sancti Bernardi Parisiensis.

50. Cum damnabile proprietatis vitium funditus et radicitus ab omnibus personis Ordinis sit amputandum, et dolenter ad aures Capituli generalis pervenerit nonnullas nostri Ordinis moniales habere certos et particulares redditus, ac etiam particulariter et contra Ordinis formam vivere, hos abusus damnabiles generale Capitulum de medio tollere cupiens, omnibus patribus abbatibus et Ordinis commissariis praecipit et mandat, quatinus quamprimum pervenerint ad ipsa monasteria sic difformata, praecipiant et iniungant in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis poena, quatinus abbatissas compellant ad uniformitatem Ordinis tenendam in modo cantandi et vivendi secundum Ordinis statuta, suas religiosas viriliter et exacte compellant, mandans idem Capitulum omnibus et singulis dictorum monasteriorum regularibus personis in virtute salutaris obedientiae, quatinus in praemissis et ea tangentibus vobis humiliter pareant et devote obediant.

51. Auditis discursibus sororum Margaretae de Voycy, Catharinae Le Chanter et Ludovicae Le Cloutre, prioratus de Villaribus Caniveti professarum, generale Capitulum earumdem statui providere cupiens, praecipit et mandat dictis monialibus, ut in praefato prioratu priorissae obedientes divinum servitium frequentent, cum aliis sororibus suis in locis regularibus refectionem sumentes, alias nihil eisdem ministretur, nec ipsum prioratum solitis suis infestationibus molestetur, nec ab eodem sine licentia priorissae discedere praesumant sub poena fugitivorum, nec quoscumque saeculares in ipso aut in cellis suis sine licentia ipsius priorissae intromittant, praecipiendo eidem priorissae sub poena excommunicationis latae sententiae, ne praedictis monialibus aliquam det pensionem, quamdiu in praedicto monasterio residentiam fecerint, sed eis dumtaxat administret sicut aliis monialibus, ibidem Deo servientibus ; committendo executionem praesentis diffinitionis omnibus abbatibus, prioribus et regularibus personis ad infrascripta observanda fieri, in plenaria Ordinis potestate.

52. Abbati de Voto praecipit et mandat sub censuris Ordinis, quatinus annuatim decem scuta aurea fratri Richardo Bosco, scolari de Mortuomari, Parisiis conferat, quoadusque proprium et propriis expensis miserit scolarem, et dummodo abbas prae-

dicti Mortuimaris scolarem quem in sua domo tenet infra festum Sancti Michaelis ibidem transmiserit studendum.

53. Auditis relationibus multorum patrum Ordinis pluriumque fide dignorum, super excessivis et offensivis iniuriis et diffamationibus verbo et scripto dictis et publicatis, in pluribus diversis locis, tam Ordinis quam aliis, multis notabilibus viris per quemdam fratrem Alfonsum dictum de Pygnian, contra et adversus R. P. D. nostrum Cisterciensem, s. th. pr., necnon in priorem, cellerarium et alias monasterii Cisterciensis personas, compertasque ad liquidum falsitate dictarum iniuriarum et diffamationum, cum probata virtus et honestas praedictorum domini Cisterciensis et aliorum omnibus nota sit, praesens generale Capitulum praefatum fratrem Alfonsum maligno spiritu, ut fertur, commotum, conspiratorem, maledicum, diffamatorem pessimum ac zizaniorum inter fratres assiduum seminatorem reputat, declarat et promulgat, condemnans ipsum propterea districtis carceribus usque ad condignam de praedictis satisfactionem, arbitrio et voluntate praefati domini Cisterciensis mancipandum ; et quia per quemdam processum Romae per officiarios S. D. N. Papae adversus eumdem factum eiusdem manifestantur opera perversa seu maleficia, ac etiam, quod dum Ordinem nostrum temerarie intravit, ut compertum est, nullam a Sancta Sede aut a suo pastore seu superiore obtinuit licentiam, quare et habitum tantum ferens se maculando Ordinem irrisit et mundum. Quamobrem praesens generale Capitulum pronuntiat, sententiat et diffinit, carcerum expleto rigore, habitum ab ipso regularem per praefatum dominum Cisterciensem ad perpetuum deponi, qui et nunquam de cetero a quibuscumque personis Ordinis suscipiatur, sub censuris Ordinis inhibendo universis et singulis abbatibus et regularibus personis, ut si eum, quod absit, praefatum habitum resumpsisse cognoverint, carceribus mancipent stristissimis usque ad proximum generale Capitulum tunc sequens, sicque cunctis eius subsannata varietas exemplum praebeat salutare.

54. Ad supplicationem patris abbatis de Vetericella, querentis ut abbates in Slecia prohibeantur studentes tenere in civitate Cracoviensi, cum ibi nullum sit Ordinis collegium, remittit generale Capitulum commissariis in hac parte et his partibus deputatis pro collegio Lipzensi.

55. Auditis litibus et querimoniis inter dominum Pontigniaci

ex una, et abbatem Montispetrosi ortis, partibus ex altera, ratione nonnullarum pecuniarum summarum per praefatum dominum Pontigniaci praetensarum a dicto abbate Montispetrosi, praesens generale Capitulum huiusmodi litibus et querimoniis finem imponere cupiens, dercernit et condemnat praefatum de Montepetroso ad solvendum et realiter deliberandum pro totali summa praetensa et in memoriali, cui haec praesens diffinitio annectitur, expressa et contenta 20 scuta regia eidem domino Pontigniaci infra festum Dominicae Nativitatis proxime futurum.

56. Monasterium monialium B. M. de Pratis, quondam extra muros oppidi de Duaco, et nunc in eodem oppido constitutum, praesens generale Capitulum ob animarum salutem idem monasterium firmatum et reclusum perpetuo declarat et ordinat, praecipiens et ordinans idem Capitulum patri abbati et Ordinis commissariis, quatinus praedictam reclusionem manuteneant et teneri faciant et procurent.

57. Gravia Ordinis agenda esse in diversis curiis, tam ecclesiasticis quam saecularibus et parlamentis, generale Capitulum considerans, ad obviandum et huiusmodi agenda dirigendum, iuraque ipsius Ordinis et personas defendendum in ipsis curiis et parlamentis et coram quibuscumque iudicibus tam ecclesiasticis quam saecularibus, generale procuratorium ad lites cum procuratoribus tam religiosis quam saecularibus per dominum Cisterciensem, s. th. pr., declarandis, nominandis et ordinandis, ordinat, declarat et renovat.

58. Generale Capitulum praecipit et mandat abbati de Mortuomari, in virtute salutaris obedientiae et sub poena excommunicationis, quatinus in forma authentica sub signo et sigillo tradat et deliberet fratri Roberto, abbati monasterii de Fulcardimonte, omnia et singula minuta executionis et significationis seu provisionis suae per ipsum facta, ac etiam instrumentum informationis per ipsum factae in praedicto Fulcardimontis monasterio ; huiusmodi diffinitionis executionem domino Firmitatis committendo, in plenaria Ordinis potestate.

59. Ad instantiam et humilem supplicationem abbatis monasterii de Paradiso, praesens generale Capitulum benigne et misericorditer dispensat, quatinus in monasteriis maioris Poloniae possit usque ad decem personas Ordinis inhabiles, ad omnes Ordinis actus legitimos, gradus, voces, officia, beneficia, admi-

nistrationes et dignitates rehabilitare possit et valeat, in plenaria Ordinis potestate.

60. Devotionem populi christiani quam dietim aeternus orbis Conditor excitare dignatur in monasterio B. M. de Vaucellis, Cameracensis dioecesis, generale Capitulum sinceris amplectens affectibus, ipsamque benignis prosequi favoribus atque spiritualium largitione beneficiorum, semper augere summe desiderans, omnibus et singulis utriusque sexus christicolis ipsam ecclesiam devote visitantibus ac de bonis ipsorum temporalibus pro succursu et aliis necessitatibus et agendis ipsius monasterii de Vaucellis largientibus, plenariam omnium bonorum spiritualium, videlicet missarum, orationum, ieiuniorum, abstinentiarum, poenitentiarum, vigiliarum, disciplinarum, hospitalitatum, ceterorumque bonorum spiritualium, quae fiunt et de cetero fient in Ordine nostro in vita vestra pariter et in morte, misericorditer largitur et concedit.

61. Tractatum factum, passatum et initum inter abbatem de Scala Dei et Ioannem Nauthier de patria Bearnii, de et super quadam grangia vulgariter nuncupata Mascouba, cum omnibus redditibus, iuribus, proventibus et pertinentiis suis universis, ubicumque et qualicumque sint, quia generale Capitulum veridico relatu et sufficienter extitit informatum ipsum fore et esse factum contra Ordinis statuta, et absque sui conventus evocatione, necnon in damnum dicti monasterii permagnum, idem generale Capitulum cassat, irritat, revocat et annullat, ac nullius vigoris et efficaciae esse declarat, super iuramento per dictum abbatem de Scala Dei super hoc praestito misericorditer ac benigne dispensando.

62. Cum alias certis, iustis et rationabilibus de causis abbatissa monasterii monialium de Gaudio Nostrae Dominae iuxta Hennebont, Venetensis dioecesis, per generale Capitulum iniunctum et ordinatum extitisset, sub poena excommunicationis latae sententiae, ne de cetero procuratoris officium cuidam magistro Christoforo Rebballim in ipso monasterio de Gaudio exercere, nec ipsum in dicto monasterio permanere permitteret... a dicto suo monasterio penitus eliminaret. Et nihilominus, prout veridico relatu comperit, dictus Christoforus adhuc in praesentiarum in ipso monasterio residet in contemptum dicti Capituli, Ordinis dedecus et dicti monasterii praeiudicium ; hinc est quod abusibus generale Capitulum remedium apponere cupiens, abbatissae

ceterisque religiosis dicti monasterii praecipit et mandat, in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae poena, quatinus praefatum Christoforum, infra novem dies ab intimatione huius diffinitionis, a dicto monasterio eliminet, nec ei aliquid in victu de bonis monasterii ministrent ; huiusmodi diffinitionis executionem omnibus et singulis regularibus personis in sacro sacerdotali ordine constitutis super hoc requirendis, in virtute sanctae obedientiae committendo, in plenaria Ordinis potestate.

63. Generale Capitulum praecipit et mandat abbati de Sancta Cruce in Austria, quatinus secum assumptis aliquibus aliis abbatibus, laboret ad hoc, quod collegium Viennense in Austria olim per generale Capitulum sibi commissum ad manus, Ordinis abbates et officiarios potentes et debentes per Ordinis censuras, quatinus ad praefatum collegium suos scolares cum debitis et sufficientibus provisionibus, secundum *Benedictinam* et alia dicti Ordinis statuta, mittere non omittant.

64. Omnia et singula Ordinis agenda quae in hoc praesenti generali Capitulo terminari non potuerunt, praesens Capitulum generale domino Cistercii, s. th. pr., domino Firmitatis, Ordinis procuratori generali, et illis quos voluerint evocare, in villa Belnae decidenda, diffinienda et terminanda committit, in plenaria Ordinis potestate, et de data 14 diei eiusdem mensis septembris, secundum quod semper fieri assuetum est.

65. Attentis guerris et viarum discriminibus, praesens generale Capitulum omnes et singulos Ordinis abbates, qui in praesenti Capitulo adesse non potuerunt, idem Capitulum benigne et misericorditer a via Capituli habet excusatos, et nihilominus illos citat ad proximum generale Capitulum sub poenis et censuris Ordinis.

66. Generale Capitulum misericorditer et benigne dispensat cum sorore Ioanna de Satrissart, monasterii de Sarto B. M., abbatissae suae interveniente consensu et rogatu, ut non obstante inhabilitate et infamiae nota, quam incurrit monasterium suum egrediendo absque abbatissae suae licentiae, et per spatium trium hebdomadarum in domo cuiusdam neptis suae permanendo; super quo tamen Ordinis poenitentiam sibi iniunctam humiliter et devote peregit, ad omnes Ordinis actus legitimos, gradus, voces, officia, beneficia et administrationes, abbatiali seclusa dignitate, promoveri valeat et assumi.

67. Ad idem, pro sorore Ioanna de Penchies, monasterii de Braella, in contagio carnis deprehensa, puerperio semel subsecuto.

68. Ad idem, pro sorore Anthonia de Le Lacherie, monasterii de Pratis in Duaco, de contagio carnis, bis inde secuto puerperio, et generale Capitulum benigne et misericorditer dispensat cum abbatissa monasterii de Sarto B. M., ut non obstante macula et imperfectione quam patitur quaedam iuvencula in anno probationis existens in suo monasterio, utraque tibia claudicando, ipsam ad professionem recipere possit et valeat ; et nihilominus inhibet idem Capitulum omnibus abbatibus et abbatissis Ordinis, ne ceteros novitios aut novitias tales aut similes defectus et imperfectiones habentes et patientes recipere audeant aut praesumant.

SUFFRAGIA

69. Primo, pro Guillelmo Philippi mercatore, eiusque consorte Anthoneta, ac eorum libera, apud Castellionem commorantibus.

70. Magistrum Ioannem Reynauld auditorem computorum Divion., cum uxore sua, generale Capitulum recipit ad suffragia Ordinis universi.

71. Ad idem, pro Ioanne Guy de Poligniaco, castellano Romirae, cum uxore sua.

72. Ad idem, pro domino Guilelmo de Nanto, praeposito Sancti Anatalii Solviensis.

73. Ad idem, pro Ioanne Ogeloti.

74. Ad idem, pro magistro Iacobo Cothro, praesidente computorum, Parisiis.

75. Pro illustri et potenti domino Ludovico Cam. et vicecomite Miriannae.

76. Philippus Damirim miles et eius uxor.

77. Pro spectabili domino Odeto de Chief, domino de Chaynes, et Ioanna de Sancto Trimerio uxore sua.

78. Pro venerabili et discreto viro Henrico Pignati, secretario ducatus Sabaudiae, eiusque consorte.

79. Pro dominis et nobilibus Petro du Palais milite, Bertrando de Lyron et Guidone le Beuf.

80. Ad triennium admittitur abbati monasterii de Valcellis suffragium Ordinis, pro benefactoribus monasterii sui.

* * *

81. Visa et ad liquidum cognita non minus laudabili quam religiosa oblatione R. D. Cisterciensis suique conventus, qua pluries obtulerunt tam in particulari quam in publico, se fuisse et esse contentos, quod ad terminandum summarie et de plano iuxta formam Ordinis, nonnullas difficultates seu querelas per modernum abbatem Claraevallis motas, et prosecutas in diversis curiis adversus eos eorumque monasterium, tam pro exoneratione et securitate conscientiarum, ac pro honore eorum ac personarum Ordinis quam matrem suam gravare non debent, quam pro debito iustitiae, et ut idem Ordo quietus, unitus et pacificatus liberius intendat sanctae reformationi et conservationi privilegiorum, conficerentur in forma honesta tot articuli quot expediens videretur generali Capitulo, tam super quibusdam redditibus situatis in quibusdam receptis christianissimi domini nostri regis Franciae, quam super aliis quibusdamque et receptis dicticulis praescriptum, ipsi honesto et religioso modo ad quemlibet articulum responderent, demum eligerentur et deputarentur pro utraque parte nonnulli abbates Ordinis, videlicet pro parte Capituli generalis tres aut quatuor, et pro parte Cisterciensi totidem tamquam arbitri, in manus quorum dicti articuli responsionesque et quidquid quaelibet dictarum partium dicere aut allegare vellet, et si consonum videretur, adderentur dictis abbatibus pro utraque dictarum partium nonnulli iurisperiti, et quidquid per dictos arbitros fuisset dictum, ordinatum, sententiatum seu pronuntiatum, perpetuis pro sententia et decreto finali et irrevocabili haberetur. Quam quidem oblationem, praefatus dominus Cisterciensis, desuper abundante dulcedine, sufficienter intimaverat praefato abbati Claraevallis, prout haec omnia evidenter apparent per instrumentum authenticum pro parte praefati domini Cisterciensis productum in medio consistorii, sed ipse Claraevallensis abbas eam contempsit et respuit ; quibus per generale Capitulum matura deliberatione consideratis, gratissimam habet et habuit praefatam oblationem tamquam iustam, Ordini utilem et plurimum commendabilem, cum omnium personarum Ordinis pater et caput sic reverenter et modeste se in hoc negotio personarum Ordinis iudicio subiiciat, rursum mandans et praecipiens procuratori generali Ordinis, ut quemadmodum eiusdem Capituli mandato incepit, sit semper coniunc-

tus praefatis domino Cistercii et eius conventui in dicto processu usque ad litis decisionem, tum propter causas praedictas, tum quia dictus processus non mediocriter vergit in maximum detrimentum ingentemque diminutionem privilegiorum et statutorum Ordinis ac totius ecclesiasticae libertatis, necnon in miserabile universi populi christiani scandalum.

1484

Anno[a] Domini millesimo quadringentesimo octogesimo quarto, in generali Capitulo apud Cistercium statuta et diffinita sunt quae sequuntur.

ORATIONES

1. Pro sanctissimo ac beatissimo Domino nostro, Domino Innocentio, divina Providentia Papa VIII, necnon... *etc. ut in anno* 1483.

2. Praeterea pro serenissimo... Frederico... necnon pro christianissimo domino Carolo, Francorum rege... *etc. ut in anno* 1449.

3. Insuper pro burgensibus... *etc. ut in anno* 1449.

4. Ceterum pro pace... *etc. ut in anno* 1449.

5. Demum pro felicis... *etc. ut in anno* 1470.

[DIFFINITIO] GENERALIS

6. Cum Ordo noster... de antiquo debito, ac etiam in summa 5503 florenorum Capituli, 5 gross., 8 den. de resta ultimorum computorum de et pro toto tempore praeterito... *etc.* contributionem novem millium florenorum... *etc. ut in anno* 1449.

1484. *Fontes* : F^1 : 37 ; L^5 : 1-80 ; *M abbrev.* 37, 47, 48, 49, 51, 53, 54, 58 et 59 ; *in extenso* 52 ; P^2 : 1, *deinde abbrev.* : 37, 47, 48, 49, 51, 53, 54, 55, 58, 59 et 61, *deinde in extenso* 52 *et* 62 ; *Va* : 12 ; *W* : *abbrev.* 58 et 59, *deinde* 81, 82, 83.

[a] *Titulus apud* L^5. [b] Sub Innocentio VIII, Frederico imperatore, et rege christianissimo Carolo ; Ioanne dicto de Cireio abb. Cist. 42 : P^2.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

7. Electionem, promotionem, institutionem et installationem de persona fratris Bernardi de Nordburgen, professi et prioris monasterii Caesariensis, Augustensis dioecesis, ad dignitatem abbatialem monasterii Sancti Ioannis Baptistae in Stams, Brixiensis dioecesis, per abbatem dicti monasterii de Caesarea, eiusdem monasterii de Stams immediatum patrem abbatem, rite... *etc.* confirmat.

8. Ad idem de persona Henrici, professi et cellerarii monasterii de Valkenrede, Maguntinensis dioecesis, ad dignitatem abbatialem eiusdem monasterii de Valkenrede, per abbatem de Veteri campo, eiusdem monasterii patrem abbatem, rite... *etc.* confirmat.

9. Ad idem de persona fratris Petri Heldwert ad dignitatem abbatialem monasterii de Aurora, Constantiensis dioecesis per abbatem de Lucella dicti monasterii patrem abbatem, *etc.* confirmat.

10. Item, electionem, promotionem, institutionem et installationem fratris Henrici, professi et prioris monasterii de Vetericampo, Coloniensis dioecesis, ad dignitatem abbatialem eiusdem monasterii, per abbatem de Veterimonte, auctoritate abbatis Morimundi, eiusdem monasterii Campensis immediati patris abbatis, rite... *etc.* confirmat.

11. Ad idem, de persona fratris Nicolai de Villers, monasterii de Aurea valle professi, ad dignitatem abbatialem eiusdem monasterii, per abbatem Trium fontium, eiusdem monasterii de Aurea valle patrem abbatem.

12. Ad idem, de persona fratris Ioannis de Hersées, professi et prioris monasterii de Valle Sancti Lamberti, Leodiensis dioecesis, ad dignitatem abbatialem monasterii eiusdem, per abbatem Signiaci eiusdem monasterii patrem abbatem.

13. Item, postulationem seu electionem, promotionem, institutionem et installationem de persona fratris Wolgange, praedicatoris in Strassindel, ad dignitatem abbatialem monasterii de Runa, Salzburgensis dioecesis, per abbatem de Sancta Cruce in Austria, auctoritate Capituli generalis debite factas et celebratas, dummodo dictus frater Wolgangus in Ordine nostro professus sit, praesens generale Capitulum approbat, ratificat et confirmat.

14. Promotionem, institutionem et installationem de persona fratris Ioannis Boery ad dignitatem abbatialem monasterii de Clariana, alias de Iano, Elnensis dioecesis, per collationem abbatis de Ardorello, eiusdem monasterii de Iano patrem abbatem... *etc*... confirmat, mandans idem generale Capitulum eidem fratri Ioanni Boery abbati, in virtute sanctae obedientiae et sub censuris Ordinis, ut in eodem monasterio de Iano personaliter resideat et reparationi eiusdem intendat.

15. Item, promotionem, institutionem et installationem de persona fratris Anthonii Vagnery, monasterii de Ardorello professi, ad dignitatem abbatialem monasterii de Villalonga, Carcassonnensis dioecesis, per resignationem fratris Ioannis Bahery, electi dicti monasterii, et per abbatem de Ardorello, Ordinis commissarium, rite... *etc*. confirmat.

CONFIRMATIONES TRACTATUUM.

16. Tractatum initum, factum et passatum inter abbatem et conventum monasterii de Vallelucenti ex una, et nobiles viros Ioannem et Petrum de Velutz fratres, dominos de Fonton, partibus ex altera, de et super quodam dominio vocato Promerreaulx, cum alia mansura cum pertinentiis eidem monasterio pertinentibus, prout in litteris praesentibus annexis plenius continetur, debite et sufficienter per praesens generale Capitulum examinatum, et ad utilitatem eiusdem monasterii inventum, idem generale Capitulum approbat, ratificat et confirmat.

COMMISSIONES

17. Abbatibus de Sancto Sulpitio et de Stamedio praesens generale Capitulum committit, ut se diligenter et debite informent super tractatu inito, facto et passato inter sororem Catharinam de Montefalconis, abbatissae monasterii monialium Bituminis in valle pillosa et eius conventu ex una, et Ioannem Glaudium et Antonium fratres, partibus ex altera, de quibusdam terris et possessionibus eiusdem monasterii plenius in litteris praesentis diffinitioni annexis et contentis, et si dictum tractatum esse ad utilitatem dicti monasterii monialium Bituminis invenerint, illum cum omnibus et singulis suis clausulis approbent, ratificent et confirment, in plenaria Ordinis potestate.

18. Abbati de Iardineto praesens generale Capitulum committit, quatinus se debite et diligenter informent super quadam asserta promotione cuiusdam sororis Odae Van Groelst, ad dignitatem abbatialem monasterii monialium de Nazareth, necnon super litibus, processibus, querelis et controversiis postmodum occasione dictae promotionis, per priorissam et religiosas dicti monasterii ex una, et dictam Odam promotam partibus ex altera secutis, ac etiam super eis quae per arbitros seu amicabiles compositores partium acta fuerant ; et si dictam promotionem rite et canonice factam, personam vero promotam sufficientem et idoneam invenerint, illam approbet, ratificet et confirmet ; sin alias infirmet, casset et annullet, et eidem monasterio de persona sufficiente et idonea de novo canonice provideat, in plenaria Ordinis potestate, absque tamen praeiudicio iurisdictionis R. D. N. Cisterciensis.

19. Abbati de Vetericampo praesens generale Capitulum committit ut se debite informet de loco tutiori et aptiori ubi monasterium Montis Mariae, seu de Monte Nostrae Dominae, prope Traiectensem civitatem, reaedificari possit, religiosisque eiusdem monasterii auctoritatem et facultatem suum dictum monasterium illic transferendi et reaedificandi conferat, in plenaria Ordinis potestate.

20. Abbatibus de Caroliloco, s. th. pr., et de Vallibus Sernay committit praesens generale Capitulum, quatinus debite et diligenter se informent super causis et rationibus moventibus abbatissam et conventum monasterii monialium de Porturegali, vendendi et alienandi certos redditus eiusdem monasterii, ut asserunt, sibi inutiles, et si dictas causas et rationes, necnon venditiones dictorum reddituum iustas et rationabiles ac eidem monasterio utiles invenerint, eisdem abbatissae et conventui dicti monasterii licentiam conferant et facultatem vendendi et alienandi dictos redditus, pro certis pecuniarum summis. Dans idem generale Capitulum dictis abbatibus auctoritatem et potestatem ac mandatum speciale compellendi dictam abbatissam et conventum eiusdem monasterii, ut pecuniae ex dictis venditionibus acquisitae in emptionem aliorum utilium reddituum, seu ad maiorem utilitatem eiusdem monasterii, et non aliunde convertantur, in plenaria Ordinis potestate.

21. Generale Capitulum mandando committit abbati de Caroliloco, s. th. pr., ut infra festum Nativitatis Domini proxime

venturum, terminet causam et controversiam existentem inter abbatem et conventum de Caricampo parte ex una, et abbatissam et conventum monasterii monialium de Ponte dominarum parte ex altera, super certo redditu, quem idem monasterium Pontis dominarum super praefato monasterio Caricampi dicitur habere cum arreragiis eiusdem redditus, mandans idem generale Capitulum dictis partibus sub censuris Ordinis, ut dicto commissario in omnibus, tam super principali quam accessoriis, et aliis dictam causam tangentibus et concernentibus, tamquam generali Capitulo obediant, et quod per ipsum factum fuerit, irrefragabiliter teneant et observent.

22. Generale Capitulum committit abbatibus de Firmitate, de Maceriis, de Balerna, et eorum cuilibet, quatinus debite et diligenter se informent super tractatu qui fit inter R. D. N. Cisterciensem et eius conventum ex una, et habitatores villae de Noiron partibus ex altera, super permutatione decem eminarum avenae perpetui redditus cum 135 arpentis nemorum et aliis nonnullis, et si dictum tractatum esse ad utilitatem monasterii Cistercii factum invenerint, seu eorum alter invenerit, illum cum omnibus et singulis suis clausulis approbent, ratificent et confirment, in plenaria Ordinis potestate.

23. Generale Capitulum committit abbatibus de Hymmerode, de Vernivillario et de Villario, cum potestate substituendi, ad cogendum causas motas et movendas inter abbatem et conventum monasterii in Otterburg ex una, et abbatissam et conventum monasterii monialium in Nonnemunster Wormatiensis, partibus ex altera, et iterum inter abbatem de Otterburg et priorem de Ramosa ex una, et abbatissam et conventum monasterii in Valle rosarum partibus ex altera, et easdem fine debito, iustitia mediante, concludendi, in plenaria Ordinis potestate.

24. Abbati de Ellancio committit praesens generale Capitulum, quatinus diligenter et debite se informet super contentis in litteris praesenti diffinitioni annexis, continentibus impignorationem cuiusdam terrae, seu dominii vocati de Santhy, monasterio de Aureavalle pertinentis, et informationibus debite factis, si invenerit dictum tractatum seu contentum in dictis litteris impignorationis ad utilitatem dicti monasterii de Aureavalle fore, illum approbet, ratificet et confirmet, in plenaria Ordinis potestate.

25. Committitur abbati de Villari in Brabantia ut se informet

super quodam processu, quem habent abbatissa et moniales monasterii in Argenton, ratione cuiusdam decimae, et si invenerit processum huiusmodi, secundum statuta et libertates Ordinis rite motum et inchoatum, auctoritate Capituli generalis monasteriis monialium Ordinis vicinis, et in illa provincia consistentibus, aliquod subsidium charitativum eidem monasterio in Argenton benivole praestandum imponat, assistentiam possibilem eisdem abbatissae et monialibus faciendo.

26. Committit praesens generale Capitulum domino abbati de Lanckheim, coassumpto secum abbate de Bildehusen, quatinus quamprimum commode fieri potest, in certo loco convenientiori convocent partes praedictas contendentes, et auditis hinc inde eorum querelis et responsis, causam huiusmodi iuxta Ordinis instituta regularia decidant et terminent, ipsas partes, iuxta quod iuris et rationis fuerit, ad ea quae per eos decisa et determinata fuerint firmiter tenenda compellendo, in plenaria Ordinis potestate, proximum futurum generale Capitulum de his, quae per eos in praedictis iudicata fuerint et sententiata plenius informando ; de causis concernentibus collegium Lipzense similiter audiant, iudicent et decernant, prout ad honorem et utilitatem Ordinis et virorum litteratorum in Ordine multiplicationem conducere videbitur, salvis tamen eis quae per R. D. Cisterciensem ibidem fuerint ordinata.

27. Cum monasterium de Mulbrunna ab omni aevo in nostro Ordine tamquam fons limpidissimus, a quo devotionis et religionis aquae in vicinas undique regiones derivatae semper sit reputatum, non parvo cum dolore hoc praesens generale Capitulum suscepit ipsum idem monasterium Mulbrunnense hoc tempore a primaevae suae devotionis et observantiae regularis fervore plurimum declinasse. Quia igitur principio morbi antidota exhibere convenit, nam tarde medicina paratur cum mala per longas convaluere moras, ea de re cum adhuc plaga recens est, praesens generale Capitulum opportunum cupiens adhibere remedium dominis abbatibus de Schonavia et de Uterina valle, in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis poena, firmiter mandat et praecipit, quatinus assumpto secum domino abbate de Novocastro, praefati monasterii Mulbrunnensis patre abbate et visitatore immediato, alio quoque vel aliis abbate vel abbatibus Ordinis quos ad infrascripta sibi duxerint assumendos, praefatum monasterium de Mulbrunna personaliter accedant,

ibidemque auctoritate Capituli generalis et totius Ordinis visitent et reforment, corrigant, instituant et destituant, in spiritualibus et temporalibus, in capite et in membris, quaecumque iuxta nostri Ordinis instituta regularia invenerint visitanda, reformanda, corrigenda instituenda et destituenda ; dans etiam potestatem dictis abbatibus ipsius monasterii de Mulbrunna abbatem aut ceteros officiarios, si sua id exigant demerita, deponendi et loco eius vel eorum alium vel alios, sufficientem et idoneum, vel sufficientes et idoneos, sive per electionem canonicam, sive per auctoritatem paternam, aut totius Ordinis et Capituli generalis, qua eos et eorum quemlibet in hac parte praesens generale Capitulum vult plenariam instituendi, computationes abbatis et omnium eius officiariorum audiendi, et eas prout viderint et cognoverint vel approbandi vel reprobandi ; contractus omnes et singulos contra formam Ordinis et statuta papalia factos et passatos, si qui sint, cassandi, irritandi et annullandi, et generaliter omnia et singula in praemissis et ea concernentibus vel quomodolibet dependentibus ad eisdem, agendi, faciendi et exercendi, quae agere, facere et exercere posset ipsum generale Capitulum et totus Ordo, si adesset, advocato ad haec, si necessarium sit, auxilio brachii saecularis. Omnibus igitur et singulis praefati monasterii de Mulbrunna personis regularibus praedictum generale Capitulum firmiter dat in mandatis, in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis poena, districte praecipiendo, quatinus dictis abbatibus et commissariis in praemissis omnibus et ea concernentibus, aut quomodolibet dependentibus ab eisdem, tamquam generali Capitulo devote obediant et humiliter pareant, omni contradictione et appellatione remota.

28. Quamquam iuxta sanctorum patrum sanctiones, dictante iustitia, rebellium et delinquentium condigna animadversione sit reprimenda temeritas, ad viam tamen humilitatis, poenitentiae et obedientiae reversis mater charitas misericordiae gremium non claudit. Licet igitur monachi monasterii de Capella, Constantiensis dioecesis, dudum instigante humani generis inimico, domino Morimundi et proprio suo abbati inobedientes et rebelles a suo monasterio aufugerunt, et auxilium brachii saecularis invocaverunt, diuque per saeculum vagando contra patres Ordinis diversa machinati sunt et conspiraverunt, necnon monasterium nocte et latenter intrando, et diversa clenodia auferendo,

furtum vel potius sacrilegium incurrerunt; quia tamen in his omnibus poenitentes ad obedientiam Ordinis et proprium abbatem redire cupiunt, et pro suis excessibus poenitentiam suscipere volunt salutarem, praesens generale Capitulum abbati in Capella per dominum Morimundi instituto, assumpto secum domino abbate monasterii de Lucella, concedit auctoritatem praefatos monachos, si eos vere poenitentes, humiles et obedientes, repererit, ab omnibus censuris et poenis, quas occasione praemissorum incurrerunt, et ab aliis quibuscumque criminibus, excessibus et delictis, etiam generali Capitulo specialiter reservatis, iniuncta eis prius salutari poenitentia, absolvendi, et super irregularitatibus, si quas contraxerunt, cum eis dispensandi, ad omnes quoque actus, gradus, officia et dignitates Ordinis, abbatiali dumtaxat seclusa, ipsos et eorum quemlibet, in quantum indiguerint, rehabilitandi, ita tamen, ut ipsi abbati suo prius restituant quasdam litteras, quas contra ius commune et Ordinis instituta regularia eum sibi tradere coegerunt sigillatas, eique plenam e integram obedientiam tamquam eorum abbati vero et indubitato praestent, omnibus iuribus, praeeminentiis, libertatibus et praerogativis, quibus nostri Ordinis abbates ubique gaudent, gaudere absque impedimento permittant; quod si facere noluerint, declarat eos praesens generale Capitulum non solum non absolvendos, imo ipsos in sententia excommunicationis, quam dudum incurrerunt, aggravat et reaggravat, et tamquam excommunicatos, aggravatos et reaggravatos ubique publicari praecipit et mandat, ac aliunde carceribus et aliis poenis corporalibus iuxta eorum demerita puniri, invocato ad haec, si opus fuerit, auxilio etiam brachii saecularis.

29. Dominis abbatibus de Zenna et Vetericella committit praesens generale Capitulum ut se diligenter informent de causis et utilitate venditionis cuiusdam villae, quam abbas novissime defunctus in Lenin emit, nec tamen solvit, et prout invenerint in proxime futuro generali Capitulo sub sigillis suis certificent, et ipsum generale Capitulum debite informent.

30. De regimine malo monasterii de Victoria et eiectione quorumdam fratrum, inde se iniuste eiectos asserentium, ad generale Capitulum rumoribus deductis, dominis abbatibus de Runa, de Novomonte et de Sitich idem generale Capitulum committit, quatinus ad idem monasterium de Victoria quamprimum commode poterunt, se transferant, ibidem visitando, reformando,

corrigendo, instituendo et destituendo, in capite et in membris, in spiritualibus et temporalibus, quaecumque iuxta Ordinis instituta viderint visitanda, reformanda, corrigenda, instituenda et destituenda ; de causis quoque eiectionis praedictorum fratrum se informent, eisque debite iustitiae complementum administrent, in plenaria Ordinis potestate.

31. Praesens generale Capitulum abbatibus de Begario et de Precibus, et eorum cuilibet in solidum committit, quatinus super casu stupri fratris Ioannis Dolo, monasterii de Boquiano expresse professi, qui, ut dicitur, cuidam homicidio in illis partibus perpetrato interfuit, non tamen in causa extitit, nec consensum dedit, verumtamen metu parentum ipsius interfecti ac iudicum saecularium, dimisso habitu regulari aufugit, et per saeculum aliquamdiu apostatando, sine abbatis licentia minime petita nec obtenta, vagatus est, ac missas in huiusmodi statu celebrando, irregularitatem incurrit, se diligentius informent, et si eum in praedicto homicidio nullatenus reum invenerint, eum absolvant et super irregularitate per eum contracta cum ipso dispensent, in plenaria Ordinis potestate.

32. Super casu horribili ad aures praesentis Capituli generalis delato de abbate Fontis Danielis, qui machinatione quorumdam religiosorum suorum, ut asseritur, in propria camera sua a quibusdam praedonibus et latronibus nocturnis temporibus invasis, et pene nisi aufugisset interemptus fuisset, idem generale Capitulum committit abbatibus de Moroliis et de Trizayo et eorum cuilibet in solidum, quatinus assumpto secum domino de Claromonte, eiusdem monasterii patre abbate immediato, ad praefatum monasterium de Fonte Danielis quamcitius commode fieri poterit, se transferant, ibidem visitando et reformando, de praemissis omnibus se informando, et quoscumque religiosos dicti monasterii, sive praesentes sive absentes, in praemissis aut aliis malis culpabiles invenerint, iuxta Ordinis statuta corrigant et emendent, in plenaria Ordinis potestate.

33. Abbatibus de Schonavia et de Speciosa valle committit hoc generale Capitulum, et eorum cuilibet in solidum, ut per se aut aliquos de suis officiariis se debite informent super causis venditionis cuiusdam curiae in Miltenberg multum, ut dicunt, ruinosae, quam vendere intendunt abbas et conventus in Brunnbach, necnon super venditione trium florenorum annui census, quem idem abbas et conventus habent in oppido Franckford,

et si dictas venditiones praefato monasterio utiles invenerint, admittant, in plenaria Ordinis potestate, ita tamen ut pecuniae inde receptae ad emptionem aliarum possessionum magis utilium et non ad alium usum convertantur.

34. Animarum saluti ac monasteriorum Ordinis in utroque regimine prosperitati semper consulere cupiens generale Capitulum, visitationem et reformationem omnium et singulorum monasteriorum Ordinis, utriusque sexus, in tota provincia Saxoniae, per continuum sequens biennium committit domino abbati Riddageshusen, cum potestate visitandi, reformandi, corrigendi, instituendi et destituendi, in spiritualibus et temporalibus, in capitibus et in membris, omnia et singula, quae secundum Ordinis instituta regularia invenerint visitanda, reformanda, corrigenda, instituenda et destituenda, contributiones etiam Ordinis in praemissis monasteriis exigendi, levandi et recipiendi, ac quittantias dandi et expediendi, ceteraque omnia et singula in praemissis monasteriis agendi, faciendi et exercendi, quae visitatores et reformatores Ordinis hactenus agere, facere et exercere consueverunt, sine tamen praeiudicio patrum abbatum ipsorum monasteriorum, ita tamen ut finito biennio iam dicto generale Capitulum visitare habeat, et de omnibus et singulis per eum factis fidelem reddere rationem ; omnibus autem et singulis dictorum monasteriorum abbatibus, abbatissis, prioribus, priorissis, rectoribus, rectricibus et personis regularibus universis idem generale Capitulum, in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis poena, firmiter dat in mandatis, quatinus dicto commissario in omnibus et singulis praemissis et ea concernentibus aut quomodolibet dependentibus ab eisdem, tamquam generali Capitulo pareant et obediant humiliter et devote ; expensas quas sive visitando et reformando, sive etiam ad Capitulum generale eundo et redeundo, vel nuntios mittendo, faciat ad integrum refundendo.

35. Ad idem, pro abbate de Paradiso, in maiori Polonia, nisi quod loco biennii positum est quinquennium, et in fine ante ultimam clausulam : Omnibus autem, etc. talis clausula addita est : antiquam Ordinis diffinitionem, quod praedicti abbates non nisi de quinquennio in quinquennium ad Capitulum generale venire debeant, confirmando et renovando, non obstantibus quibuscumque commissionibus quacumque auctoritate abbatibus de minori Polonia factis, quas omnes in quantum praesenti

diffinitioni praeiudicant, praesens generale Capitulum revocat, cassat et annullat.

36. Committitur dominis de Rigniaco, s. th. pr., et de Nigrolacu, quatinus quamprimum commode poterunt, monasterium de Lanneyo personaliter accedant, de vita et moribus abbatis ibidem, necnon machinationem quorumdam fratrum in mortem dicti abbatis, ut dicitur, attentata, causis quoque propter quas dictus abbas nuper ad Capitulum generale fuerit citatus, de omnibus et singulis iuxta Ordinis instituta, plenum iustitiae complementum ministrando, et nihilominus in eodem monasterio visitent et reforment, corrigant, instituant et destituant, in capite et in membris, in spiritualibus et temporalibus, quaecumque ibidem invenerint visitanda, reformanda, corrigenda, instituenda et destituenda, abbatem etiam, si sua exigant demerita, deponendo, et loco eius alium instituendo, ceteraque omnia ibidem faciendo, quae in spirituali et temporali ipsius monasterii reformatione viderint necessaria et opportuna. Quod si forsan praefatos fratres alibi mittendos dignum duxerint, sub censuris Ordinis abbatibus ad quos eos miserint recipiant, praecipiant et mandent, in plenaria Ordinis potestate.

37. Generale Capitulum super gravi querimonia quam venerabilis prior et conventus monasterii Cisterciensis dolenter fecerunt exponendo, quod in quadam causa mota, suscitata et prosecuta in Parlamento Parisiensi per fratrem Petrum abbatem de Claravalle contra et adversus R. in Christo P. D. Cisterciensem, ipsumque generale Capitulum ac eumdem Cistercii conventum, dictus de Claravalle extra materiam, quam dicit principalem dicti processus et dumtaxat ad infamias et iniurias falsas studium convertens, immemor reverentiae honoris et obedientiae, quas debent filii et subiecti patribus et superioribus suis et quasi in vindictam, quia non fuit ultimate electus abbas Cistercii, inhoneste et irreverenter per suum advocatum publice deducere fecit et proponere, quod praedictus dominus Cistercii et ipse suus conventus a certis annis citra quemdam fratrem Ioannem de Auxona dicti monasterii Cisterciensis monachum fecerunt carceribus mancipatum mori, et loco profano inhumari, quemdam etiam magistrum Alphonsum Cisterciensis Ordinis monachum et professum, in durissimis carceribus astrictum tenebant volendo illum suo monachali habitu privare, et ut in dictis carceribus dies clauderet extremos procurare. Quodque ipse

dominus Cisterciensis et ipse conventus inutiliter magnam monasterii sui vendidissent substantiam, et quod gravius foret, nonnullas Capituli generalis diffinitiones falsificasset, et alia plura gravissima crimina adversus eos falso et contra veritatem, per se et suos quasi ubique publicando, in quibus dictus dominus de Claravalle tam dictum R. D. Cisterciensem quam ipsum conventum de homicidio, dilapidatione, falsitate et aliis plurimis falsis criminibus accusabat, quae quia inhonestissima sunt et omnino contra veritatem per eumdem de Claravalle, ut compertum est, adinventa et ad nocendum confecta, et quae nihilominus, si in aliqua sui parte aliquid veritatis continerent, cum sint secreta Ordinis, non deberent extra Ordinem ventilari, instanter rogabant ut super omnibus et singulis praemissis generale Capitulum se diligenter informare, et veritate comperta de universis praemissis per dictum dominum Claravallensem impositis, tam praefatum R. D. Cistercii quam conventum saepe dictum, immunes et innocentes declarare et condignam reparationem facere, et de remedio opportuno providere dignaretur ; praesens generale Capitulum, matura ac diligenti adhibita deliberatione, visis, examinatis et bene intellectis notabilibus quibusdam attestationibus per eosdem priorem et conventum super praemissis tunc in medio productis, necnon diligenti inquisitione et informatione super eisdem praehabita, quia evidenter apparuit eidem Capitulo generali praelibatum fratrem Ioannem de Auxona de indicibili vitio saepius convictum, et propter hoc iuxta Ordinis sententiata statuta mancipatum et condemnatum fuisse, reservata tamen Ordinis misericordia, in quibus et si dies suos in brevi finierit, alibi tamen nisi in carcere pro tunc mori non debuit, et quia instigante diabolo, propter sceleris sui enormitatem veluit diffidendo de misericordia summi Dei, seipsum infra trium mensium spatium interemit, quare suo cadaveri ecclesiastica merito deneganda fuit sepultura ; quantum vero ad praefatum magistrum Alphonsum, dictum generale Capitulum invenit quod propter graves et scandalosas seditiones, murmurationes, conspirationes ac zizanias, quas inter fratres et personas Ordinis suscitare et seminare non cessabat, per novissimum generale Capitulum et Diffinitores eiusdem ultra nonnullas alias poenas usque ad arbitrium praefati generalis Capituli carceribus mancipatus et condemnatus fuerat, et nihilominus ex religiosa benignitate non strictis neque duris, ut praefatus de Claravalle false asserit, sed

in camera honesta propter eius senectutem detinetur, et hucusque pascitur competenter, sicut unus alius de religiosis dicti monasterii ; quo autem ad alias praefatas accusationes, iniurias et infamationes per dictum dominum de Claravalle adversus praefatum R. D. Cisterciensem et saepe fatum conventum propositas et publicatas, evidenter et sufficienter constat generali Capitulo de opposito et de innocentia praefatorum R. D. Cisterciensis et eius conventus in praemissis. Eapropter dictum praesens generale Capitulum praefatorum prioris et conventus supplicationibus tamquam iustis et rationabilibus benigne annuens, et quantum pro nunc possibile videtur providens praefatos R. D. Cisterciensem suumque conventum de praemissis homicidii, dilapidationis, falsitatis et aliis criminibus eis, ut praemittitur, per praefatum dominum Claraevallis et per suos, contra veritatem falso impositis, immunes et innocentes, et in nullo reos aut notandos fuisse ac esse denuntiat et declarat ; praesentem diffinitionem praelibatis priori et conventui Cistercii praedictis, ac aliis quorum interest aut interesse poterit quomodolibet in futurum, pro sui attestatione innocentiae et puritatis in praemissis omnibus, atque si et in quantum esset pro impositi criminis purgatione in forma authentica, ut moris est, concedendo.

IUDICES

38. Abbatibus de Firmitate, de Caroliloco, de Regalimonte, s. th. pr., de Balerna et de Maceriis, et eorum cuilibet committit praesens generale Capitulum, quatinus omnes et singulos abbates, abbatissas et alias Ordinis personas, quas aut eorum monasteria et loca invenerint per litteras obligatorias, testes fide dignos, aut alia sufficientia documenta iuste teneri et obligari R. D. N. Cisterciensi aut eius conventui in aliquibus pecuniarum, vini, bladi, aut aliarum quarumcumque rerum summis, illas et quamlibet earum per censuras Ordinis et alia iuris et iustitiae remedia, ad eidem domino Cisterciensi aut eius conventui, seu eorum procuratori aut certo mandato, debite et integre solvendum et satisfaciendum astringant et compellant, in plenaria Ordinis potestate.

39. Ad idem, pro Caroliloco, abbatibus de Regalimonte, de Vallibus Sernay et de Longoponte, et cuilibet eorum.

40. Ad idem, pro Claravalle, abbatibus de Tribus fontibus, de Longovado, de Ripatorio et de Bullencuria, et cuilibet eorum.

41. Ad idem, pro Prulliaco, abbatibus de Caroliloco, de Ursicampo et de Vallelucenti, et cuilibet eorum.

42. Pro Valle Sancti Lamberti, abbatibus de Ellancio et de Molinis, et cuilibet eorum, ut compellant abbatem de Aureavalle ad reddendum et restituendum bona, quae accepit, ut dicit, in oppido de Leodio post obitum novissimi commendatarii eiusdem monasterii de Valle Sancti Lamberti.

43. Ad idem, pro domino de Pontigniaco, abbatibus de Caroliloco et de Regalimonte et de Laude, et cuilibet eorum.

44. Ad idem, pro abbate de Belloloco Ruthenensi, abbatibus de Loco Dei, de Elnis et de Fullentiis, et cuilibet eorum.

45. Ad idem, pro abbate de Loco Dei Ruthenensi, abbatibus de Belloloco, de Elnis et de Fullentiis, et cuilibet eorum.

46. Ad idem, pro Guillelmo Guillot mercatore Divionensi, abbatibus de Charitate, de Longovado et de Albaripa, et eorum cuilibet...

[DIFFINITIONES] GENERALES

47. Gravissime ferens generale Capitulum multorum abbatum negligentias ad generale Capitulum levibus ex causis venire omittentium, omnes et singulos abbates hoc anno non comparentes, qui legitimas excusationes non dederunt, vel miserunt, ad proxime futurum Capitulum generale easdem suas excusationes dicturos, peremptorie citat, ita ut nisi comparuerint, poenas in diffinitionibus Ordinis huiusmodi non venientibus inflictas irremediabiliter incurrisse declarentur, quas tamen poenas ex speciali gratia pro hoc anno dumtaxat suspendit, de futuris tamen nihilominus providendo, ne huiusmodi negligentiae de cetero contingant propter quas Ordinis privilegia et observantia regularis deficit et penitus enervatur, conformiter ad antiquas diffinitiones statuit et inviolabiliter de cetero mandat et praecipit sub formidabilibus poenis in eisdem statutis contentis, ut deinceps ad ipsum Capitulum omnes et singuli abbates Ordinis venire non omittant ; alioquin nisi legitimas excusationes miserint et probaverint, ipsas poenas et censuras in eisdem statutis et diffinitionibus contentas procul dubio incurrent, et contra eos solito rigorosius procedetur. Omnibus igitur abbatibus et

personis regularibus Ordinis, qui in hoc praesenti Capitulo comparuerunt, ac ceteris commissariis Ordinis, in virtute salutaris obedientiae praecipitur, ut praesentem diffinitionem, in suis partibus sibi vicinis abbatibus ubique publicent et insinuent, atque ad notitiam omnium et singulorum abbatum, ubi poterunt deducant ; nomina vero illorum, qui hoc praesenti anno a generalis Capituli nostri comparatione excusati sunt hic consequenter sunt inserta et sunt haec... *(sic desin.)*

48. Cum viri religiosi non tam in doctrina et scientiis litterarum, quam morum honestate et sacrae religionis observantia, studere debeant, generale Capitulum pernitiosam quorumdam abbatum seu religiosorum licentiam detestans, quam se habere dicunt de studentibus alibi quam in collegiis Ordinis in generalibus studiis manendis, cum ad hoc, non sine gravibus expensis, facta sint collegia Ordinis in certis studiis generalibus, ut ibidem studentes Ordinis sub regulari disciplina et obedientia Ordinis viventes, non solum litterarum studiis, sed multo amplius vitae et morum emendatione proficiant, idcirco revocando omnes et singulas huiusmodi praetensas licentias seu indulgentias a quocumque, etc., seu quacumque auctoritate emanatas hac praesenti diffinitione perpetuo valitura statuit et diffinit, quatinus non nisi in studiis illis, ubi collegia Ordinis habentur, et in ipsis collegiis sub provisoris obedientia et regulari disciplina Ordinis, iuxta statuta Ordinis papalia, studentes de cetero degant et maneant, praecipiendo omnibus et singulis dictorum studiorum et collegiorum rectoribus et provisoribus, ceterisque abbatibus Ordinis universi, quatinus ubicumque studentes aliquos Ordinis extra collegia huiusmodi manere invenerint, per censuras Ordinis, sive ad collegia Ordinis, sive ad propria monasteria redire compellant ; quod si facere noluerint, tamquam apostatas puniant. Revocat quoque ipsum generale Capitulum omnes et singulas licentias de studendo in iure canonico quibuscumque factas, cum tales expresse veniant contra Ordinis et papalia instituta. Ut autem viri docti in Ordine ad decorem et utilitatem ipsius Ordinis amplius multiplicentur, in virtute salutaris obedientiae et sub poenis in *Benedictina* et aliis Ordinis statutis contentis, quas ipso facto nisi paruerint incurrant, omnibus et singulis abbatibus, prioribus, cellerariis, bursariis ac aliis monasteriorum Ordinis officiariis praesens generale Capitulum firmiter mandat et praecipit, ut infra 30 dies post executionem praesentium, sco-

lares sufficientes et idoneos, unum vel plures iuxta determinationem per R. D. Cisterciensem et alios Ordinis commissarios factam, quam praesens generale Capitulum approbat et confirmat, cum expensis et provisionibus sufficientibus mittant ad collegia sibi deputata, omnibus et singulis Ordinis commissariis rectoribusque et provisoribus dictorum collegiorum, in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis poena mandando, quatinus praesentem diffinitionem ubique publicent et executioni demandent, praedictos abbates et officiarios monendo, quatinus praemissa infra praenotatum terminum compleant; alioquin excommunicationis et alias Ordinis censuras et poenas in dictis Ordinis statutis contentas ipso facto incurrisse publice denuntient, non obstantibus licentiis seu supportationibus de studentibus non mittendis quibuscumque quacumque auctoritate concessis, seu concedendis, quas omnes praesens generale Capitulum revocat, cassat, irritat et annullat. Et quia nonnunquam studentes bene proficientes per suos abbates faciliter revocantur, unde eorum studium impeditur, et virorum graduatorum in Ordine numerus diminuitur, inhibet praesens generale Capitulum omnibus et singulis abbatibus et officiariis supradictis sub praetaxatis poenis, ne studentes suos a studio revocent, sed ibidem usque ad sacrae theologiae gradum continuent, quamdiu per rectorem et provisorem collegii eos constiterit bene profecisse.

49. Cum saepe numero principes et potentes mulieres, tam in exequiis quam aliis officiis divinis nostras cupiunt intrare ecclesias, quibus propter eorum potentiam commode denegari non potest, Capitulum generale dispensat cum omnibus et singulis abbatibus et monachis, ubi huiusmodi contingunt, super ingressu mulierum huiusmodi, ita tamen ut ipsi abbates et monachi hoc fieri non procurent, et quantum in eis fuerit, resistant, praesertim ne ipsae mulieres per noctem in monasteriis remaneant, in quantum hoc sine damno et incommodo suorum monasteriorum poterunt prohibere.

50. Frater Ioannes abbas Cistercii, ceterique Diffinitores Capituli generalis Cisterciensis Ordinis, totum Cisterciensem Ordinem representantes, omnibus et singulis abbatibus, prioribus, cellerariis, bursariis, cantoribus, sacristis, ceterisque sacerdotibus et monachis ac personis regularibus nostri Cisterciensis Ordinis universi, salutem et nostris, imo verius totius Ordinis

et Capituli generalis, firmiter obedire mandatis. Cum retroactis annis monasteriorum Ordinis in utroque regimine felicius gubernandorum commodo et utilitati intendentes, ad supplendum plurium abbatum negligentias et defectus plures constituerimus commissarios, qui et monasteria sibi commissa visitare et reformare, contributiones Ordinis colligere et alia in huiusmodi facienda perficere, atque ad generale Capitulum venire, ibique fidelem rationem de factis per eos reddere tenebantur, quod tamen minime fecerunt ; idcirco vobis omnibus et singulis suprascriptis, aut primo super hoc requirendo, in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis poena, quam in his scriptis in vos et vestrum quemlibet ferimus, nisi feceritis quae iubemus, districte praecipiendo mandamus, quatinus citetis peremptorie ad secundam diem generalis Capituli proxime futuri apud Cistercium, omnes et singulos Ordinis commissarios, sive per generale Capitulum, sive per R. D. Cisterciensem, aut alios quoscumque institutos ubicumque fuerint, ad reddendum rationem villicationis de omnibus et singulis per eos actis, gestis, aut etiam receptis, et ut summas per eos receptas integre persolvant cum intimatione, quod sive venerint sive non, prout iuris et rationis fuerit, per censuras Ordinis contra eos procedetur, quidquid autem in praemissis feceritis in tergo praesentium nobis intimetis. Datum...

51. Gravia et ardua ac multiplicia Ordinis agenda quae supervenerunt praesenti Capitulo, quae in Cistercio expediri non possunt, insequendo Ordinis ritum hactenus in Ordine singulis annis observatum, praesens generale Capitulum dat auctoritatem, potestatem et facultatem R. D. N. Cisterciensi et quatuor suis primis filiabus et illis quos vocare voluerint, expediendi dicta restantia agenda et materias alias in Divione, aut alibi prout per eumdem fuerit advisatum de data praesentis Capituli, ac si in dicto Capitulo publice coram omnibus essent publicata, prout singulis annis fieri solitum est, in plenaria Ordinis potestate.

[DIFFINITIONES] SPECIALES

52. Quamquam non sine displicentia grandi ad aures huius generalis Capituli deductum sit, monasterio Morimundi per liberam resignationem domini Anthonii novissimi eiusdem abbatis,

in manus Sanctissimi D. N. Papae nuper factam, vacanti per Sedem Apostolicam fuisse provisum de persona Domini Iacobi de Luçon [c], monachi Ordinis Sancti Benedicti, in Ordinis nostri statutis et observantiis, imo et in litteratura et aliis ad tantum monasterium regendum, quod unum de primis quatuor existit, maximamque filiationem habet in remotis partibus, minus experti ; semper tamen obedire volens humiliter Sanctissimae Sedi Apostolicae, ipsum dominum Iacobum in abbatem Morimundi sic promotum in gremium generalis Capituli et Ordinis suscepit, ita tamen ut iuramenta consueta de observandis Ordinis statutis et consuetudinibus, libertatibusque et privilegiis manutenendis, et obedientia generali Capitulo et patri abbati suo publice praestaret, quemadmodum et fecit in conspectu omnium Diffinitorum ; iniungens sibi nihilominus ne de visitatione et reformatione, tam mediate quam immediate sibi subiectorum monasteriorum, se quomodolibet intromittat, quoadusque de statutis Ordinis, et ceteris in talibus necessariis fuerit melius informatus. Interim vero R. D. Cistercii pater abbas immediatus dicti monasterii Morimundi, de visitatore vel visitatoribus, sufficiente vel sufficientibus, idoneo vel idoneis, monasteriis dicto monasterio Morimundi subiectis provideat, ne defectu huiusmodi aliquod incurrant in spiritualibus et temporalibus detrimentum.

53. Ad aures generalis Capituli non sine gravi dolore pervenit nonnullos patres abbates, visitatores vel reformatores Ordinis, sive auctoritate paterna, sive generali Ordinis auctoritate sibi vel a generali Capitulo, vel ab aliis eius auctoritatem habentibus delegata Ordinis monasteria visitantes et reformantes, propriae salutis et vocationis immemores contra statuta papalia et diffinitiones Ordinis, imo et contra eius divinum et sacrorum canonum institutiones, in suis visitationibus et reformationibus lac potius et lanam quam ovium salutem quaerentes, multas ac varias exactiones pecuniarum ipsis monasteriis imponere ac donaria seu munera ultra expensas debitas extorquere, unde monasteria ipsa quamplurimum gravantur et damnificantur, reformatio debita nonnunquam negligitur, ac patrum abbatum, visitatorum et reformatorum auctoritas vilipenditur, contemnitur et annihilatur. Quibus omnibus finem imponere cupiens praesens generale Capitulum sub formidabilibus poenis et censu-

[c] Livron : *M* ; Luiron : *P*2.

ris Ordinis in antiquis Ordinis statutis et diffinitionibus multipliciter fulminatis, omnibus et singulis patribus abbatibus, visitatoribus aut reformatoribus, quorumcumque nomine censeantur, sive quacumque praeeminentia fulgeant aut fungantur auctoritate, ne deinceps in suis visitationibus et reformationibus aliquid exigant, petant aut etiam recipiant, sive debiti nomine sive per modum doni gratuiti seu propinae, sive etiam quocumque alio modo aut nomine, aut quovis alio quaesito colore, exceptis dumtaxat expensis rationabilibus iuxta antiqua Ordinis instituta debitis, sub eisdem poenis et censuris similiter inhibendo omnibus et singulis abbatibus, abbatissis, prioribus, priorissis et personis regularibus personis Ordinis universi utriusque sexus, ne deinceps ipsis visitatoribus et reformatoribus ad se venientibus quamcumque pecuniarum summam seu etiam clenodia seu dona vel munera quaecumque tribuant, exceptis dumtaxat expensis rationabilibus, quas eundo et redeundo ad sua monasteria facient, iuxta modum et formam tam in antiquis Ordini statutis papalibus, generalium Capitulorum diffinitionibus, taxatis et ordinatis.

54. Cum non tam iuxta nostri sacri Ordinis instituta, quam secundum universalis Ecclesiae canonicas sanctiones, omnibus personis regularibus proprietas rerum temporalium sit interdicta, quinimo in omnibus monasteriis et locis regularibus ad imitationem sanctorum Christi discipulorum in primitiva Ecclesia omnia omnibus debeant esse communia, idcirco nonnullorum religiosorum Ordinis nostri abusum damnabilem abolere desiderans, praesens generale Capitulum hac praesenti diffinitione perpetuo valitura ordinat, statuit et diffinit, quatinus res quascumque derelictas per personas Ordinis defunctas sub poena proprietariorum nemo capere, usurpare aut tenere quocumque modo audeat, sed omnia resignentur priori monasterii, ad communem utilitatem monasterii, aut particularem aliquorum necessitatem per abbatem aut priorem, seu ad hoc auctoritatem habentem, distribuantur.

55. Considerato quod dominus abbas de Bellabrancha per 33 annos vel eo circa, quibus in eadem domo abbatizavit, multa bona mobilia et immobilia praedicto monasterio acquisivit, et adhuc per Dei gratiam acquirere intendit, praesens generale Capitulum ei concedit facultatem et plenum posse certos servitores suos, qui eis fideliter servierunt, recompensandi, ac eleemosinas

iuxta devotionem suam et discretionem locis et personis dignis largiendi, absque tamen ipsius monasterii detrimento.

56. Capitulum generale ad plenum certificatum est, tam per R. D. Cisterciensem, quam per dominum Loci Dei, eius in partibus Tolosanis commissarium, de desolatione et totali destructione monasterii Bellaeperticae eiusdem Ordinis, Montisalbani dioecesis, tam in spiritualibus quam in temporalibus, committit viro religioso fratri Ioanni de Luco, eiusdem Ordinis, totale ipsius abbatiae in spiritualibus et temporalibus regimen, dans ei auctoritatem et plenum posse instituendi et destituendi eiusdem monasterii officiarios, corrigendi et puniendi per censuras ecclesiasticas eiusdem domus religiosos et familiares et alios in eodem loco commorantes, invocando, si et in quantum opus erit, auxilium brachii saecularis, et generaliter omnia quae proprius abbas in suo monasterio facere posset et deberet, quoadusque in monasterio per Ordinem aliter fuerit provisum, non contradicendo aliis ordinationibus et constitutionibus per dictos dominos Cistercii et Loci Dei ac etiam dictum generale Capitulum factis.

57. Cum tam iuxta sanctorum canonum sanctiones, quam secundum sacrae nostrae religionis instituta regularia, omnis proprietas rerum temporalium monachis sit interdicta, nihilque debeat habere monachus nisi quod abbas dederit aut permiserit, et quidquid acquirit monachus, non sibi sed monasterio suo, acquirit, pernitiosa cuiusdam fratris Ludovici Proville, quondam professi monasterii Belliprati, nunc vero monachi Ordinis S. Benedicti, praesumptionem detestans, qui summam 30 floren. parisiensium a monasterio Caricampi sibi annuatim persolvi de facto, licet de iure minime debeatur, exigit et requirit, domino abbati eiusdem monasterii Caricampi sub censuris Ordinis inhibet, ne summam huiusmodi dicto fratri amplius persolvat, si enim aliquid sibi in huiusmodi alias permissum fuerit aut exhibitum in favorem studii cui insistere debeat, pro honore Ordinis et non alias constat fuisse factum, non ex debito sed de gratia speciali.

58. Attentis certis causis rationabilibus ipsum moventibus, praesens generale Capitulum per continuum sequens triennium facultatem concedit domino abbati monasterii in Hymmerode, ut quoties ipse personaliter intendere non possit, suum priorem mittere valeat ad visitandum monasteria monialium sibi imme-

diate subiecta, ita tamen ut idem prior ad depositionem abbatissarum aut earumdem institutionem non procedat, nisi assumpto secum aliquo Ordinis abbate.

59. Quamquam in statutis Ordinis prohibitum est ne saeculares personae ad Capitula, ubi secreta Ordinis tractantur, admitti debeant, quia tamen aliquando necessarium est, sive pro consiliis et auxiliis dandis aut testimoniis exhibendis, personis saecularibus uti, concedit generale Capitulum domino abbati in Hymmerode licentiam tam in sui monasterii quam monasteriorum sibi subiectorum capitulis praedictorum gratia et non alias saeculares personas introducendi, ita tamen ut hoc taliter faciat ne secreta Ordinis saecularibus revelentur.

60. De zelo religionis, prudentia et discretione domini abbatis in Dunis plenius confidens, praesens generale Capitulum eidem confert facultatem et plenum posse omnes et singulas personas regulares Ordinis utriusque sexus, tam sui monasterii quam monasteriorum sibi subiectorum aut commissorum, in foro conscientiae per se vel alium Ordinis confessorem sufficientem et idoneum, audiendi, atque ab omnibus casibus, criminibus, censuris et sententiis, etiam generali Capitulo specialiter reservatis absolvendi, ac confessorem Ordinis cum simili potestate, qui eum audiat et absolvat, eligendi pro semel tamen dumtaxat infra annum, necnon personas Ordinis inhabiles usque ad numerum decem personarum ad quoscumque Ordinis gradus, officia et dignitates rehabilitandi, in plenaria Ordinis potestate.

61. Attenta personali dissensione et discordia inter abbates de Curia Dei et Oliveto, inhibetur abbati de Curia Dei, patri abbati dicti monasterii de Oliveto, ne de visitatione aut reformatione ipsius monasterii de Oliveto, abbate moderno superstite, quovismodo se ingerat, sed visitationem ac reformationem ipsius monasterii de Oliveto R. P. D. Cistercii dicti monasterii de Curia Dei patri abbati immediato, durante vita altero ipsorum abbatum, declarat esse tamquam ad patrem abbatem immediate devolutum.

62. Cum monasterium de Vaucellis per guerrarum turbines multipliciter constat esse vastatum et desolatum, generale Capitulum eidem monasterio compatiens, ac pro posse cupiens desolationi et vastitati huiusmodi subvenire, omnes et singulas Ordinis personas utriusque sexus ubilibet constitutas, in visceribus charitatis Christi hortatur et requirit, quatinus iuxta facultates

suas abbati et conventui ibidem pro reparatione sua pie et charitative subveniant, ipsis de bonis sibi a Deo collatis aliquid benivole contribuendo, ad quod faciendum ut melius inclinentur, facultas conceditur abbati de Vaucellis aut monachis sacerdotibus per eum missis, ut omnes et singulas personas Ordinis aliquid contribuere volentes, sine tamen praeiudicio abbatum suorum, in foro conscientiae audire et ab omnibus et singulis casibus, sententiis, censuris et poenis infra spatium unius anni, absolvere valeant, in plenaria Ordinis potestate.

63. Auditis pessimis rumoribus fratris Stephani de Huyo, monasterii de Oliva professi, visis etiam litteris R. D. Leodiensis episcopi et inclytae dominae Margaretae de Anglia relictae bonae memoriae, super eisdem, inhibetur abbati de Alna ne ad officium quod petit eum quovis pacto admittat, sed mittat abbatibus de Camberone et de Laude aut aliis, quos dictus abbas de Alna requirere voluerit, pro suis excessibus iuxta Ordinis statuta puniendum, etiam si sua id requirant demerita incarcerandum, aut aliis maioribus poenis plectendum, non obstantibus quibuscumque promissis eidem fratri Petro (*sic*) super dicto officio per abbatem vi et metu factis, quas omnes praesens generale Capitulum cassat, irritat et annullat.

64. Abbatibus de maiori Polonia, praesens generale Capitulum praecipit et mandat, ut domino abbati de Oliva de expensis quas fecit praesens generale Capitulum visitando, et eorum causas promovendo satisfaciant, earumdemque taxationem domino abbati in Paradiso commissario committendo, ac eosdem abbates sub censuris Ordinis ad earumdem solutionem compellendo, in plenaria Ordinis potestate.

65. Super petitione domini Claraevallis, qua per quamdam schedulam requirebat a domino de Luzella certam pecuniarum summam, praesens generale Capitulum dat terminum eidem abbati de Luzella usque ad festum Nativitatis Domini proxime venturum, infra quod tempus se de veritate schedulae investigabit et, certitudine comperta, dictum dominum Claraevallis prout fuerit iuris et rationis, contentabit.

66. Generale Capitulum dat auctoritatem, potestatem et facultatem priori et conventui Morimundi, per se vel alios viis et modis sibi possibilibus, in quibuscumque curiis, et per omnes iuris et iustitiae vias, prosequendi et compellendi fratrem Anthonium de Boisredon, nuper abbatem eiusdem monasterii-

usque ad integram et plenariam refusionem et satisfactionem summarum in suis litteris obligatoriis contentarum, et dicto conventui et monasterio debitarum, inhibendo abbati moderno eiusdem monasterii Morimundi sub censuris Ordinis, ne quovismodo, per se vel per alium, directe vel indirecte, dictam prosecutionem impediat, sed eis in omnibus faveat et adiuvet.

67. Praesens generale Capitulum confidens in probitate, sufficientia et ceteris virtutibus abbatis de Obra, dat eidem abbati potestatem et facultatem rehabilitandi quatuor regulares personas sibi subiectas, in plenaria Ordinis potestate.

68. Ad idem, pro abbate de Vetericella ad sex personas regulares.

CONTUMACES

69. Fratres Petrum de Gayn, abbatem de Bullione, et administratorem Sancti Sudarii, anno superiore in ultimo Capitulo generali citatum et non comparentem, excommunicatumque, rebellem et contumacem per idem Capitulum denuntiatum et publicatum, necnon iterum ad praesens generale Capitulum citatum et non comparentem, praesens generale Capitulum ipsum fratrem Petrum aggravatum denuntiat et declarat ; omnibus et singulis personis Ordinis mandans et praecipiens quatinus eumdem fratrem Petrum de Gayn excommunicatum, contumacem, rebellem et aggravatum ubique et denuntient.

70. Cum abbas de Altofonte ad instantiam cellerarii de Insula Barrensi citatus ad secundam diem praesentis Capituli, et sufficienter expectatus non comparuit, praesens Capitulum ipsum contumacem et rebellem reputans, abbati Trium fontium committit, ut ad satisfaciendum dicto cellerario de summa per eum debita cum expensis in defectu solutionis factis infra decem dies ab executione praesentium, omnibus viis et modis possibilibus ipsum, appellatione postposita, compellat ; alioquin sententiam excommunicationis quam ex nunc prout ex tunc, et ex tunc prout ex nunc, generale Capitulum in ipsum tamquam contumacem protulit, ipsum incurrisse publice declarat, in plenaria Ordinis potestate.

REHABILITATIONES

71. Ad instantiam et requestam domini abbatis de Bodelo

gratiose dispensat cum fratre Livino Comite, sibi professo, ut non obstante carnis contagio cum coniugata, secuto puerperio, per eum commisso, super quo poenitentiam sibi impositam regularem sustinuit, ad omnes actus, gradus et dignitates Ordinis, abbatiali etiam inclusa, libere et licite promoveri possit et admitti.

72. Ad idem, pro sorore Martina Lottino, professa monasterii de Wastina, ad instantiam abbatissae ibidem, ut non obstante carnis contagio duplici, prole secuta, et apostasia quam incurrit 15 mensibus vel circiter a suo monasterio sine licentia se absentando, super quibus poenitentiam sibi impositam sustinuit, ad omnes actus legitimos, gradus possit promoveri.

73. Ad instantiam et supplicationem abbatis de Bellobecco, generale Capitulum misericorditer dispensat cum fratre Bernardo Le Pruvost professo suo, ut non obstante iniectione violenta manuum in quosdam religiosos in canonem incidendo, ad omnes Ordinis actus promoverit valeat.

74. Ad instantiam abbatis de Claromarisco, generale Capitulum misericorditer dispensat cum fratre Martino Fleurous professo suo, ut non obstante carnis contagio, ad omnes actus legitimos promoveri possit.

75. Ad idem, pro sorore Maria de Villers, professa monasterii de Pace Dei, ad requestam abbatis de Alna, ut non obstante carnis contagio, puerperio inde secuto, etc.

76. Generale Capitulum ad instantiam domini Firmitatis cum sorore Ioanna Pilloys, professa monasterii de Maleduno, misericorditer dispensat, ut non obstante carnis contagio, puerperio bis inde secuto, ad omnes Ordinis actus legitimos promoveri possit et admitti.

77. Ad idem, pro fratre Nicolao de Albomonte, professo monasterii de Altasylva, ad supplicationem sui abbatis, ut non obstante quod habitum dimiserit et per longos dies per saeculum vagus extiterit.

78. Ad idem, pro sorore Perina, professa de Lilio, ad instantiam abbatissae eiusdem monasterii, ut non obstante carnis contagio, puerperio inde secuto, etc.

79. Ad idem, pro fratre Guillelmo de Arcu, professo monasterii de Longovado, ad instantiam abbatis sui, ut non obstante carnis contagio, ad omnes, etc.

80. Ad idem, pro sorore Iacoba de Stailleurs, religiosa de Viva-

rio, ad requestam abbatis de Laude, ut nonobstante carnis contagio, puerperio inde secuto, ad omnes actus Ordinis admitti possit.

* * *

81. Ernestus dux Saxoniae petit a Capitulo generali, ut omnia monasteria Ordinis in ipsius terra secundum regulam reformentur *(cf. supra nº* 34).

82. Petit abbas Veteris cellae, ut conventui liceat historiam B. Barbarae decantare. Conceditur.

83. Abbati Veteris cellae confessor conceditur, qui cum ipso de casibus Capitulo generali reservatis dispenset.

1485

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo octogesimo quinto, in generali Capitulo apud Cistercium, statuta et diffinita sunt quae sequuntur.

ORATIONES

1. Pro sanctissimo... *etc. ut in anno* 1484.
2. Praeterea pro serenissimo... *etc. ut in anno* 1484.
3. Insuper pro burgensibus... *etc. ut in anno* 1449.
4. Ceterum pro pace... *etc. ut in anno* 1449.
5. Demum pro felicis... *etc. ut in anno* 1470.

[DIFFINITIO] GENERALIS

6. Cum Ordo noster... de antiquo debito, ac etiam in summa 5579 florenorum, 5 gross. et unius albi de resta ultimorum computorum de et pro tempore praeterito... *etc.* contributionem novem millium florenorum ... *etc. ut in anno* 1449.

1485. *Fontes* : F^1 ; 70, 73; L^5 : 1-107 ; *M* : 71 *(abbrev.)*; P^2 *abbrev.* 13, 14, 17, 61, 70,71, 104 ; *W* : 34 *(abbrev.)*, 108. [a] *Titulus apud* L^5.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

7. Electionem, promotionem, institutionem et installationem fratris Ioannis, professi monasterii de Victoria in Carinthia, ad dignitatem abbatialem eiusdem monasterii de Victoria, per abbatem monasterii de Runa, commissarium abbatis de Villerio Metensi, eiusdem monasterii de Victoria patris abbatis, rite et canonice... *etc.* confirmat.

8. Electionem... fratris Bartholomei, professi monasterii Albensis, Spirensis dioecesis, ad dignitatem abbatialem eiusdem monasterii Albensis per abbatem Novicastri, eiusdem monasterii Albensis immediatum patrem abbatem, rite... *etc.* confirmat.

9. Ad idem, pro fratre Paulo Mergenstein, professo monasterii de Grunhagen, ad dignitatem abbatialem eiusdem monasterii, per abbatem de Sichem, eiusdem monasterii de Grunhagen patrem abbatem immediatum factas et celebratas.

10. Ad idem, pro Mauritio de Faverolles, monasterii de Brolio Benedicti professo, ad dignitatem abbatialem eiusdem monasterii, per abbatem de Vallibus Sernay, patrem abbatem eiusdem monasterii factas et celebratas.

CONFIRMATIONES TRACTATUUM ET PENSIONUM

11. Tractatum initum, factum et passatum inter abbatem et conventum monasterii Longivadi ex una, et Philibertum et Ioannem Voulandit fratres, habitantes in Divione, partibus ex altera, de quadam donatione bonorum immobilium existentium in finagio villagii de Danceney, prout in litteris... *etc.* confirmat.

12. Abbatibus de Gardo et de Caricampo, et eorum cuilibet, generale Capitulum mandat et praecipit, quatinus per omnes iuris et iustitiae vias, ac per Ordinis censuras indissimulanter astringant et compellant abbatissam modernam, et quae pro tempore fuerit, monasterii monialium de Paraclito, Ambianensis dioecesis, ad de cetero integraliter satisfaciendum et solvendum sorori Ydae de Capella, nuper abbatissae eiusdem monasterii, pensionem octo libr. turon. cum arreragiis, necnon ad tenendum et teneri faciendum eidem sorori Ydae de puncto ad punctum omnia et singula contenta in litteris pensionis praesenti diffinitioni annexis, in plenaria Ordinis potestate.

COMMISSIONES

13. Dominis abbatibus de Firmitate, de Vallibus Sernay et de Valledulci, et eorum cuilibet, committit praesens generale Capitulum, quatinus quantocitius poterunt personaliter accedant ad monasterium de Sacracella, seu ad alia loca, quae ad subscripta peragenda iudicaverint opportuniora, debite, diligenter et sufficienter se informent super quadam electione novissime in eodem monasterio taliter qualiter, ut dicitur, facta et celebrata, necnon de qualitate electi et eligentium ; et si dictam electionem contra formam Ordinis et statuta papalia factam et celebratam invenerint, illam cassent et annullent, cassatamque et annullatam declarent seu declarari faciant, necnon eidem monasterio de persona sufficienti et idonea nostri Ordinis canonice de novo provideant, puniendo puniendos secundum demeritorum exigentiam, in plenaria Ordinis potestate.

14. Quia pervenit ad aures Capituli generalis abbatem monasterii de Monte Syon, cum nonnullis aliis sectam suam insequentibus, contra honestum vivendi modum hactenus in nostro sacro Ordine observatum, super quibusdam per eumdem abbatem adinventis, in Curia romana prosequitur, generale Capitulum praecipit et mandat illi... *(sic)* ad Curiam romanam transibit, quatinus viis et modis possibilibus instet apud reverendissimum dominum protectorem, necnon procuratorem Ordinis et alios Ordini favorabiles, ut dictis adinventis modis illius de Monte Syon resistant et obvient seu resistere et obviare faciant et procurent; confirmationem bullarum revocatoriarum dudum obtentarum contra dictum abbatem de Monte Syon, et sibi faventes prosequendo, et si possibile sit obtinendo.

15. Abbatibus de Igniaco et de Ellancio committit praesens generale Capitulum, ut se debite informent super quadam traditione cuiusdam molendini ruinosi et desolati cum pertinentiis suis, facta per abbatem et conventum monasterii Vallisregis fratri Nicolao dicto Le Ferier, monacho et sacerdoti professo ibidem, et si dictam traditionem invenerit utilem monasterio et observantiae Ordinis ac saluti animae dicti fratris minime contrarium, approbent et confirment, in plenaria Ordinis potestate.

16. Dominis abbatibus de Pontigniaco et Longovado, Caroloco, Himmerode et Otterburgh, ac duobus eorum committit praesens generale Capitulum, quatinus vocatis coram se parti-

bus, se diligenter informent super quodam tractatu dudum facto et passato inter abbatem et conventum monasterii Morimundi ex una, et abbates de Villerio Metensi et de Freistorff partibus ex altera, continente venditionem reddituum novem librarum metensium dictis dominis abbatibus de Villerio et Freistorff, annis singulis per dictos abbatem et conventum Morimundi solvendarum, prout in litteris inde confectis et sigillis abbatis et conventus Morimundi praedictis ac etiam auctoritate R. D. Cisterciensis confirmatis, plenius continetur, et auditis hinc inde partibus, plenum iustitiae complementum ministrent, compellendo per censuras Ordinis ad satisfaciendum illis quibus satisfaciendum est, in plenaria Ordinis potestate.

17. Dominis abbatibus Novicastri et Albae dominorum committit praesens generale Capitulum, quatinus convocatis secum dominis de Mulbrunna et Bebenhusen, patribus abbatibus monasteriorum infra nominatorum se diligenter informent super unione monasteriorum monialium de Retheshofen et Kirchbach, quorum unum illorum, ut dicitur, nimis desolatum est ita quod in eo divinus cultus ac Ordinis observantia teneri minime possit, alterum vero etsi adhuc in vigore sit, parum tamen abundat in temporalibus ; si ambo vero monasteria praedicta unirentur, in uno eorum saltem haec observari optime possent, se plenius informent ; et si ita, ut dicitur, invenerint, praedicta duo monasteria uniant, ita tamen ut diligenter consideretur in quo eorum locus ad praedicta aptior inveniatur, in illo monasterium teneri constituant. In alio vero faciant singulis septimanis aliquas missas celebrari per sacerdotem aliquem expensis ipsius monasterii sic instituti, omniaque alia et singula in praemissis opportuna statuant et ordinent, in plenaria Ordinis potestate.

18. Dominis abbatibus Savigniaci et Clarimontis committit praesens generale Capitulum, quatinus diligenter se informent de quibusdam pecuniarum summis, per abbatem de Vallibus Sernay quondam, cum adhuc esset professus et actor negotiorum monasterii Bellaebranchae, mutuo acceptis, et si dictas pecuniarum summas in utilitatem eiusdem monasterii Bellaebranchae conversas invenerint, abbati ibidem silentium perpetuum imponant, ne dictum abbatem de Vallibus Sernay super his de cetero inquietet inhibendo, in plenaria Ordinis potestate.

19. Committit praesens generale Capitulum dominis abbatibus Firmitatis, Savigniaci et Caroliloci, et eorum cuilibet in

solidum, quatinus se diligenter informent super quadam pensione annua seniori abbati de Vallibus Sernay, nunc priori in Bellabrancha, per abbatem modernum de Vallibus Sernay debita, et si dictam pensionem minus iuste assignatam, dictoque monasterio de Vallibus Sernay nimium gravem invenerint, quodque dictus senior abbas nunc prior in Bellabrancha sufficienter provideri possit de domibus et terris, quas idem abbas modernus, dum adhuc procurator esset in Bellabrancha construxit et cultas reddidit, dictam pensionem vel moderent vel omnino cassent et revocent, prout eis rationabile videbitur, in plenaria Ordinis potestate.

20. Dominis abbatibus... *(locus vacuus)* praesens generale Capitulum committit, quatinus vocatis coram se qui propter hoc vocandi sunt, se diligenter informent super certo debito viginti scutorum annui et perpetui redditus, per quemdam olim abbatem de Vallibus Sernay collegio Sancti Bernardi Parisiis venditi, et auditis hinc inde partibus, prout iustum viderint et aequum, controversiam quam propter hoc inter abbatem et collegium per dictos vertitur, decidant, terminent et concordent, in plenaria Ordinis potestate.

21. Abbati de Villerio Metensi committit praesens generale Capitulum, quatinus monasterium de Victoria sibi immediate subiectum, personaliter accedens, ibidem tam auctoritate sua paterna quam etiam totius Ordinis plenaria visitet et reformet, quae ibi visitanda et reformanda invenerit, se etiam informando super quadam commissione anno praeterito in generali Capitulo per quemdam fratrem professum ibidem falsum narrando, ut dicitur, subreptione impetratam, quam si iniustam et minus rationabilem invenerit, casset, irritet et annullet, in plenaria Ordinis potestate.

22. Dominis abbatibus de Firmitate, de Caroliloco et de Valledulci, praesens generale Capitulum committit, quatinus se diligenter informent de quadam praetensa electione abbatis nuper facta in monasterio de Sacracella, et si dictam electionem, ut asseritur, minus canonice aut de persona minus digna ac contra Ordinis instituta factam et praesumptam invenerint, irritent, cassent et annullent, in plenaria Ordinis potestate, ipsi monasterio praedicto personam aliquam Ordinis sufficientem et idoneam in abbatem instituendo *(cf. supra, n*° 13).

23. Grandi cum displicentia suscipiens generale Capitulum

cuiusdam fratris Pauli, professi monasterii Novalis Sanctae Mariae, temeritatem, qui ambitiosa quadam praesumptione stimulatus contra Ordinislibertates et privilegia, imo et contra uis et aequitatem in romana Curia dignitatem abbatialem monasterii de Walkenriede, cui iam de abbate Ordinis sufficienti et idoneo auctoritate Ordinis fuit provisum, impetrare nisus est, ipsum abbatem ibidem extrudere, et se intrudere nitendo, abbatibus de Riddagshusen, de Scharnbech, de Lapide Sancti Michaelis et Volkenrode, aut duobus eorum committendo, quatinus quamprimum fieri poterit se super praemissis diligenter informent, ipsum fratrem Paulum qui, ut asseritur, iam in carceribus detinetur, prout iuxta Ordinis statuta demeruisse inventus fuerit, acriter puniendo, et nihilominus ad dictum monasterium Novalis S. M. se transferant, ac de facto abbatis et aliorum dictum fratrem Paulum defendere nitentium se similiter informent, et secundum quod invenerint, iustitiam administrent, ipsum abbatem si huiusmodi aut aliis criminibus et excessibus culpabilem invenerint, per depositionem aut alias poenas, iuxta statuta Ordinis, puniendo, in plenaria Ordinis potestate.

24. Abbatibus de Lenin, s. th. pr., et de Buch committit praesens generale Capitulum, ut se diligenter informent super quadam permutatione quorumdam bonorum suorum, quam facere vellent cum certis dominis fundatoribus abbas et conventus in Vetericella, et si eam monasterio utilem invenerint, in sequenti Capitulo generali referant, aut per sua scripta certa ipsum generale Capitulum informent, eisdem abbatibus similiter committendo, ut ad debitam solutionem retardatorum ad structuram dicti collegii Lipzensis expositorum, quemadmodum de hoc concordiam circa annum [14]82 cum abbate Cellensi fecerunt, omnes et singulos abbates qui ad hoc tenentur, compellat in plenaria Ordinis potestate.

25. Domino abbati Bonifontis committit praesens generale Capitulum, quatinus per omnes iuris et iustitiae vias compellat commendatarium et officiarios monasterii de Nisorio sibi immediate subiecti, quod recipiant fratrem Guillelmum de Dosceda, dicti monasterii monachum expresse professum, qui quamvis fuerit per nonnullos multipliciter diffamatus et accusatus, tamen diligenti super hoc informatione facta, nihil contra eum inveniri potuit, quin in suo monasterio stare posset ac deberet, in plenaria Ordinis potestate.

26. Dominis abbatibus de Stratfordia, Woburnia et Fontibus, ac eorum cuilibet in solidum committit praesens generale Capitulum, quatinus se informent diligenter de facto cuiusdam monachi dicti Thurscon Watson dudum nostri Ordinis, postmodum vero Carthusiensis Ordinis, in monasterio Montis Gratiae professi, quem, ut dicitur, abbas de Kirkstall nostri Ordinis a dicto monasterio Montis Gratiae ac professione Carthusiensi clandestine absolvit, et suo monasterio ac nostro Ordini, cuius olim professus erat, restituit, et secundum quod invenerint taliter agant, faciant, disponant de eodem monacho, ipsum sive praefato monasterio et Ordini Carthusiensi restituendo, sive aliter ordinando, ut libertates et privilegia, tam ipsius Ordinis Carthusiensis quam etiam nostri Ordinis, illaesa remaneant, et pax et concordia inter praefatos Ordines servetur, in plenaria Ordinis potestate.

27. Committit praesens generale Capitulum domino abbati de Villerio Metensi, quatinus per omnes iuris et iustitiae vias compellat abbatissam et conventum in Differdingen ad satisfaciendum seniori abbati in Freistorff, dudum confessori in Differdingen, de quodam debito quo, ut dicitur, eadem abbatissa et conventus dicto suo confessori manserunt obligatae, in plenaria Ordinis potestate.

28. Dominis abbatibus de Cambrone et de Vaucellis committit praesens generale Capitulum, quatinus per censuras Ordinis et alia iuris et iustitiae remedia indilate compellant abbatem et conventum monasterii de Alna, Leodiensis dioecesis, ad realiter et cum effectu satisfaciendum magistro Iacobo du Breuquet, canonico Cameracensi et decano Montensi, seu eius legitimo procuratori, de summa 357 ducatorum auri, grossorum 5 papalium, prout inter nos bonae memoriae dominum Aegidium, dum viveret, dicti monasterii abbatem persolvenda, decisum extitit. Et insuper idem Capitulum eisdem abbatibus committit eidem magistro Iacobo per praefatos abbatem et conventum satisfieri procurari de omnibus aliis et singulis pecuniarum summis, ac aliis rebus et bonis in quibus praefatus dominus Aegidius eidem iuste obligatus erat, de quibus per litteras, testes aut documenta alia sufficientia legitime constabit, in plenaria Ordinis potestate.

29. Committit praesens generale Capitulum domino abbati de Caduino, quatinus accedendo, quo propterea accedendum fuerit, se diligenter informet super alienatione aut ad census

perpetuos traditionem nonnullorum hortorum, pratorum, domorum ac etiam haereditatum, et bonorum mobilium et immobilium monasterio de Petrosa de iure pertinentium, per fratrem Bernardum de Mayaco, olim abbatem eiusdem monasterii de Petrosa, ut dicitur, factis et passatis in damnum et praeiudicium dicti monasterii de Petrosa, et si ita invenerit, compellat dictum fratrem Bernardum per censuras Ordinis ad recuperandum omnes litteras et instrumenta super his editas et edita, faciatque dicta bona omnia et singula, tam mobilia quam immobilia, sic iniuste et indebite alienata, indilate ipsi monasterio de Petrosa restitui ; alioquin per omnes iuris et iustitiae vias contra eum procedat, irritando, cassando et annullando omnes huiusmodi concessiones, traditiones aut contractus in praeiudicium dicti monasterii de Petrosa per dictum fratrem Bernardum initos et passatos, cum litteris et instrumentis desuper contentis, in plenaria Ordinis potestate.

30. Dominis abbatibus de Villerio Metensi, de Himmerode et de Mulbrunna, ac eorum cuilibet in solidum, committit praesens generale Capitulum, quatinus per censuras Ordinis ac alias iuris et iustitiae vias compellent priorem prioratus de Ramosa modernum, ad solvendum et integraliter refundendum domino abbati in Otterburg omnes et singulas expensas per eum factas in defensione et recuperatione dicti prioratus, qui ab Ordine trahebatur ; similiter ad solvendum et refundendum expensas factas in defensione sui monasterii in Otterburg et impetratione cassationis cuiusdam sinistrae impetrationis, in romana Curia per ipsum priorem et quosdam alios dudum obtentae, in plenaria Ordinis potestate.

31. Non sine gravi displicentia ad audientiam generalis Capituli pervenit fama detestabilis vitae irreligiosae ac inhonestae, necnon dilapidationis bonorum monasterii, furti, simoniae et aliorum diversorum criminum, quibus incusatur abbas modernus Altifontis, super quibus etiam certae informationes factae per commissarios R. D. N. abbatis Cistercii in hoc generali Capitulo exhibitae fuerunt. Quapropter idem Capitulum dominis de Ellancio, et Monasteriis in Argona committit ipsis et eorum cuilibet, in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis poena districte praecipiendo, quatinus quamprimum fieri poterit, indilate ad idem monasterium Altifontis aut alibi quo propter hoc accedendum fuerit, personaliter accedant, vocatis coram ipsis

eodem abbate ac aliis, qui ad hoc vocandi fuerint, se super praemissis omnibus diligenter ac legitime informent, et si ipsum abbatem in praemissis aut eorum altero culpabilem invenerint, per depositionem seu alias poenas iuxta Ordinis statuta talibus infligendas eum puniant, prout sua demerita exigere videbuntur. Et si iuxta Ordinis instituta ipsum ab abbatiali dignitate deponendum decreverint, ne monasterium illud per diuturnam eius vacationem, in spiritualibus et temporalibus, aliqua forsan detrimenta patiatur, personam aliquam Ordinis ad hoc sufficientem et idoneam ibidem praeficiant in abbatem, in plenaria Ordinis potestate.

32. Visitationem ac reformationem omnium et singulorum monasteriorum Ordinis in toto regno Bohemiae, praesens generale Capitulum committit dominis abbatibus in Osetz et Zedelitz, in virtute salutaris obedientiae eis praecipiendo, ut ad dicta monasteria singulis annis semel ad minus ambo vel alter eorum accedendo, ibidem visitent, reforment, corrigant, instituant et destituant, in capitibus et in membris, in spiritualibus et temporalibus, omnia et singula quae in eisdem monasteriis invenerint visitanda, reformanda, corrigenda, instituenda et destituenda, in plenaria Ordinis potestate.

33. Cum retroactis temporibus in regno Poloniae plures fuerint Ordinis commissarii ad visitandum et reformandum Ordinis monasteria in illis partibus, et contributiones Ordinis recipiendum specialiter deputati, qui tamen hucusque rationem suae villicationis, ut tenébantur, reddere neglexerunt. Quapropter generale Capitulum de actis illorum plenius informari desiderans, dominis abbatibus de Paradiso et Novacella committit in virtute salutaris obedientiae firmiter praecipiendo, quatinus ambo vel alter eorum ad dictum regnum Poloniae personaliter se transferant, ibidem de et super omnibus et singulis per dominos abbates de Claratumba et Comprovincia, seu alios quoscumque Ordinis commissarios, qui a pluribus annis citra in his partibus visitationis officium exercuerunt actis et gestis, ac etiam super contributionibus Ordinis per eos receptis se plenius informent, computaque integra ab ipsis recipiant ac pecuniarum summas per eos receptas, quas nondum miserunt petant, exigant, levent et recipiant, ac R. D. nostro Cistercii fideliter ac diligenter secureque apportare, aut per securum nuntium transmittere studeant, praefatos commissarios, si in hac parte rebelles esse voluerint, per

censuras Ordinis in plenaria potestate eiusdem Ordinis compellendo, ipsumque R. D. Cistercii de omnibus quae invenerint per suas fideles litteras plene informent, ut de commissariis bonis et utilibus in illis provinciis valeat providere, et nihilominus interim, ubi necessarium viderint, visitent, reforment, corrigant, instituant et destituant in monasteriis earumdem provinciarum, omnia et singula, quae secundum Ordinis instituta canonica invenerint visitanda, reformanda, corrigenda, instituenda et destituenda, in plenaria Ordinis potestate.

34. Cum ad resistendum invasoribus et infractoribus nostri sacri Ordinis iurium, privilegiorum, libertatum et exemptionum, omnes personae Ordinis tamquam unius mystici corporis membra pariter conari teneantur, maxime tamen hoc fieri inter vicinos convenit, cum malum quod uni infertur, nisi protinus propellatur faciliter in proximos se extendere potest. Ad generalis siquidem Capituli audientiam non sine gravi displicentia pervenit R. in Christo patrem et dominum dominum Urielem, episcopum Posnaniensem, nostri sacri Ordinis privilegiorum, libertatum et exemptionum forsitan ignarum, aut alia quacumque causa motum, contra eadem privilegia, libertates et exemptiones, excommunicationis in nonnullos abbates nostri Ordinis in sua dioecesi licet nulliter promulgasse, ac promulgatas tandem aggravasse, cum autem haec eadem et similia quilibet antistes in sua dioecesi similiter attentare posset, nisi huic celerius resistatur, generale Capitulum praefata iura, privilegia, libertates et exemptiones illibata conservare ac viriliter ubique defendere cupiens, dominis abbatibus in Lenin, s. th. pr., et in Colbas, ac eorum cuilibet in solidum committit, ipsis et cuilibet in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis poena mandando, quatinus ad omnia et singula Ordinis monasteria Marchiae, Prussiae et Pomeraniae se personaliter transferant, ambo simul vel saltem eorum alter se transferat, omnes et singulos abbates, cellerarios, bursarios seu temporalium rectores requirendo, ut ad defensionem iurium, libertatum et exemptionum huiusmodi iuxta eorum facultates contribuant, ipsique commissarii praedicti dicta subsidia recipientes, ea ad defensionem huiusmodi et non alibi applicent, contra invasores eorumdem privilegiorum et exemptionum huiusmodi sive in romana Curia, sive alibi, ubi opportunum fuerit, viriliter prosequendo nolentes vero contribuere per censuras Ordinis compellant, in plenaria Ordinis potestate.

35. Dominis abbatibus de Mulbrunna et Alba dominorum committit praesens generale Capitulum, quatinus se diligenter informent super quadam permutatione, quam facere intendunt abbas et conventus monasterii de Pomerio, alias Bongart, Argentinensis dioecesis, cum priore et conventu fratrum Praedicatorum Argentinensium de quadam decima pertinente ad ecclesiam beati Symphoriani in Burner prope oppidum Sletstat, dicto monasterio in Bongart incorporatam, contra quamdam curiam prope villam in Epsich, dudum pertinentem eidem monasterio in Bongart, nunc vero per dictos Fratres Praedicatores occupatum, et si dictam permutationem dicto monasterio in Bongart extreme, ut accepimus, desolato ad sui restaurationem utilem et fructuosam invenerint auctoritate totius Ordinis fieri permittatis et procuretis, factamque approbetis, ratificetis et confirmetis ; ita tamen ut propterea proprietas dictae decimae aut etiam ecclesiae dicto monasterio de Pomerio non auferatur, sed semper illibata permaneat, sic videlicet, ut quamprimum monasterium supradictum ad puinguiorem fortunam pervenerit, taliter quod summam a praedictis Fratribus Praedicatoribus iam dudum super dicta grangia acceptam, seu etiam super dicta decima iam accipiendam ipsis reddere possint, et de facto reddiderint, retenta possessione dictae grangiae, quam iam actu consequi debent, etiam ad possessionem dictae decimae absque alicuius contradictione libere revertantur, usufructu tantummodo eiusdem decimae praefatis Fratribus interim derelicto.

36. Ad generalis Capituli audientiam non sine gravi displicentia pervenit quod, licet anno elapso ac etiam annis praecedentibus saepius factae fuerint multae diffinitiones ac commissiones certis abbatibus, ut ad mittendum scolares ad generalia Ordinis studia abbates compellerent, nonnulli tamen adhuc repeRiuntur inobedientes, qui ad huiusmodi studia generalia suos mittere scolares vel negligunt vel contemnunt. Eapropter omnibus et singulis abbatibus commissionem ad hoc habentibus iterato mandat generale Capitulum, in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis poena districte praecipiendo, quatinus contra abbates, suos, ut praemittitur, scolares mittere negligentes, per censuras Ordinis, omni gratia postposita viriliter procedant, exceptis dumtaxat abbatibus de Vetericampo, Campo Mariae et Otterburg, quod ad biennium, de Lucella, de Novocastro et de Sancto Urbano, quos ad annum dumtaxat propter certas et ratio-

nabiles causas ibidem allegatas a missione scolarium ad studium Heidelbergense habet supportatos, excepto etiam abbate de Salem, qui ad nostrum mandatum suos scolares tenet in studio Parisiensi.

37. Omnes et singulae materiae, quae in hoc praesenti Capitulo apud Cistercium tractari et expediri non potuerunt, praesens generale Capitulum more solito R. D. N. Cisterciensi, primis et aliis, quos secum vocare voluerint, eas terminandas apud Divionem remittit, cum et de tali efficacia, vigore, auctoritate ac data, ac si hic in Diffinitorio factae et in Capitulo publicatae et publicatae fuissent.

IUDICES

38. Dominis de Firmitate, Charitate, Balerna et de Maceriis, et cuilibet eorum in solidum, committit et mandat praesens generale Capitulum, ut se diligenter informent super quodam tractatu facto et passato inter christianissimum dominum nostrum Francorum regem ex una, et R. P. D. N. abbatem Cistercii suumque conventum partibus ex altera, de et super quittancia summae 24 libr. turon. annui et perpetui redditus, quam receptores dicti christianissimi domini nostri regis annis singulis a praefatis D. abbate et conventu Cistercii recipere consueverunt, ratione domus eorum in Sancto Ioanne de Loona, in cuius recompensam annis singulis celebrare debent unum anniversarium die penultima augusti in ecclesia Cisterciensi, prout in litteris inde confectis plenius continetur, et si dictum contractum utilem et fructuosum dicto Cisterciensi monasterio, et statutis ac privilegiis Ordinis minime contrarium invenerint, eum approbent, ratificent et confirment, in plenaria Ordinis potestate.

39. Domino abbati de Firmitate, necnon abbatibus de Pietate et de Vallelucenti, ac cuilibet eorum committit praesens generale Capitulum, quatinus se debite, diligenter et sufficienter informent de et super litteris contractus initi, facti et passati inter abbatem et conventum monasterii de Moris ex una, ac discretum virum Ioannem Senestre, filium Ioannis Senestre, mercatorem manentem in Castellione super Secanam, de quadam domo sita Trecis, vulgariter vocata domus de Moris, cum pertinentiis suis, plenius in dictis litteris tractatus praesenti diffinitioni annexis contentis et expressis, et si dictum tractatum esse ad utilitatem dicti

monasterii de Moris invenerint, illum cum omnibus et singulis suis clausulis approbent, ratificent et confirment, in plenaria Ordinis potestate.

40. Domino abbati de Morimundo, necnon abbatibus de Tribus fontibus, de Sancto Benedicto et de Vallibus in Ornesio, et cuilibet eorum committit praesens generale Capitulum, quatinus si invenerint abbatem modernum de Altofonte teneri aut debite obligari fratri Richerio, professo et cellerario monasterii de Insula Barrensi, in summa 14 scutorum auri, pro quorum recuperatione ipse frater Richerius, ut asserit, ter aut quater fuit in generali Capitulo, seu in aliis quibuscumque et quarumcumque rerum summis, ipsum abbatem per omnes iuris et iustitiae vias, necnon per Ordinis censuras, ad integraliter et debite eidem fratri Richerio solvendum et satisfaciendum de dicta summa, necnon de expensis et misis per ipsum fratrem in prosecutione dicti delicti factis astringant et compellant, in plenaria Ordinis potestate.

41. Domino abbati Morimundi committit praesens generale Capitulum, quatinus assumptis et convocatis secum dominis abbatibus de Villerio Metensi et Wernerivillerio, aut eorum altero aut etiam illis, quod ad hoc de consensu partium secum assumere voluerit, conveniant coram se ad certum et competentem diem et locum abbates monasteriorum de Novocastro et de Pomerio, alias Bongart, et auditis audiendis, visisque omnibus et singulis quae dicti abbates producere et exhibere voluerint, omnes et singulas querelas, controversias et causas inter se ortas et motas ac movendas, tam ratione et occasione primitatis eiusdem monasterii, et translationes quorumdam breviariorum, et aliorum bonorum pertinentium eidem de Pomerio, ac detentione cuiusdam decimae, aliquorumque bonorum alienatione per illos de Novocastro facta, ut dicitur, contra formam Ordinis quam alias, debite terminent, decidant et componant, iustitia mediante, per censuras Ordinis compellentes dictas partes contendentes ad omnia et singula quae per eos terminata, decisa fuerint et decreta firmiter observare, in plenaria Ordinis potestate.

42. Ex parte Capituli generalis committitur abbatibus de Balerna, de Candelio, de Pietate Dei, s. th. pr., de Villerio Metensi et de Otterbourg, quatinus diligenter et debite videant et visitent supplicationem porrectam per procuratorem Cistercii praesenti generali Capitulo, necnon libellum dictae supplica-

tioni annexum ad videndum, considerandum, discutiendum et sciendum si in dicto libello iniuriae sint aut aliqua schismata in praeiudicium et gravamen dictorum supplicantium aut Ordinis, et secundum quod invenerint citius quo poterunt praesenti generali Capitulo referant, ad ulterius super interminatione dictae supplicationis aut alias procedendum, prout melius videbitur expedire.

43. Abbatibus de Claromonte et de Savigniaco generale Capitulum committit, quatinus si invenerint per litteras obligatorias, testes fide dignos, aut alia sufficientia documenta, abbatem aut conventum monasterii de Bellabrancha iuste teneri et obligari abbati moderno de Vallibus Sernay, ad debite solvendum et satisfaciendum eidem de Vallibus Sernay, per omnes iuris et iustitiae vias et per Ordinis censuras, astringant et compellant, in plenaria Ordinis potestate.

44. Abbatibus de Gimundo et de Elnis et cuilibet eorum generale Capitulum committit, quatinus debite et diligenter se informent super quibusdam terris et possessionibus infertilibus et infructuosis pertinentibus monasterio Bardonarum, et secundum quod invenerint, dent licentiam abbati et conventui dicti monasterii Bardonarum dandi in foedum vel ad censum annuum dictas terras et possessiones, et super tractatuum inde factorum tenoribus se informent debite et diligenter, et si ad utilitatem monasterii praefati Bardonarum dictos tractatus esse factos, initos et passatos invenerint, illos ratificent, approbent et confirment, seu Capitulo generali, si materia sit gravis, referant, in plenaria Ordinis potestate.

45. Abbatibus de Leoncello et de Aquabella generale Capitulum committit, quatinus se debite et diligenter informent de et super tenore tractatus initi, facti et passati inter abbatem et conventum Valliscrescentis ex una, et quosdam colonos seu agricolas vocatos Les Vyons habitatores Podiigrossi partibus ex altera, de quodam tenemento terrarum vocato vulgariter Leplat, sito in mandamento dicti Podiigrossi prope villam Criste, prout in dictis litteris tractatus praesentibus annexis plenius continetur, et informationibus debite factis, illas cum advisamentis suis generali Capitulo transmittant.

46. Abbatibus de Firmitate, de Regalimonte et de Caroliloco, s. th. pr., praesens generale Capitulum committit, quatinus debite et diligenter se informent super quodam litigio seu contro-

versia orta inter abbatem ac conventum monasterii de Vallibus Sernay ex una, et collegium Sancti Bernardi Parisiis partibus ex altera, de quibusdam pecuniarum summis debitis per dictum abbatem et conventum de Vallibus Sernay eidem collegio, et citatis ad certum et competentem diem et locum, citandis et auditis audiendis dictum litigium seu controversiam terminent, et iustitiae complementum partibus ministrent, in plenaria Ordinis potestate.

47. Dominis abbatibus de Firmitate et de Caroliloco, et cuilibet eorum praesens generale Capitulum committit, quatinus debite et diligenter se informent, de et super tractatu praesenti diffinitioni annexo, inter abbatissam et conventum monasterii de Gaudio prope Nemosium ex una, et Symonem Hartier laborantem et Mariam relictam Petri Hartier defuncti, fratris dicti Symonis Hartier, partibus ex altera, de quadam domo haereditagiis et possessionibus plenius in dictis litteris tractatus praesenti diffinitioni annexis, expressis et declaratis, et si dictum tractatum esse ad utilitatem dicti monasterii factum invenerint, illum approbent et confirment, in plenaria Ordinis potestate.

48. Abbati de Ponte Oltrano committit praesens generale Capitulum, quatinus quantocitius poterit, ad monasterium de Pietate Dei, seu ad alia loca quae ad praemissa iudicaverit opportuniora accedat, debiteque et diligenter se informet de et super rebellione et inobedientia quorumdam religiosorum eiusdem monasterii, qui contra statuta et privilegia Ordinis parti adversae magistri Ioannis Thafoureau, doctoris theologi, veri et indubitati abbatis eiusdem monasterii de Pietate faverunt et adhaeserunt, necnon, ut dicitur, manus violentas in dictum magistrum Ioannem Thafoureau eorum abbatem iniecerunt, seu iniici fecerunt, et informationibus factis, si dictos religiosos aut quempiam eorum in praemissis seu aliquo praemissorum culpabilem invenerit, eos et quemlibet eorum secundum exigentiam demeritorum taliter puniat, quod cedat ceteris in exemplum et terrorem, eiiciendo et expellendo a dicto monasterio de Pietate absque spe reversionis quamdam provectam mulierem, ut dicitur, male famatam, in plenaria Ordinis potestate.

49. Praesens generale Capitulum committit abbatibus de Maceriis et de Theoloco et cuilibet eorum, quatinus si per litteras obligatorias, testes fide dignos, aut alia sufficientia documenta, abbatem de Charitate invenerint debite et iuste teneri et obli-

gari honorabili viro Hugoni Fournier manenti in Romira, in summa 12 scutorum auri, quam summam ipse Hugo a dicto abbate requirit ad causam cuiusdam fratris Ioannis Philippi, professi dicti monasterii Charitatis, quem ipse Hugo suis expensis per longos dies in domo sua tenuit, et a pluribus et diversis languoribus et aegritudinibus, ut asserit, sanavit et relevavit, plura in medicinis et aliis necessariis apponendo, ipsum abbatem ad realiter et integraliter solvendum et deliberandum dicto Hugoni Fournier dictam summam 12 scutorum auri, per omnes iuris et iustitiae vias, necnon per Ordinis censuras, astringant et compellant, in plenaria Ordinis potestate.

50. Domino abbati de Firmitate, necnon abbatibus de Pietate Dei et de Vallibus Sernay, et cuilibet eorum committit praesens generale Capitulum, quatinus debite et sufficienter se informent de et super tenore litterarum tractatus initi, facti et passati inter abbatem et conventum de Moris ex una, et honorabiles personas Huetum Lesquisier, et Guillemetam eius uxorem, partibus ex altera, super traditione duarum camerarum, tertiaeque partis cuiusdam stabuli, prout in dictis litteris tractatus praesenti diffinitioni annexis plenius continetur, et si dictum tractatum ad utilitatem dicti monasterii de Moris invenerint, illum cum omnibus suis clausulis approbent, ratificent et confirment, in plenaria Ordinis potestate.

51. Ad idem, eisdem dominis abbatibus de N. et de N., et cuilibet eorum ad se informandum nuper tenore litterarum tractatus initi, facti et passati inter abbatem et conventum de Moris ex una, et Guillelminum Guerin et Ioannetam eius uxorem, Anthonium Mertin et Perretam eius uxorem, partibus ex altera, de quadam grangia vocata Lemolin Garnier cum pertinentiis suis et aliis possessionibus in dictis litteris praesenti diffinitioni annexis plenius contentis et expressis, et si invenerint utiliter factum, ratificent et confirment, in plenaria Ordinis potestate.

52. Abbatibus de Firmitate, de Pontigniaco, de Regalimonte, de Charitate, de Balerna et de Maceriis et eorum cuilibet, committit praesens generale Capitulum, quatinus omnes et singulas Ordinis personas, monasteria et loca regularia Ordinis, quas et quae per litteras obligatorias et alia sufficientia documenta teneri et debite obligari R. D. N. Cisterciensi et eius conventui, seu personis regularibus eiusdem monasterii Cisterciensis, in pecuniarum, vini, bladi et aliarum quarumcumque rerum sum-

mis invenerint, ad debite et integraliter solvendum et satisfaciendum dictis R. D. N. Cisterciensi aut eius conventui et personis praefatis, per censuras Ordinis et alias iuris et iustitiae vias, debite compellant et astringant, in plenaria Ordinis potestate.

53. Ad idem, pro domino Pontigniaci, abbatibus de Firmitate, de Caroliloco, s. th. pr., et eorum cuilibet.

54. Ad idem, pro domino Morimundi, abbatibus de Firmitate, de Caroliloco, de Valledulci, de Vallibus in Ornesio et de Crista, et eorum cuilibet.

55. Ad idem, pro monasterio Caroliloci, abbatibus de Regalimonte, de Ursicampo et de Vallibus Sernay, et cuilibet eorum.

56. Ad idem, pro magistro Eustacio, curato des Ventes, domnis abbatibus de Firmitate, de Vallibus Sernay et de Valledulci, et eorum cuilibet ad compellendum abbatem de Curia Dei.

57. Abbati de Buch committitur, ut se diligenter informet de sufficientia et idoneitate fratris N. conversi in Vetericella professi, ut si eum ad ordinem monachatus sufficientem et dispositum invenerit, secum dispenset ut huiusmodi ordinem monachatus suscipiat, in plenaria Ordinis potestate, non obstantibus statutis Ordinis ac diffinitionibus Capituli generalis, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

CONTUMACES

58. Quia, ut Capitulo generali sufficienter constitit, fratres Ioannes Bertrandi et Petrus Periez, religiosi de Pietate Dei, et frater Gaufridus Mahoti, professus alias in Bellabrancha, et nunc in Fonte Danielis, ad secundam diem eiusdem Capituli ad instantiam promotoris causarum Ordinis fuerunt legitime citati, quia tamen in eadem die sufficienter expectati et vocati, ut moris est, per se aut suum procuratorem legitimum non comparuerunt ; idcirco generale Capitulum eos contumaces reputat, et ex consequenti excommunicationis sententiam ipsos et ipsorum quemlibet incurrisse declarat, omnibus et singulis Ordinis regularibus super hoc requirendis, sub eadem excommunicationis sententia districte praecipiens, ceteras vero non subiectas Ordini, in favorem iustitiae rogans et requirens, quatinus eosdem fratres et eorum quemlibet, eamdem sententiam excommunicationis incurrisse in omnibus locis ad hoc opportunis, ut a christifidelibus evitari possint, publice denuntient.

59. Ad idem, pro fratribus Philippo Cambonis, priore Belliloci Ruthenensis, Petro de Proy, Dominico de Villanova, Arnaldo de Petralonga, Ioanne de Lupoalto, Guillelmo de Liberossio, Arnaldo de Abbatia, professis monasterii Bardonarum, qui in novissimo generali Capitulo ad comparendum fuerunt citati, nec comparuerunt, ex quo contumaces rebelles et excommunicati reputati fuerunt, praesens generale Capitulum iterum contumaces, rebelles et excommunicatos declarat et denuntiat.

60. Item, abbatem Sanctarum Crucium in Hispania debite per fratrem Nicolaum de Divione ad hoc potestatem habentem ad praesens generale Capitulum personaliter citatum et non comparentem, idem praesens generale Capitulum contumacem, rebellem et excommunicatum reputat et denuntiat.

[DIFFINITIONES] GENERALES

61. Cum inter cetera nostri sacri Ordinis reipublicae prospere feliciterque gubernandae ac manutenendae aerarium publicum sive communis thesaurus plurimum necessarius videatur, sine quo maxima et gravissima, quae tam in romana Curia quam alibi portare habet onera sustinere, suisque adversariis congrue resistere et se in esse conservare, nullatenus potest, quod prudentius considerantes quondam primi huius sacri Ordinis nostri fundatores et architectae, tam etsi iuxta *Chartam charitatis* nihil quod eos gravaret aut substantiam suam diminueret suis subditis imponere decrevissent, ad usus scilicet proprios applicando, et ex aliorum spoliis se ditando ; ut tamen ipsa communia Ordinis negotia dirigi melius ac conduci valerent, non abs re statuerunt apostolico etiam freti praesidio decreverunt certas contributiones omnibus et singulis monasteriis per universum Ordinem iuxta quorumlibet facultates imponere certosque patres receptores per diversas mundi provincias ad illas exigendum, levandum ac recipiendum ordinare, quae tamen nullius omnino particularis hominis usibus applicandae, sed communis nostri Ordinis reipublicae necessitati reservandae, annis singulis ad generale Capitulum per receptores huiusmodi comportari, ac generali earumdem receptori fideliter praesentari deberent. Quod quamdiu factum est et diligenter observatum fuit, ipse Ordo noster, in Ecclesia militante tamquam murus inexpugnabilis ac turris fortitudinis a facie inimici, omnibusque suis aemu-

lis ac statum eius comminuere nitentibus, terribilis ut castrorum acies ordinata ; hinc Summorum Pontificum et Sanctae Sedis Apostolicae, hinc regum ac principum comparati sunt favores, hinc amplissima parta sunt privilegia, hinc monasteriorum ac locorum regularium per orbem universum in suis structuris ac aedificiis ornatissimis ac sumptuosissimis ad honorem Dei omnipotentis et ipsius divini cultus amplitudinem, mira quaedam manutenentia ac sustentatio cum de communi haberet Ordo, unde diversis casibus, qui vel ignis incendiis, maris vel fluminum inundationibus, vel etiam bellorum incursibus aut quibuscumque aliis sinistris eventibus, fortuna volente, locis aliquibus nonnunquam accidere solent, prompta manu largaque ac benivola subveniret. Postquam vero charitate refrigescente in cordibus multorum, avaritiaque et gelida tenacitate manus dapsiles restringente, huiusmodi tam pia ac etiam necessaria pecuniarum et bonorum temporalium ad communem Ordinis usum elargitio seu contributio, multis in locis ac regionibus negligenter fieri cepit, factus est ipse Ordo, prius tam fortis ac praepotens, similis ruinae et maceriae depulsae, ut cum propheta regio dicere possit : infirmata est in paupertate virtus mea. Hinc privilegiorum ac libertatum Ordinis infractio, hinc commendae et monasterium Ordinis per extraneos direptiones, hinc lites et processus varii multorum etiam iustissimas causas habentium, sed defendere propter paupertatem non valentium aequitatem subvertentes, hinc ruinae aedificiorum atque ad humanae vitae monasteriorum inopia, hinc coenobiorum ac conventuum quondam amplissimorum desolatio, hinc personarum Ordinis mendicitas, hinc nonnullorum contra Ordinis instituta et monasticae quieti ac vitae contemplativae plurimum contraria in rebus saecularibus negotiatio, cum Ordo nedum habeat quo subveniat indigentibus, quo invasoribus obviet, aut quo sublevet oppressos, sed etiam communia et inevitabilia ipsius onera, pro sui penuria minime valeat sustentare. Cum enim contributiones praemissae in plerisque mundi partibus vel diminute vel penitus non solvantur, nonnulli etiam reperiuntur receptores instituti, qui easdem vel exigere vel levare negligunt, huic et illi gratiam pro libitu facientes et de mammona non iniquitatis, ut ille villicus, sed communis necessitatis, sibi amicos facere volentes, quidam vero minus fideliter vel saltem tarde et negligenter ad generale Capitulum deferunt, ita ut vix decima pars

eorum quae imponuntur receptori generali praesententur ; unde fit ut annis singulis expensae generalis Capituli et alia Ordinis tributa nedum non exsolvantur, quinimo remanentibus semper antiquis debitis nova superadduntur, quibus debitis ipsum totum Ordinem nisi maturius provideatur, tandem obrui necesse erit ac omnino suffocari. Quibus omnibus ac aliis pluribus malis, quae ex his verisimiliter in Ordine suboriri possunt, pro viribus obviare cupiens praesens generale Capitulum pie et in visceribus charitatis Christi monet omnes et singulos monasteriorum Ordinis per universum orbem abbates, commendatarios, priores, cellerarios, bursarios, receptores aut quoscumque temporalium rerum in eisdem gubernatores, in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis poena quam, canonica monitione praemissa, in eorum quemlibet secus facientem, fert in his scriptis conformiter ad antiqua Ordinis statuta, districte nihilominus praecipiendo, quatinus taxas sibi impositas aut imponendas, omni dilatione aut tergiversatione postposita, infra terminos in statutis Ordinis expressos, deinceps plene et integraliter solvant receptoribus aut commissariis, ad hoc per R. D. Cistercii aut generale Capitulum deputatis vel deputandis, et nulli alteri sub eadem poena mandans et praecipiens eisdem commissariis, quatinus unusquisque in sua provincia diligenter circumeat, praemissasque contributiones ab omnibus et singulis eas solvere debentibus exigat et petat, solvere negligentes canonice moneat, trinaque ac canonica monitione praemissa, si adhuc rebelles aut negligentes invenerit, sententiam excommunicationis et alias Ordinis poenas et censuras in *Benedictina* et aliis Ordinis statutis contentas de facto incurrisse ubique publicet et declaret, easdem etiam aggravando, reaggravando ac in eisdem iuxta iuris et iustitiae vias contra rebelles huiusmodi viriliter procedendo, quoadusque ad condignam satisfactionem tandem redeant, suaque debita integraliter exsolvant ; si vero, quod absit, huiusmodi sententias, censuras et poenas fortassis contempserint, et per annum integrum animo indurato in eisdem permanserint, ex tunc ad eorum privationem et a suis dignitatibus et officiis depositionem viriliter et intrepide procedat, ipsisque monasteriis sic vacantibus de novis pastoribus provideat ; quae omnia ut diligenter ubique fiant et exsequi possint et valeant, pie monet et hortatur praesens generale Capitulum R. D. N. Cisterciensem, quatinus in omnibus et singulis mundi

provinciis et partibus tales constituat receptores et commissarios, de quorum fideli diligentia praesumere possit, eosque tali potestate et auctoritate muniat, ut praemissa omnia libere valeant exercere, invocatis ad haec quorumcumque dominorum, iudicum aut potentum consilio, auxilio et favore.

62. Quia propter defectum veniendi ad generale Capitulum, observantia regularis negligitur, et multa in Ordine oriuntur difformitates ; eapropter generale Capitulum moleste ferens plurimorum abbatum negligentiam vel potius inobedientiam et contumaciam eorum accusans, qui licet anno praeterito citati fuerint ac aliunde iuxta *Chartam charitatis*, ac alia Ordinis statuta venire tenebantur, nihilominus tamen hoc anno in generali Capitulo se non presentaverunt ; et quia frustra conduntur leges nisi sit qui ad earum observantiam cogat, et facilitas veniae incentivum praestat delinquendi ; idcirco ut de cetero abbates ad Capitulum generale diligentius accedant, praesens generale Capitulum declarat omnes et singulos abbates, qui hoc anno in generali Capitulo non comparuerunt, neque excusationes suas sufficientes miserunt, excommunicationis sententiam et alias poenas in statutis Ordinis contentas de facto incurrisse, exceptis eis qui in remotioribus habitant regionibus, et qui iuxta Ordinis diffinitiones non omni anno sed vel de triennio, vel de quinquennio aut per amplius tempus venire tenentur ; easdem etiam sententias et poenas meruisse declarat idem Capitulum omnes et singulos, qui contributiones sibi impositas non dederunt neque miserunt, mandans et praecipiens omnibus et singulis patribus abbatibus Ordinis commissariis, ut unusquisque eorum in sua provincia omnes et singulos praedictos illas sententias incurrisse publice et ubique denuntiet et declaret, citentque omnes et singulos praemissos ad proxime futurum generale Capitulum, promotori causarum super his quae contra eos proponentur ibidem responsuros.

63. Gravi cum dolore suscipiens generale Capitulum casum miserabilem nuntii dominorum abbatum de Candelio et Ardorello, qui anno praeterito ad generale Capitulum per eosdem dominos abbates missus, nonnullas commissiones ac diffinitiones Ordinis reformationem concernentes obtinuit quas cum deferre vellet dictis abbatibus in latrones incidit, qui dictas commissiones et diffinitiones laceraverunt et sigilla abstulerunt, quod non sine suggestione et subordinatione quorumdam de Ordine factum

suspicatur ; quapropter praecipit et mandat omnibus et singulis personis Ordinis super hoc requirendis, sub censuris Ordinis et excommunicationum sententiis, quas ipso facto incurrant, nisi fecerint quod mandatur, ut si sciant aliquem vel aliquos de Ordine huius rei nefariae complices aut actores dictis abbatibus revelet, quem vel quos dicti abbates eius vel eorum demerita puniant ut ceteris cedat in exemplum.

64. Generale Capitulum mandat omnibus et singulis abbatibus et personis regularibus Ordinis super hoc requirendis, quatinus citent quemadmodum et ipsum generale Capitulum citat peremptorie dominos abbates de Gimondo et Elnis, ac etiam abbatem de Bardonis, quatinus secunda die Capituli generalis proxime futuri duo personaliter, tertius vero, si non possit personaliter, saltem per procuratorem legitime instructum in eodem Capitulo compareant, cum omnibus suis instrumentis et documentis unionis monasterii de Goiono, R. D. Cisterciensi immediate subiecti per eos, ut dicitur, suis monasteriis factae, promotori causarum ibidem ad ea quae contra ipsos proponet, quod iustum fuerit responsuri, cum intimatione quod, sive venerint sive non, nihilominus contra eos, prout iuris et iustitiae fuerit, procedetur.

65. Ad idem, contra dominum de Elnis, pro monasterio de Oratorio.

66. Ad idem, contra dominum de Villalonga, pro monasterio de Rivonitido.

67. Cum ad audientiam generalis Capituli pervenit, quod frater Anthonius de Boscorotundo, dudum abbas Morimundi, multas hinc inde contributiones Ordinis in diversis partibus collegit, nedum pro tempore praeterito, sed etiam futuro de quibus in generali Capitulo plenam non reddidit rationem. Idcirco praesens generale Capitulum, in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis poena, mandat et praecipit omnibus et singulis abbatibus, prioribus, cellerariis, bursariis aut aliis quibuscumque monasteriorum nostri Ordinis rectoribus ubicumque constitutis, qui praedicto domino Morimundi contributiones solverunt, quatinus commissariis hic infra qualibet provincia deputatis, aut altero eorum praesentium executori tradant omnes et singulas quittancias sibi super solutione huiusmodi contributionum per praefatum fratrem Antonium, quondam abbatem Morimundi, factas et expeditas, quas praedicti ac infra signati commissarii portabunt aut mittent R. D. N. Cistercii, ut de receptis

per dictum fratrem Anthonium, dictus R. D. Cistercii ac generale Capitulum plenius valeant informari. Et ne praedicti abbates aut officiarii propter hoc in aliquo defraudentur, vult generale Capitulum, quod commissarii aut executores infrascripti, loco illarum ab eis receptarum, alias quittancias sub eorum sigillis ipsis tradant et expediant, quas tantumdem valere decernit idem Capitulum generale, quantum valuissent alii si apud eos mansissent ; executionem praesentis diffinitionis dominis abbatibus Morimundi in ducatibus Barri et Lotharingiae ; de Balerna in Burgundia et Sabaudia ; de Campo principum in Bavaria ; de Fonte salutis in Franconia ; de Vetericella in Saxonia, Misnia et Thuringia ; de Veterimonte, de Campo Mariae et de Pomerio in partibus Rheni superioribus et inferioribus, Suevia, Westfalia et Frisia ac vicinis partibus, committendo.

68. Ad obviandum certis novis adinventionibus et cautelis quae, pro dolor ! personis Ordinis in diversis curiis et conciliis ecclesiasticis, laicis et saecularibus, prosequendo iura sua miserunt pro eo maxime, quod non possunt monstrare litteras, seu scedulas suarum professionum, praesens generale Capitulum diffinit, statuit et ordinat, quod de cetero in singulis monasteriis Ordinis archa specialis habeatur in aliquo loco monasterii securo, in qua omnes scedulae seu litterae professionum religiosorum recondantur, et ibidem per sacristam, vel alium ad hoc per abbates monasteriorum deputandum, sub clave vel clavibus conserventur.

69. Omnes et singulae diffinitiones anno praterito in generaili Capitulo editae, per hoc praesens generale Capitulum tamquam iustae et rationabiles approbantur, ratificantur et confirmantur.

DIFFINITIONES SPECIALES

70. Amarissimo animo gravissimisque cordis suspiriis accipiens praesens generale Capitulum ausum temerarium malitia maxima innixum quorumdam os in coelum ponere, suisque superioribus imo et omnibus patribus Ordinis ac generali Capitulo non solum verbo sed et scripto, quod peius est detrahere, eosque diffamare, ac totius Ordinis unionem scindere, suscitare schismata, discordias seminare, ac totum nostrae sacrae religionis statum turbare non verentium, qui videlicet libellum quemdam diffa-

matorium ac famosum contra R. D. Cisterciensem, ac ceteros Ordinis patres ac personas regulares vivas et defunctas litteris optimis scriptum rubricis et coloribus, solemniter distinctum et illuminatum, ac etiam multiplicatum et diversis Ordinis abbatibus ac aliis multis hinc inde transmissum et publicatum, anno superiore videlicet [14]84 ediderunt, qui videlicet libellus in titulo seu superscriptione talem rubricam minio seu vermiculo scriptam continebat : Epistola fratris Ioannis, doctoris theologi, ad R. P. D. Petrum dignissimum Claraevallis monasterii abbatem eiusdem scientiae professorem, moderni status Cisterciensis deplorativa, anno Domini 1484 mense septembri missa. Principium vero prologi erat : *Reverendo in Christo patri* ; deinde distinguebatur in tres partes, quarum prima in margine sic fuit intitulata de rubro : *Prima pars, scilicet de Ingressu Ordinis*, et in textu sic incipiebat : *Ut noster* ; secunda pars intitulabatur sic : *Secunda pars, de Progressu scilicet Ordinis*, similiter in rubro, et textus incipiebat sic : *Ecce etsi non ad liquidum ;* tertia pars sic intitulabatur in rubro : *Tertia pars, quae est de Digressu Ordinis*, cuius textus sic incipiebat : *Et, pro dolor, mutatus est color optimus ;* et in fine sic concludebatur : *sic anno Domini M. CCCC. LXXX IV, mensis septembris, die septimo ;* et in toto continebat quatuor folia papiri et eo circa. Qui quidem libellus in medium praesentis Capituli per procuratorem Ordinis cum requisitione iustitiae, secundum Ordinis diffinitiones et statuta prolatus, certis patribus in sacris litteris et aliis diversis scientiis doctissimis, et rerum plurimarum experientia peritissimis, per generale Capitulum fuit ad visitandum et tenorem ipsius Diffinitoribus referendum traditus et commissus ; qui diligenter eumdem libellum perlegerunt, et contenta in eo articulatim notaverunt, tandem publice coram Diffinitoribus eiusdem Capituli plures et varios articulos frivolos, falsos, iniquos, diffamatores et laesivos famae, honoris, praeeminentiae, dignitatis et auctoritatis R. D. N. Cistercii, aliorumque patrum primorum Ordinis, Capituli quoque generalis, necnon diversarum personarum regularium ipsius Ordinis vivarum et defunctarum detractorios se in eodem praesertim in ultima eius parte, quae intitulabatur : de Digressu Ordinis, notasse et diligenter considerasse, ipsumque libellum plurima schismatis et dissensionis in Ordine seminaria ibidem in se continentem invenisse retulerunt. Quibus auditis, matura deliberatione super hoc habita, ipsum generale Capitulum inse-

quendo plura eiusdem Ordinis instituta, iuri canonico consona, eumdem libellum propter praedicta tamquam famosum, iniquum, falsum ac schismaticum reputans, ipsum perpetuo de medio auferendum et comburendum iudicavit et condemnavit, ac per praesentem diffinitionem iudicat et condemnat, in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae poena, omnibus et singulis abbatibus, prioribus et personis regularibus Ordinis universi inhibens, ne praedictum libellum, aut eius copiam apud se seu alibi quovismodo detineant aut detineri faciant, seu etiam ulterius ubiubi transmittant, sed statim si habeant, aut eum ad manus eorum devenerit, comburant, vel praefato R. D. Cistercii infra 40 dierum spatium post notitiam praesentium offerre procurent ; insequendo etiam diffinitionem Capituli generalis in *Libello diffinitionum*, distinctione 7ª, capitulo 8º, super hoc verborum tenore contentam : Quicumque personae Ordinis nostri malitiose detraxerit, vel super excessum iam emendatum exprobando improperaverit, si monachus super convictus fuerit, tribus diebus vapulet in capitulo et per mensem ultimus omnium habeatur ; si vero conversus sex diebus continuis ad terram comedat pane et aqua et uno pulmento contentus, et tribus diebus disciplinetur in capitulo conversorum ; qui vero contra superiorem suum praedicto modo peccaverit gravius puniatur, secundum quod in gradum peccaverit altiorem ; moniales vero et conversae in casu simili poenitentiam sustineant monachorum. Si quis alicui crimen imposuerit, quod probare non possit, eamdem poenam sustineat, quam meruisset accusatus, si impositum sibi crimen posset lucide comprobari. Et ne alicui ministret patrocinium fraus et dolus, quicumque alterius criminis particeps non vocatus in testimonium nec aliter compulsus quasi retorquens in alterum crimen illius publice confitetur, pro convicto legitime habeatur, et tamquam actor sceleris ex ore proprio iudicatus suam allegans turpitudinem puniatur ; et licet omnia praedicta quoad omnes sint summopere conservanda, circa accusatores tamen abbatum, qui sunt hodie quasi signum positi ad sagittam, diligentissime et melius solito observetur, et ut observari faciant, districtissime praecipitur visitatoribus universis. Qui vero libellum infamiae scripserit, receperit vel retinuerit, in medium proiecerit, proiici procuraverit, vel quemcumque domum transiens et a quocumque audiens crimina cuiuscumque scribere vel scripta recipere, sive secum portare

malitiose praesumpserit, tam scribens quam recipiens quam etiam tradens, portans vel retinens seu praedicta quoquomodo fieri procurans, excommunicationis subdatur, et si super his deprehensus fuerit vel convictus a domo propria eliminetur, nonnisi per generale Capitulum reversurus. Dictum generale Capitulum omnes et singulas Ordinis personas, quae dictum libellum scripserunt, publicaverunt, hinc inde transmiserunt, in medium proiecerunt, seu scribi aut publicari sive in medium proiici aut transmitti procuraverunt, iudicat excommunicationis sententiam incurrisse, et de facto esse excommunicatos ; omnes vero eiusdem Ordinis personas, quae dictum libellum malitiose receperunt, retinuerunt, portaverunt, seu recipere, retinere aut portare procuraverunt, nisi statim post cognitionem praesentis diffinitionis illos cum copiis combusserint, aut praefato R. D. Cistercii infra 40 dierum spatium a cognitione praesentium reddiderint, eamdem sententiae excommunicationis poenam sortiantur, praecipiens sub eisdem censuris universis personis Ordinis, quatinus si eumdem libellum aut eius copiam cuicumque alteri personae, sive fuerit de Ordine sive non, communicaverint, aut apud eos haberi cognoverint, modis omnibus eis possibilibus studeant eosdem cum copiis recuperare et illico comburere, aut infra tempus praetaxatum D. Cistercii transmittere ne deinceps fiat occasio mali in Ordine. Omnibus igitur et singulis Ordinis abbatibus, commissariis ceterisque personis regularibus universis super hoc requirendis, sub eisdem poenis firmiter praecipit idem Capitulum generale, quatinus praemissa omnia ubicumque fuerit opportunum publice denuntient et declarent, ac pro viribus observari faciant sub eisdem censuris, iterum inhibendo eisdem regularibus personis ne deinceps tales aut similes libellos scribere, scribi facere, recipere, mittere, communicare, in medium proiicere, aut quovis modo apud se vel apud alios conservare praesumant ; et si quos sciverint, quod absit, protinus superioribus suis sufficienter revelent.

71. Gravissime ferens hoc praesens generale Capitulum materiam dissensionis in Ordine motam per dominum abbatem Claraevallis, qui R. D. N. Cisterciensem suumque conventum ad curiam laicam regis, videlicet Parlamenti Parisiis, contra privilegia eiusdem Ordinis trahere nisus est, et de facto ibidem suum continuat processum in dedecus maximum ipsius Ordinis et scandalum omnium ipsum Ordinem diligentium, etiam apud Sanctis-

simam Sedem Apostolicam, ita ut Sanctissimus dominus noster huius tam scandalosi facti fama permotus, ipsos eosdem patres Cistercienses et Claraevallenses ad concordiae reducere cupiens per Breve suum utrosque ad suam praesentiam expresse vocaverit. Cum vero constet ipsi Capitulo generali ac omnibus abbatibus ibidem congregatis ipsum R. P. D. Cisterciensem suumque conventum non actores esse huiusmodi dissensionis sed potius defensores, cum ipsis plurimum renitentibus et invitis ad praefatam curiam Parlamenti per dictum de Claravalle sint tracti, quodque ipsi de Cistercio super omnibus per praedictum de Claravalle contra eos motis et movendis causis, generalis Capituli ac patrum Ordinis iudicio ac sententiis se semper subiecerunt et adhuc subiicere non renuunt, ipse vero dominus Claraevallis causam huiusmodi per generale Capitulum et Ordinem noluit terminari, sed potius ad saecularem curiam extra Ordinem traxit, de quibus omnibus et singulis supradictis, idem generale Capitulum praefatis R. D. Cistercii suoque conventui tenore praesentium fidele confert testimonium veritati, Sanctitati supramemorati Sanctissimi domini nostri supplicando, quatinus saepedictam dissensionis, et apud curiam laicam causarum Ordinis agitationis materiam saepius nominatis D. abbati et conventui Cisterciensi non imputat, quin potius ipsum dominum Claraevallensem, qui huius rei causa est et origo, apud suam Sanctissimam Sedem conveniat super huiusmodi privilegiorum Ordinis a Sanctissima Sede emanatorum transgressione et vilipensione, prout meretur acrius increpando, praefatos vero D. abbatem Cistercii suumque conventum defensores in suo optimo iure, ac Sanctissimae Sedi semper parendi voluntate, solita benignitate ac favore apostolico recommendatos habendo, ac contra suos invasores benigne protegendo.

72. Generale Capitulum hac praesenti diffinitione veritati perhibens testimonium sub attestatione notariorum et testium subscriptorum, ad instantiam et requisitionem procuratoris Ordinis, testificatur universis, quod cum per Diffinitores eiusdem Capituli generalis in Diffinitorio pertractandis causis Ordinis congregatos quidam libellus diffamatorius contra R. D. Cisterciensem suumque conventum, ceterosque Ordinis superiores, ac totum Ordinem et personas regulares eiusdem, tam vivos quam defunctos, ac in Ordine schismaticus per nonnullos incertos et incognitos editus, conscriptus, publicatus, portatus, communicatus

fuisset, gravi deliberatione et omnium Diffinitorum unanimi consensu, opinione ac sententia condemnatus, actoresque ac consentientes, necnon receptores et alii dictum libellum seu eius copiam habentes, sententiis et censuris ecclesiasticis iure fulminati, nonnulli dictorum Diffinitorum Deum ante oculos habentes et propriae conscientiae provide consulentes, surrexerunt, ea quae de hoc libello noverant publice in medium referentes, in primis D. Pontigniaci sponte retulit, D. Claraevallis sibi dictum libellum in codice conscriptum rubricis et capitulis de minione distinctum ac coloribus ornatum, cum litteris suis clausis hoc anno transmisisse, promittens illico D. Cistercii redditurum, sicut et fecit ; deinde D. Morimundi asseruit sibi libellum a D. Claraevallis in forma praedicta et pergameno conscriptum et consutum, una cum litteris suis clausis similiter hoc anno destinasse ; tertio loco, abbas de Longovado protestatus est se recepisse dictum libellum ab eodem D. Claraevallis, cum litteris clausis inter cetera continentibus, ut nisi timeret, se ex hoc indignationem aliquam D. Cisterciensis incurrere, retenta apud se copia, eidem D. Cistercii originale transmitteret, quod et fecit. Quarto, D. de Fonteneto dixit D. de Claravalle praedictum libellum, cum in suo monasterio visitaret, sibi manu propria tradidisse ; de quibus quidem confessionibus et attestationibus Ordinis procurator, a notario apostolico illic praesente, petiit unum vel plura instrumentum vel instrumenta omnibus et singulis quorum interest valiturum seu valitura, quae sibi fuerunt concessa, praesentibus abbatibus de Sichem Capituli generalis portario, de Bardonis et de Monasteriis in Argona receptoribus excusationum.

73. Ne propter veri testimonii defectum et carentiam, falsitatis assertio locum inveniat, veritas autem exilium consequatur et opprimatur, praesens generale Capitulum testificatur universis christifidelibus, nunquam processum seu questionem fuisse motam sive in Capitulo generali, sive in alio iudicio per generale Capitulum aut procuratorem generalem Ordinis, contra et adversus monasterium Cistercii aut personas ipsius super nonnullis redditibus in receptis regalibus assignatis, aut aliis rebus de quibus D. Claraevallis suscitavit et prosequitur processum in venerabili curia Parlamenti Parisiensis contra et adversus dictos Cistercienses, saltem quae nunquam venerit ad cognitionem quorumcumque Diffinitorum praesentis Capituli, sed nec dictum

D. Claraevallis quodcumque iustitiae remedium ab Ordine seu a Capitulo generali super hoc requisisse, quin potius renuisse et acquiescere noluisse gratiosae submissioni, qua R. P. D. Cisterciensis, licet sit caput et pater Ordinis, tamen pro ipsius Ordinis unitate et quiete semper se submisit iudicio Ordinis in praemissis, prout evidentius patet per instrumenta super hoc confecta, ratione cuius procurator generalis Ordinis de mandato Capituli generalis se adiungit in dicto processu cum D. Cisterciensi et eius conventu ; vultque et ordinat generale Capitulum eumdem procuratorem nomine procuratorio Ordinis in dicta adiunctione usque ad finem litis perseverare.

74. Nos, frater Ioannes, abbas Cistercii, ceterique Diffinitores Capituli generalis Cisterciensis Ordinis, notum facimus universis, quod cum inter venerabiles et in Christo nobis dilectos fratres Honoratum de Baschyo ex nobili stirpe procreatum, dudum Sanctae Sedis Apostolicae protonotarium, postmodum vero monachum nostri Cisterciensis Ordinis expresse professum ex una, et Falconem Planeti nostri Cisterciensis Ordinis similiter professum, priorem monasterii de Sinaqua, partibus ex altera, de et super dignitate abbatiali monasterii de Thoroneto, iam dicti nostri Cisterciensis Ordinis, Foroiuliensis dioecesis, quam diversis iuribus uterque eorum sibi competere dicebat, in nostro generali Capitulo, die 14ª mensis septembris, anno datae praesentium apud Cistercium celebrato, quaestio moveretur, ipsum generale Capitulum ad pacis et concordiae tranquillitatem personas Ordinis semper inducere cupiens, visis et auditis hinc inde utriusque partis iuribus, tandem die et loco in data praesentium subnotatis, de consensu partium ambarum ibidem personaliter comparentium, talem fecit concordiam, ut videlicet dictus frater Falco Planeti ius suum quoad praedictam dignitatem abbatialem quovismodo habebat vel habere poterat, sive ratione provisionis sibi factae, ut dicebat, per quemdam commissarium Ordinis, aut etiam per Sanctissimam Sedem Apostolicam, seu quemcumque alium vel quoscumque alios, ad hoc potestatem habentem vel habentes, in manibus R. D. N. Cisterciensis et Capituli generalis resignaret, in favorem tamen dicti fratris Honorati de Baschyo, et non alias. Iam dictus vero frater Honoratus dictam dignitatem abbatialem in dicto monasterio de Thoroneto pacifice teneret ac possideret, quibus sic factis, concordatis et ordinatis, per ipsum generale Capitulum praefatus frater

Falco Planeti, prior monasterii de Sinaqua, per traditionem quarumdam litterarum, quibus ius suum contineri dicebat in manibus R. D. N. Cisterciensis non coactus, non compulsus, aut aliqua sinistra machinatione circumventus, sed sponte et libere, ut dicebat, publice et coram Diffinitoribus ibidem existentibus, in praesentia etiam notariorum et testium infrascriptorum, omne ius quodcumque ratione provisionis sibi factae, ut dicebat, sive per D. abbatem monasterii de Sinaqua, commissarium D. Cistercii et Capituli generalis, sive per Sanctam Sedem Apostolicam, aut quaumque alia ratione et causa sibi competebat aut competere quomodolibet poterat, in favorem tamen dicti fratris Honorati de Baschyo et non alias resignabat, quaquidem resignatione sic facta, et per praefatum R. P. D. abbatem Cisterciensem acceptata, vocato coram se praefato fratre Honorato de Baschyo et flexis genibus coram se constituto, inhaerendo provisioni alias per eumdem R. D. Cistercii sibi factae per traditionem dictarum litterarum fratris Falconis omne ius quod dictus frater Falco, ut praemittitur, ad praefatam dignitatem abbatialem dicti monasterii de Thoroneto quomodolibet habebat aut habere poterat, ratione provisionis cuiuscumque sibi factae, in saepe dictum fratrem Honoratum de Baschyo transtulit, quam etiam translationem idem frater Honoratus acceptavit. Praeterea ut praefatus frater Honoratus dictam dignitatem abbatialem in eodem monasterio de Thoroneto liberius assequi et absque impedimento quolibet quietus possidere, eamque pacifice frui et gaudere posset ac valeret, si et in quantum forsitan amborum praetensa provisio utpote contra vel praeter ius commune aut Cisterciensis Ordinis statuta seu privilegia, aut alio quovis modo minus canonice facta de iure invalida inveniretur, ac in suo robore subsistere non posset, sicque ipsum monasterium de Thoroneto de facto vacaret et pastoris sive abbatis solatio esset destitutum, ex tunc ipsum generale Capitulum per organum ipsius R. D. Cistercii ibidem praesidentis, dictam dignitatem abbatialem in praefato monasterio de Thoroneto cum omnibus suis iuribus et pertinentiis dicto fratri Honorato de Baschyo de iure devoluto contulit, et tenore praesentium confert, ipsum in verum et indubitatum abbatem ipsius monasterii de Thoroneto creando, instituendo et de eadem investiendo, idemque fratri Honorato totum regimen et administrationem dicti monasterii in spiritualibus et temporalibus committendo, mandando omnibus et singulis dicti

monasterii de Thoroneto regularibus personis, et aliis quibuscumque vassallis aut subiectis eidem, quatinus ipsi fratri Honorato tamquam eorum vero et indubitato abbati professionem regularem ac obedientiam debitam faciant et praestent, ipsumque in eodem monasterio et omnibus eius membris recipiant et admittant. Acta sunt haec apud Divionem in domo mansionis R. D. abbatis Cistercii, die 18ª mensis septembris, anno Domini 1485, indictione pontificatus SS. in Christo patris ac domini nostri Innocentii divina providentia papae VIII anno secundo, per nos Diffinitores praedictos ibidem auctoritate generalis Capituli Cisterciensis capitulariter congregatos, in quorum omnium fidem et testimonium praesentes litteras fieri et appensione sigilli Diffinitorum dicti Capituli generalis, necnon signati abbatis notarii dicti Capituli ac notarii apostolici subscripti iussimus annotatione muniri, praesentibus ibidem religiosis viris fratribus Ioanne Bassey de Divione et Anthonio de Antwerpia, monachis et sacerdotibus Cistercii professis, testibus ad praemissa vocatis et rogatis.

75. Nos, frater Ioannes, abbas Cistercii, ceterique Diffinitores Capituli generalis Cisterciensis Ordinis, notum facimus universis, quo cum hodie die datae praesentium materia dissensionum et litis inter venerabiles et religiosos confratres nostros Honoratum de Baschyo, abbatem monasterii de Thoroneto, nostri Cisterciensis Ordinis, Foroiuliensis dioecesis, ex una, et fratrem Falconem Planeti, priorem monasterii de Sinaqua partibus ex altera, de et super iure dignitatis abbatialis iam dicti monasterii de Thoroneto, quam unusquisque eorum sibi competere praetendebat, exorta, per nostrum generale Capitulum concordata et pacificata fuisset taliter, quod dictus frater Falco Planeti amore ius, quod sibi in dicta dignitate abbatiali quomodolibet competebat aut competere poterat, in manibus nostris sponte et libere resignaret in favorem dicti fratris Honorati de Baschyo, quod et fecit cum protestatione tamen, quod si dictus frater Honoratus de Baschyo dictam dignitatem abbatialem forsitan consequi, eamque pacifice tenere et possidere non posset, ex eo quod alius aliquis dicens se potius ius habere, contra ipsum procederet, ac a suo iure eum depelleret, ex tunc dictus frater Falco ius suum, quod occasione provisionis per venerabilem coabbatem nostrum monasterii de Sinaqua auctoritate Ordinis et Capituli generalis, aut etiam postea per Sanctissimam Sedem Aposto-

licam sibi factae, in eodem monasterio de Thoroneto ac dignitate abbatiali ibidem se habere praetendebat, validum et illibatum sibi retinebat ac retineri ac manere volebat, proinde ac si dicta resignatio nunquam facta fuisset. Quo facto R. P. D. Cistercii dictam resignationem acceptavit, ac praedictum ius in praefatum D. Honoratum abbatem transtulit, ac etiam sibi, in quantum necesse erat, de eadem abbatia de novo providit, prout in aliis litteris inde confectis plenius continetur; ne vero dictus frater Falco propter resignationem huiusmodi detrimentum nimium pateretur, generale Capitulum considerans iustum et rationi consonum fore, quod quia praedictus frater resignationem huiusmodi simpliciter, absolute, sponte ac libere fecit, simulque honestam suam senectutem ac alias suas virtutes multiplices, et bona quae fecit in Ordine et adhuc facere posset, ante mentis oculos revolvens, multisque ac aliis rationabilibus causis motum, pensionem annuam 20 francorum seu 20 librarum turonensium, cuius medietas in festo Epiphaniae, alia vero medietas in festo nativitatis beati Ioannis Baptistae eidem fratri Falconi Planeti, quoad vixerit, annis singulis, persolvendam super omnibus et singulis dicti monasterii de Thoroneto fructibus, redditibus, et proventibus reservavit, mandans ac praecipiens tam dicto abbati de Thoroneto, quam aliis quibuscumque dicti monasterii receptoribus et temporalium gubernatoribus praesentibus et futuris, in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis poena, ac aliis censuris Ordinis, in eos et eorum quemlibet, si pensionem huiusmodi solvere renuerint ferendis et promulgandis, quatinus dictam pensionem in dictis terminis, quorum primus erit in festo Epiphaniae nunc proxime futuro, annis singulis, quamdiu vixerit in humanis, eidem fratri Falconi persolvatur, tradant et expediant indilate, quod idem abbas, quamdiu regimen ipsius monasterii teneret facere promisit. Acta sunt haec ut prius in diffinitione praecedenti.

76. Ad pacem et unionem personarum Ordinis, generale Capitulum semper quo potest intendens gratam habet concordiam nuper factam inter D. abbatem Veteriscellae et D. abbates de Saxonia, tam ex parte discordiae nuper inter eos exortae, quam etiam ex parte ordinatorum pro collegio Lipzensi, ea omnia approbat et confirmat.

77. Cum visitationes in Ordine in pace et concordia et non in discordia fieri debeant, generale Capitulum grave ferens moles-

tias minus iustas et, ut creditur, ex livore potius quam fomite charitatis procedentes correctiones, quas per patrem suum abbatem sibi inferri timet abbas monasterii de Vetericella in suis visitationibus, quibus obviare volens statuit et diffinit idem generale Capitulum ut dictus pater abbas non nisi assistentibus sibi abbatibus de Buch et de Dobriluch, vel altero eorum, visitet idem monasterium similiter, quod nec ab alio aliquo quacumque auctoritate in Ordine fungente visitetur.

78. Cum, ut ad audientiam generalis Capituli deductum est, religiosi monasterii Grandis sylvae satis tenuiter in victu necessario sint provisi, infirmitatis praesertim tempore propter curam modicam gubernatorum, idem Capitulum gratiose concedit eisdem religiosis, ut ad usum infirmariae pro infirmorum sustentatione et non alibi deinceps applicentur omnia et singula bona mobilia, sive sint vestes, libri, lectisternia, aut alia domus utensilia, sive etiam pecuniarum summae aut quaecumque alia per religiosos ibidem decedentes derelicta, quodque ad similes usus recipiatur et applicetur donum gratuitum seu eleemosina ducentarum librarum per nobilem virum dominum de Tarrida vicecomitem ipsis religiosis legatarum, pro quibus decantare habent duas missas solemnes cum duobus ministris quolibet anno.

79. Praesens generale Capitulum, in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis poena, praecipit et mandat abbati et conventui Bardonarum, quatinus infra proxime futurum generale Capitulum apportent aut mittant ad Cistercium quoddam privilegium domini Martini quondam Papae quinti, super materia de decimis, quod praedicti de Bardonis apud se habere dicuntur, cum sit generale Ordinis privilegium, ut ad cetera communia Ordinis privilegia in Cistercio reponatur.

80. Singularem gratiam facere volens praesens generale Capitulum D. abbati Fontis salutis, ei facultatem concedit rehabilitandi tres personas regulares Ordinis pro quacumque causa inhabiles ad omnes Ordinis gradus, voces, actus legitimos et dignitates, ac etiam cum ipsis super irregularitatibus qualitercumque contractis dispensandi, in plenaria Ordinis potestate.

81. Desolationi ac paupertati maximae monasterii de Vaucellis compatiens praesens generale Capitulum, gratiam de petendo subsidio charitativo anno praeterito abbati et conventui ibidem concessam per spatium duorum annorum adhuc prorogat, con-

cedendo licentiam eisdem ad loca etiam remotiora pro eiusdem petitionis executione se transferendi.

82. Domino abbati de Vaucellis gratiose concedit praesens generale Capitulum facultatem rehabilitandi duas personas regulares monasterii de Virgulto, in carnis contagiis puerperiis inde secutis, ut dicitur, prolapsis, si eas invenerit sufficienter correctas et emendatas.

83. Quia ad generalis Capituli audientiam pervenit quod frater Ioannes Coignart, religiosus monasterii de Bellabrancha expresse professus, multam inter fratres suos seminavit zizaniam, multarumque divisionum et simultatum in suo monasterio causam praestitit, usque adeo quod nonnullis monachorum dicti monasterii ad proprietatem habendam et non obediendum suis superioribus suo exemplo sint inducti, furta quoque et alia multa facta scandalosa ibidem commisit, qui si diutius in dicto remaneret monasterio, plurimi boni fratres et simplices eius malo exemplo et inductione possent corrumpi ; quibus obviare cupiens praesens generale Capitulum mandat ac praecipit abbati ibidem, quatinus statim visis praesentibus, ipsum fratre Ioannem Coignart a suo monasterio amplius illic non reversurum expellat ; ne tamen per saeculum vagari cogatur, ad monasterium de Fonte Danielis ordinate transmittat, ubi ut indilate recipiatur idem Capitulum generale tenore praesentium praecipit et mandat.

84. Attenta paupertate et desolatione monasterii de Otterburg, Capitulum generale D. abbatem ibidem benigne supportat a missione studentium ad generale studium per continue sequens biennium, ita tamen ut interim aliquem ex iuvenibus ad hoc disponat, ut finito praedicto biennio ad studium mitti possit.

85. Generale Capitulum gratiose dispensat super iuramento quodam facto per D. abbatem de Caduino ac conventu ibidem, ratione cuiusdam tractatus facti et passati inter ipsos D. abbatem et conventum praedictos ex una, et Arnoldum Alpheri partibus ex altera, cum idem contractus iniquus et fraudulosus sit iudicatus.

86. Generale Capitulum, attentis certis causis rationabilibus, approbat et ratificat visitationem factam per abbatem in Lubens, dudum per abbatem Cellensem substitutum in monasterio Henrichow, non obstante quod commissio eiusdem domini Cellensis iam expiraverat.

87. Attentis virtutibus, scientiis et sufficientia, honestaque conversatione fratris Iacobi Le Nincier, baccalarii formati in theologia, professi monasterii de Gardo, studentis in collegio Sancti Bernardi Parisiis, generale Capitulum retinuit et retinet eumdem fratrem Iacobum in dicto collegio ad continuandum studium suum, necnon ad prosequendum omnes actus scolasticos usque ad gradum doctoratus. Quapropter praesens generale Capitulum mandat et praecipit abbatibus de Frigidomonte et de Lanneyo, ut eidem scolari de Gardo pro provisione et manutenentia sui studii quilibet eorum, videlicet de Frigidomonte octo scuta, et de Lanneyo quatuor, annis singulis subveniat. Executionem praesentis diffinitionis dominis abbatibus de Firmitate et Caroliloco, s. th. pr., committendo, in plenaria Ordinis auctoritate.

88. Generale Capitulum dat auctoritatem et facultatem abbati de Vetericella rehabilitandi quatuor personas Ordinis sibi subiectas, necnon cum eis dispensandi, ut non obstante inhabilitate, possint ad omnes Ordinis actus legitimos, voces, actus, officia, beneficia et dignitates admitti et promoveri.

89. Omnes et singulos abbates Ordinis noviter citra duos annos electos seu promotos qui decreta sua pro confirmationibus habendis ad generale Capitulum secundum statuta Ordinis, venire et se eidem generali Capitulo praesentare neglexerunt, renuerunt, aut forte contempserunt, praesens generale Capitulum ad comparendum personaliter cum decretis suis citat in futuro generali Capitulo ; omnibus et singulis patribus abbatibus, visitatoribus et reformatoribus mandando et praecipiendo, quatinus hanc diffinitionem executioni debite demandent.

90. Attentis paupertatibus et oneribus quibus nunc, pro dolor ! monasterium Caduini opprimitur, praesens generale Capitulum de gratia speciali excusatum habet et supportat a via Capituli generalis per biennium, et a missione studentium per annum, abbatem eiusdem monasterii Caduini.

EXCUSATIO ABBATUM

91. Primo, omnes de regno Angliae.

92. Item, omnes de Marchia, Thuringia, Misnia atque Lusatia.

93. Item, abbates de Mulbrunna, de Alba dominorum, de Sco-

navia, de Uterina valle, de Verneri Villerio, de Sturzelbronne, de Bebenhusen, de Salem, de Luzella, de Aurora, de Maristella, de Capella, de Porta cœli, de Caesarea, de Eberbaco, de Himmerode, de Belloprato Tullensi, de Claromonte, de Vaucellis, de Caroliloco.

94. Item, abbates de Saxonia et de Frisia.

95. Item, abbates de Calercio, de Altofonte, de Cheminione, de Caheriis, de Caladia, de Aureavalle, de Insula Barrensi, de Bonofonte, de Escureyo, de Castellione, de Sancto Benedicto, de Claroloco, de Brolio Benedicti, de Noa, de Strata, de Savigniaco, de Monte Disibodi, de Porta, de Valkenrede, de Walkerode, de Riffenstein, de Michaelstein, de Valle Sanctae Mariae, de Amelungsborn, de Huda, de Lucka, de Riddagshusen, de Steinbach, de Veterimonte, de Vetericampo, de Altacumba, de Chazania, de Stamedio, de Chezeriaco, de Bullione Lemovicensi.

96. Omnes abbates de regno Poloniae, de Paradiso, de Obra, de Bleso ; et omnes de Pomerania, Prussia, Marchia, Schlesia, de Tribus fontibus, de Hewis, de Fonte salutis ; et omnes de Franconia, de Campo principum ; et omnes de Bavaria, de Stams, de Claratumba, de Vallelucenti, de Schola Dei. Omnes abbates de partibus Stagnalibus.

REHABILITATIONES

97. Praesens generale Capitulum ad instantiam D. abbatis Morimundi misericorditer dispensat cum fratre Ioanne de Froncourt, professi eiusdem monasterii Morimundi, ut non obstante carnis contagio, necnon exitu a monasterio sine licentia tempore nocturno, super quibus tamen poenitentiam ab Ordine sibi iniunctam, prout dictus D. Morimundi asserit, humiliter et devote peregit, ipsum ab omni infamiae nota et inhabilitatis macula relevando et rehabilitando, et ad omnes Ordinis actus legitimos, voces, gradus, officia, beneficia et dignitates promoveri possit et admitti.

98. Ad idem, pro fratre Nicolao de la Ferrée, ad instantiam abbatis Vallis regis, ut non obstante apostasia per spatium octodecim dierum tempore, quo conspiravit contra abbatem proprium nunc defunctum, possit ad omnes actus legitimos, *etc.*

99. Ad idem, pro sorore Yda de Capella, religiosa de Paraclito, Ambianensis dioecesis, ut non obstante carnis contagio, puerperio

inde secuto, ad instantiam abbatis Caroliloci, s. th. pr., ad omnes, etc.

100. Ad idem, pro sorore Iaquelina Drinquart, dicti monasterii de Paraclito professa, ut non obstante carnis contagio, puerperio inde secuto, etc.

101. Ad idem, pro fratre Ioanne le Vasser, religioso de Laude, ut non obstante irregularitate quam incurrit in apostasia celebrando, dispensat generale Capitulum ut possit celebrare.

102. Committit Capitulum generale abbati de Ellancio, ut possit rehabilitare fratres Ioannem de Puteolis et Ioannem Bigot, professos suos ad omnes, etc.

103. Item, ad instantiam abbatis de Vallibus in Ornesio, pro fratre Desiderio de Tullo, eiusdem monasterii professo, ut non obstante quod sine licentia monasterium praefatum exierit et per triginta dies, vel circa, apostataverit, possit ad omnes actus promoveri.

SUFFRAGIA

104. Universis et singulis christifidelibus eiusdem Dei et Domini nostri Iesu Christi sacro sanguine redemptis has praesentes visuris et audituris, frater Ioannes, abbas Cistercii, ceterique Diffinitores generalis Capituli apud Cistercium novissime celebrati, totum Ordinem Cisterciensem repraesentantes, cum honore et reverentia debitis, salutem in eo qui est omnium vera salus. Etsi templa, delubra, et omnia quae alia pia loca divino cultui mancipata et dedicata, maxime ubi universorum sanctorum Christo in coelis conregnantium sacrae habeantur reliquiae summa sint christicolis veneratione prosequenda et requirenda, cum eorumdem sanctorum meritis et piis precibus copiosa ibidem peccatorum venia adipisci posse credatur, illa tamen potissimum frequentanda veniunt, omnique devotione recolenda in quibus Dei ac Domini nostri Iesu Christi sacratissimae passionis piissima recunduntur insignia, suique pretiosissimi sanguinis, quo universa nostra lavit crimina, sacrosancta vestigia plenius apparent. Cum itaque, sicut accepimus ac pie credimus, in monasterio nostro de Caduino honorifice reservetur pretiosissimum illud divinae passionis memoriale, sacratissimum videlicet sudarium, quo idem Deus ac Dominus noster Iesu Christus, postquam in ara crucis mortem nostram moriendo destruxerat, ab eadem

cruce depositus, involutus esse creditur, atque in sepulcro locatus, quo etiam dimisso, cum a morte die tertia victor resurgeret gloriosissima sua resurrectio angelico est testimonio sanctis mulieribus demonstrata, cupientes ut idem locus a christifidelibus tanto devotius frequentatur, quanto ex memoria eius passionis et mortis ampliorem devotionis gratiam et eorum peccaminum remissionem se ibidem sentiunt adipisci pleniorem, omnibus et singulis christifidelibus dictum locum visitantibus ac de suis facultatibus ad eiusdem loci et monasterii manutenentiam pias elemosinas largientibus, auctoritate totius Ordinis qua fungimur, brevi tenore praesentium concedimus confraternitatem ipsius Ordinis ac plenam participationem omnium bonorum spiritualium, videlicet missarum, vigiliarum horarum canonicarum, orationum, suffragiorum, ieiuniorum, abstinentiarum, disciplinarum, eleemosinarum, hospitalitatum, laborum ceterorumque divini cultus officiorum, quae fiunt ac, favente Domino, de cetero fient in toto Ordine nostro in vita eorum pariter et in morte, adiicientes, quod cum eorum obitus, utinam felices! in Domino nostro fuerint generali Capitulo nuntiati, ibidem tamquam unus nostrum absolvetur, omniumque missarum et orationum, quas pro nobis ac nostris fratribus et sororibus annis singulis imponere consuevimus, participes erunt et consortes. Datum, etc.

105. Attentis gravaminibus et ruinis maximis, quibus ad praesens gravatur et circumvallatur monasterium B. M. de Vallibus Sernay, quod nuper inundationibus aquarum pene totum concussum est et obvolutum, maximaque damna percepit, quibus quantum potest obviare ac ipsum monasterium sublevare cupiens praesens generale Capitulum abbati eiusdem loci gratiose concedit, ut omnes et singulos christifideles sibi in huiusmodi manus adiutrices porrigere volentes ad confraternitatem totius Ordinis recipere, ac participationem omnium bonorum spiritualium quae in ipso Ordine deinceps fient per immediate sequens quinquennium conferre possit et valeat, in plenaria ipsius Ordinis potestate.

106. Ad requestam fratris Ioannis de Magnico conceditur suffragium honorabili et circumspecto viro Henrico Le Camus, locumtenenti Baillivi Montismirabilis.

107. Ad idem, pro scientifico viro magistro Petro Scissoris, doctore theologo et canonico Sancti Petri Belvacensis.

[ALIA DIFFINITIO]

108. Abbatibus de Paradiso (Iohanni) et de Wangrowyetcz (Iohanni) committitur, ut monasterium S. Mariae in Coronow visitent.

1486

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo octogesimo sexto, in generali Capitulo apud Cistercium celebrato, statuta et diffinita sunt quae sequuntur.

ORATIONES

1. Pro sanctissimo... *etc. ut in anno* 1484.
2. Praeterea pro serenissimo... *etc. ut in anno* 1484.
3. Insuper pro burgensibus... *etc. ut in anno* 1449.
4. Ceterum pro pace... *etc. ut in anno* 1449.
5. Demum pro felicis... *etc. ut in anno* 1470.

[DIFFINITIONES] GENERALES

6. Cum Ordo noster... de antiquo debito, ac etiam in summa 5478 florenorum, 14 solidorum de resta ultimorum computorum de et pro tempore praeterito... *etc.* contributionem novem millium florenorum... *etc. ut in anno* 1449.

7. Quia iuxta sacri Ordinis nostri sanctiones et statuta canonica a sanctis patribus olim edita, sub censuris gravissimis in eisdem statutis fulminatis ad generale Capitulum annuatim apud Cistercium celebrandum, omnes et singuli abbates venire tenentur, aut suas illic legitimas et rationabiles mittere excusationes, praesens generale Capitulum universos et singulos qui

1486. *Fontes* : L^5 : 1-135 ; *M* : 74, *et abbrev.* 35, 81, 85, 89, 91 ; P^2 : 74-77, *et abbrev.* 35, 42, 81, 84, 85, 89, 91, 96, 97, 100, 101, 102 ; *W*: 30, *et abbrev.* 74, 81, 85, 89, 90, 91. [a] *Titulus apud* L^5.

hoc anno non comparuerunt in generali Capitulo, neque suas excusationes miserunt, contumaces reputat ad proxime futurum Capitulum eos et eorum quemlibet personaliter citando ; illos vero qui citati prius non comparuerunt, pro contumacia sua excommunicationis sententiam de facto incurrisse declarat, mandans omnibus et singulis commissariis Ordinis ac aliis quibuslibet Ordinis personis super hoc requirendis, quatinus praefatos sic citatos et contumaces, excommunicationis sententiam de facto incurrisse ubique denuntient et declarent.

8. Sequuntur nomina eorum, qui hoc anno a via generalis Capituli fuerunt excusati : Omnes abbates minoris Poloniae excusati fuerunt per nuntium domini de Comprounicia. Item, abbates de Silesia, per abbatem de Lubens, qui loco omnium aliorum comparuit. Ad idem, abbates Franconiae, per abbatem de Speciosa valle. Ad idem, abbates de Uterina valle, Villerio, Wernerivillerio, Sturzelbrunn, Freistorff, Otterburg, Ebrach, Hemmerode, Heisterbach, Veterimonte, Vetericampo, Loco Sanctae Mariae, Campo Mariae, Sconaviae, Mulbrunnae, Albae dominorum, Bebenhusen, Salem, Fonte regis, Portae cœli, Lucellae, Aurorae, Sancti Urbani, Maristellae, Capellae, Belloprato, Claroloco, de Alta silva.

9. Omnes et singulas diffinitiones anno proxime praeterito in generali Capitulo editas, tamquam rationabiles, iustas et sanctas praesens generale Capitulum approbat, ratificat et confirmat.

10. Cupiens generale Capitulum doctos viros pro ipsius honore ac felici directione in Ordine multiplicari, multorum quoque patrum Ordinis de mittendis studentibus suis ad generalia studia, prout ex statutis Ordinis tenentur, negligentiam detestans, omnibus et singulis Ordinis commissariis, ubilibet constitutis, mandat et praecipit, quatinus ad mittendum suos studentes ad generalia studia universos et singulos Ordinis abbates per censuras Ordinis viriliter et exacte compellant, in plenaria Ordinis potestate.

11. Quamquam diffinitio dudum edita de vicinis abbatibus in electione novorum abbatum facienda vocandis, ubi propter locorum distantiam aut viarum discrimina, pater abbas commode haberi non potest, superioribus annis certis causis rationabilibus fuerit revocata, quia tamen morbo prius sanato revalescente remedia sunt resumenda, idcirco renovando praefatam diffinitionem, praesens generale Capitulum pro monasteriis ducatus

Sabaudiae ac partium transalpinarum propter certa pericula commendarum ibidem imminentia, statuit et diffinit, ut in electionibus abbatum vicini abbates vocari et ibidem praesidere possint loco patrum abbatum, si tamen commode vocari non valeant ; quam tamen diffinitionem de abbatibus dumtaxat et non de abbatissis vult intelligi, et in suo vigore durare usque ad aliam generalis Capituli dispositionem.

12. Quia propter abusum multorum commendatariorum monasteria Ordinis occupantium, multa et varia damna inconvenientia, et mala personis et locis regularibus contra formas et tenores privilegiorum et statutorum Ordinis proveniunt in maximum detrimentum, vilipendium et contemptum personarum et locorum praefatorum, quibus abusibus et malis pro posse obviare cupiens, praesens generale Capitulum omnibus et singulis patribus abbatibus, visitatoribus et reformatoribus Ordinis committendo districte praecipit et mandat, quatinus dictos commendatarios per poenas et censuras in eisdem privilegiis et maxime domini Sixti Papae IV contentas et expressas, et alias vias debitas et rationabiles astringant et compellant ad exhibendum eis et monstrandum bullas suas aut alias provisiones, si quas habeant, virtute et auctoritate quarum praedictos abusus et excessus committant et faciant.

13. Generale Capitulum omnia et singula procuratoria, necnon omnes et singulos procuratores in eisdem nominatos, secundum modum et formam Ordinis consuetos, citra quorumcumque procuratoriorum privatorum revocationem renovat.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

14. Electionem, institutionem, promotionem et installationem fratris Ioannis Hestman ad dignitatem abbatialem monasterii de Speciosa valle, Herbipolensis dioecesis, per abbatem monasterii Caesariensis, dicti monasterii immediatum visitatorem, rite et canonice... *etc.* confirmat, supplendo omnes et singulos defectus, si qui forsan in electione praefata intervenerint.

15. Ad idem, de persona fratris Thomae Soulens, monasterii de Thela, ad dignitatem abbatialem eiusdem monasterii, per abbatem de Balerna Ordinis commissarium factis et celebratis, post cessionem et resignationem fratris Ioannis Bosson, eiusdem monasterii de Thela novissimi abbatis, prout in decreto... *etc.*

16. Ad idem, de persona fratris Ioannis Molitoris ad dignitatem abbatialem monasterii Maristellae, alias Wettingen, Constantiensis dioecesis, per abbatem de Salem, rite, ...*etc*.

17. Ad idem, de persona fratris Henrici Lvyke ad officium prioris prioratus seu monasterii Sanctae Walburgis, Coloniensis dioecesis, per abbatem Vallis Sancti Petri in Heisterbach, Ordinis commissarium... *etc*.

18. Viso et diligenter examinato decreto commissariorum Ordinis inclyti regni Angliae in quadam convocatione abbatum apud Northampton super reformatione Ordinis, ac quarumdam causarum decisione facta, cuius copiae seu transumpto praesens diffinitio annectitur, praesens generale Capitulum tamquam sancte et canonice factum ipsum decretum cum omnibus suis clausulis approbat, ratificat et confirmat, mandans nihilominus abbati de Cliva, quatinus contra quosdam fratres Wilhelmum se in monasterio de Kymmer pro abbate intrudere volentes, et Richardum Wotwan nuper abbatem de Kyngeswode ad praesens generale Capitulum contumaces et excommunicatos eos declaravit, et contumaces et excommunicatos ab omibus denuntiari praecipit et mandat.

CONFIRMATIONES TRACTATUUM ET PENSIONUM

19. Tractatum initum, factum et passatum inter abbatem et conventum monasterii de Valleregis ex una, et generosum dominum, dominum Ioannem de Sarrebruche, comitem Rociaci, ... *(locus vacuus)*, dominum Montismirabilis et Firmitatis Gaucher, partibus ex altera, super fundatione cuiusdam missae bassae singulis diebus in capella Sancti Stephani situata in ecclesia praefati monasterii de Valleregis dicendae, et alia anniversaria singulis annis et certis diebus celebranda cum quibusdam vigiliis mortuorum, suffragiis et aliis oneribus et ceremoniis, prout in litteris tractatus praesentibus annexis plenius continetur, praesens generale Capitulum, audito prius super eodem abbate eiusdem monasterii et recepto ab eodem iurato, quod dictus tractatus erat ad utilitatem et commodum praefati monasterii, illum eumdem cum omnibus et singulis suis clausulis approbat, ratificat et confirmat, dando eisdem abbati et conventui licentiam et facultatem dicendi, celebrandi et faciendi dictam missam, anniversaria et alia contenta in eisdem litteris, servatis tamen

in omnibus et singulis praemissis forma et ceremoniis Ordinis.

20. Attenta et pensata paupertate monasterii monialium de Hyspania, Ambianensis dioecesis, R. D. N. Cisterciensi immediate subiecti, et consideratis considerandis, generale Capitulum restringit et reducit pensionem assignatam sorori Adrianae de la Solie, olim abbatissae eiusdem monasterii de Hyspania, per abbatem Caroliloci, s. th. pr., ad dimidiam partem, scilicet ad summam octo scutorum auri, quam quidem medietatem pensionis cum ceteris clausulis in litteris praesenti diffinitioni annexis contentis et expressis, idem generale Capitulum approbat, ratificat et confirmat, mandans et praecipiens sub censuris Ordinis abbatissae modernae et ei quae pro tempore fuerit in eodem monasterio de Hyspania, quatinus singulis annis, terminis in eisdem litteris specificatis dictam pensionis medietatem eidem sorori integraliter solvant et satisfaciant, reliquaque in eisdem litteris contenta efficaciter adimpleant, praecipiendo eidem sorori, ne de cetero aliquid ultra requirat; executionem praedictae diffinitionis primo abbati super hoc requirendo committendo, in plenaria Ordinis potestate.

21. Tractatum initum, factum et passatum inter abbatem et conventum monasterii monialium de Loco Dei, Eduensis dioecesis, ex una et nobilem virum Guillermum de Villers scutiferum, dominum de Boncuria Le Boys, partibus ex altera, super fundatione quarumdam missarum dicendarum in capella beatae Mariae Magdalenae in ecclesia dicti monasterii de Loco Dei, prout in litteris... *etc.* confirmat.

22. Tractatum initum, factum et passatum inter illustrissimum dominum ducem Britanniae et una, et abbatem et conventum monasterii de Precibus partibus ex altera, super commutatione quorumdam reddituum ab antiquo super recepta dicti domini ducis a dictis religiosis abbate et conventu perceptorum, prout in litteris... *etc.* confirmat.

COMMISSIONES

23. Cum, ut ad audientiam generalis Capituli fide digna relatione pervenit, monasteria monialium de Burvenich et de Valle Sancti Petri in Blaitzheym reformatione non parum egeant regulari, quae tamen per abbatem in Heysterbach commissarium ibidem propter plurima impedimenta ac pericula commode fieri

non potest, praesens generale Capitulum omnium monasteriorum Ordinis reformationem debitam desiderans, visitationem, reformationem atque in spiritualibus et temporalibus directionem committit abbati Vallis Dei, Leodiensis dioecesis, mandans et praecipiens eidem, quatinus ad eadem monasteria quoties opportunum fuerit personaliter accedat, ibidemque visitet, reformet, corrigat, instituat et destituat, in capitibus et in membris, in spiritualibus et temporalibus, quaecumque iuxta Ordinis instituta regularia ibidem invenerint visitanda, reformanda, corrigenda, instituenda et destituenda, confessores quoque sufficientes et idoneos illic instituat, omniaque alia faciat, quae ad debitam reformationem necessaria videbuntur, in plenaria Ordinis potestate, praesentibus usque ad revocationem eiusdem Capituli in suo robore duraturis.

24. Cum visitatio et reformatio monasterii monialium de Olobock, monasterio de Lubens immediate subiecti, iam dudum per R. D. N. abbatem Cistercii propter certas causas rationabiles abbati monasterii de Landa fuerit commissa, ipse vero dominus abbas de Landa commissionem huiusmodi usque in praesens acceptare renuerit, praesens generale Capitulum sufficienter informatum per dominum abbatem in Lubens, qui ibidem personaliter comparuit de causis R. D. N. ad praedictam commissionem faciendam moventibus cupiens ut praefatum monasterium in Olobock, in spiritualibus et temporalibus melius reformetur, in virtuute salutaris obedientiae praecipit eidem domino abbati in Landa, quatinus dictam commissionem R. D. Cistercii minime renuens praefatum monasterium de Olobock, saltem durante vita dicti domini abbatis de Lubens, in suam visitationem iuxta mandatum R. D. Cistercii suscipere non abnuat, omnia et singula, quae in litteris commissionis eiusdem R. D. Cistercii sibi mandantur fideliter exsequendo.

25. Cum, ut relatione domini abbatis in Lubens praesens generale Capitulum suscepit, monasterium monialium de Owentzko eidem abbati immediate subiectum, propter loci nimiam distantiam, linguae disparitatem et discrimina viarum minime valeat per eumdem dominum abbatem de Lubens, in spiritualibus et temporalibus provideri, ad humillimam eiusdem abbatis instantiam, et ut dictum monasterium de Owentzko nullum patiatur propter huiusmodi impossibilitatem, in spiritualibus ac temporalibus detrimentum, de opportuno remedio providere cupiens

praesens generale Capitulum visitationem, reformationem ac gubernationem et omnimodam eius paternitatem, durante vita domfni Bartholomei, dicti monasterii in Lubens abbatis moderni, committit domino abbati de Paradiso, Posnaniensis dioecesis, in virtute salutaris obedientiae, eidem praecipiendo, quatinus ad dictum monasterium de Owentzko quolibet anno semel vel quoties opportunum viderit, se personaliter transferat, ipsumque monasterium in spiritualibus et temporalibus, in capitibus et in membris visitet, reformet, corrigat, destituat et instituat quodcumque iuxta Ordinis statuta canonica ibidem repererit visitandum, reformandum, corrigendum, instituendum et destituendum, ipsisque monialibus de confessoribus sufficientibus et capellanis provideat, omniaque alia circa reformationem et debitam gubernationem dicti monasterii, in spiritualibus et temporalibus, faciat et disponat, quae sibi in praemissis necessaria et opportuna videbuntur, in plenaria Ordinis potestate.

26. Abbatibus de Vetericella et de Portu committit praesens generale Capitulum, quatinus diligenter se informet super quodam contractu quem cum illustrissimis principibus dominis ducibus Saxoniae, Misniaeque marchionibus inire contendunt abbas et conventus monasterii in Buch, de 40 florenis rhenensibus annui et perpetui census praefatis principibus assignandis super bonis, redditibus et proventibus praefati monasterii de Buch, pro redimendis quibusdam servitiis curruum et equorum ac aliorum onerum, quae saepedicti principes a monasterio de Buch exigere consueverunt, et quidquid in praemissis invenerint, sub suis litteris authenticis et clausis vel fideliter intimare studeant in proximo futuro Capitulo generali.

27. Cupiens generale Capitulum per rectum iustitiae tramitem unicuique reddere quod suum est, gratiose committit abbatibus de Sancta Cruce in Austria et de Monte Sanctae Mariae, quatinus accedendo, quo propterea accedendum fuerit, se diligenter informent super traditione 200 florenorum ad opus reformationis monasteriorum in Hungaria, et secundum quod invenerint, per abbates Hungariae, praedictos florenos in toto vel in parte restitui faciant domino abbati de Pelisio, qui eosdem florenos dicitur mutuasse, ita tamen quod abbates illarum partium Ordini nihilominus suas solvant contributiones.

28. Monasteriorum de Hungaria noviter reformatorum prospero et felici statui, atque in spiritualibus et temporalibus,

debitae directioni providere cupiens, praesens generale Capitulum patrum abbatum ac ordinariorum visitatorum, qui propter nimiam distantiam visitationi et reformationi eorumdem monasteriorum intendere nequeunt supplendo defectus, visitationem, reformationem, regimen et gubernationem cum auctoritate corrigendi, instituendi et destituendi, in spiritualibus et temporalibus, in capitibus et in membris, iuxta Ordinis instituta canonica, plenarie committit domino abbati de Pelisio, in plenaria Ordinis potestate.

29. Ad idem, pro monasteriis in minori Polonia, abbati de Comprounicia.

30. Committit praesens generale Capitulum abbati de Claratumba ut domum, quam reverendus in Christo pater dominus episcopus Cracoviensis, pro collegio Ordinis in Universitate Cracoviensi erigendo Ordini conferre pollicitus est, devote suscipiat, collegium ordinet et disponat, instituendo provisorem et ceteros officiarios, ut moris est in aliis collegiis, omnesque et singulos abbates illius provinciae ad suos ibidem studentes mittendum per Ordinis censuras compellendo, ita tamen ut si aliqua monasteria adeo exilia invenerit, ut per se studentem mittere minime valeant, duo simul pro uno studente tenendo coniungat [b], necnon ut monasterium de Coprounicia, quoties opus fuerit, visitet et reformet.

31. Abbati de Pelisio committit praesens generale Capitulum, quatinus se diligenter informet super casu quorumdam monachorum monasterii Trium fontium in Hungaria, qui manus violentas in abbatem proprium iniecerunt, ipsum carceribus mancipando, et prout repererit, decernat et iudicet ipsos fratres ab omnibus sententiis, quas propter hoc incurrere potuerunt, post debitam punitionem et satisfactionem absolvendo, et super irregularitatibus, si quas illarum occasione contraxerunt, cum ipsis dispensando ; et insuper se informet super eiectione fratris Petri dudum abbatis Waradini Petri, alias Bellifontis, et si dictam eiectionem secundum Ordinis instituta rationabiliter factam invenerit, eam confirmet, dictum fratrem Petrum a sua dignitate abbatiali penitus deponendo, et iam dicto monasterio de novo abbate sufficiente et idoneo providendo, in plenaria Ordinis potestate.

---

[b] *Hic desin.* L^5.

32. Abbati de Gotto committit praesens generale Capitulum, quatinus se informet super depositione fratris Georgii, dudum abbatis in Pelisio, et electione fratris Iudoci in abbatem ibidem et secundum quod invenerint iuxta Ordinis statuta faciendum, tam dictam depositionem fratris Georgii quam electionem et institutionem fratris Iudoci, ratificet et confirmet, in plenaria Ordinis potestate.

33. Abbati de Oliva gratiose committit praesens generale Capitulum, quatinus assumpto secum alio abbate vicino quem voluerit, se informent diligenter de casu fratris Georgii Krokåw, qui mortem cuiusdam sui familiaris machinasse dicitur, et secundum quod invenerint, post debitam punitionem ac satisfactionem cum ipso, prout opportunum viderint, dispensent, in plenaria Ordinis potestate.

34. Committit praesens generale Capitulum abbati de Paradiso, quatinus assumpto secum aliquo abbate vicino, se diligenter informent super casu fratris Andreae, in sacris litteris baccalarii formati, dici monasterii professi, qui in duobus articulis indicis manus dexterae per canem mutilatus asseritur, et prout repererint, iuxta Ordinis instituta et sacrorum canonum sanctiones rationabiliter agendo, secum ut divina celebrare valeat gratiose dispensent.

35. Ad instantiam et benignam suggestionem serenissimi domini regis Portugalliae, committit praesens generale Capitulum abbati de Petra ac alteri abbati, quatinus super valoribus et facultatibus monasteriorum Ordinis inclyti regni Portugalliae se informent, et iuxta quod invenerint magis commode et pro honore Ordinis ac divini cultus augmento faciendum, de monasteriis illis secundum regiae maiestatis consilium disponant minora monasteria, in quibus conventus teneri non possunt, simul uniendo, ac conventus iuxta eorumdem facultates ordinando, datque idem generale Capitulum auctoritatem et plenum posse dictis abbatibus visitandi, reformandi, corrigendi, instituendi et destituendi in omnibus et singulis monasteriis Ordinis utriusque sexus eiusdem regni inclytissimi, quidquid iuxta Ordinis instituta canonica invenerint visitandum, reformandum, corrigendum, instituendum et destituendum, in spiritualibus et temporalibus, in capitibus et in membris, in plenaria Ordinis potestate, cum clausulis per R. D. N. Cisterciensem addendis. (Facta fuit commissio specialis).

36. Reformationem atque in spiritualibus et temporalibus debitam directionem monasteriorum Ordinis in partibus confoederatorum consistentium desiderans, praesens generale Capitulum abbati de Luzella in virtute salutaris obedientiae committit, mandat et praecipit, quatinus quamprimum commode fieri possit, ad omnia et singula monasteria utriusque sexus illarum partium, tam sibi immediate subiecta, quam etiam alia quaecumque, se personaliter transferat, ibidemque auctoritate totius Ordinis visitet, reformet, corrigat, instituat, destituat, in spiritualibus et temporalibus, in capitibus et in membris quaecumque iuxta nostri Ordinis instituta canonica invenerit visitanda, reformanda, corrigenda, instituenda et destituenda, ac etiam ipsa monasteria ab omni impugnatione ac indebita exactione quorumcumque, quantum poterit, iustitia mediante, defendant.

37. Reformationem atque in spiritualibus et temporalibus debitam directionem monasteriorum ducatus Slesiae vehementer affectans, praesens generale Capitulum abbati de Lubens, in virtute salutaris obedientiae, committendo mandat et praecipit, quatinus annis singulis semel ad minus, vel quoties opportunum fuerit, ad omnia et singula monasteria utriusque sexus in eisdem partibus consistentia, sive sibi immediate vel mediate subiecta, sive etiam alia quaecumque, se transferat, ibidemque visitet, corrigat, instituat et destituat, in spiritualibus... *etc. ut supra* ; vultque idem Capitulum tam abbates dictorum monasteriorum, ut infra idem quinquennium et nullo alio quam a dicto de Lubens, dicta monasteria visitentur, et ut dictorum monasteriorum abbates durante dicto termino quolibet anno semel absolvi valeant ab omnibus casibus generali Capitulo reservatis, ac suis subditis eamdem absolutionis gratiam impendant.

38. Ad idem, pro abbate de Riddageshusen in monasteriis Saxoniae, Thuringiae et partium stagnalium, praeter ultimam clausulam.

39. Cupiens generale Capitulum felicem et prosperum successum collegii in Lipzik, et ut litterarum cupidi et studiosi ibidem quietius et expeditius ad optatum scientiarum culmen conscendere valeant, providere desiderans, abbatibus de Riddageshusen, de Porta, de Buch et de Walkenried pie committendo mandat et praecipit, quatinus infra continuum sequens quinquennium quoties opportunum fuerit, praefatum collegium visitent, atque ibidem omnia quae necessaria et opportuna fuerint ordi-

nent ac disponant, in plenaria Ordinis potestate ; inhibetque idem Capitulum omnibus et singulis abbatibus Ordinis ac personis regularibus universis, ne in praefato collegio quidquam disponere aut ordinare audeant, praefatis quatuor abbatibus inconsultis.

40. Abbati de Campo Mariae committit praesens generale Capitulum, ut se diligenter informet super casu sororis... *(locus vacuus)* professae monasterii de Monte amoris, quae, ut dicitur, in incontinentiae vitium prolapsa, puerperio etiam secuto, suum monasterium illicentiata exivit, et adhuc se extra monasterium se tenet, ipsamque secundum sui delicti qualitatem gratiose puniat, ac monasterio suo restituat, ac si post punitionem debitam emendationis signa in ipsa inveniat, ad omnes gradus, voces et actus Ordinis legitimos, officia et dignitates ipsam rehabilibet.

41. Insuper ut sororem... monasterii de... *(locus vacuus)* dudum professam, quae reformationi dicti monasterii nec consentire, neque in eodem post reformationem manere voluit, ad aliquod aliud monasterium Ordinis transmittant, praecipiendo abbatissae, ut eam recipiat, in plenaria Ordinis potestate.

42. Cupiens generale Capitulum ut monasteria inclyti regni Angliae, necnon provinciarum Walliae et Hyberniae, per debitae visitationis et reformationis officium felicia in spiritualibus et temporalibus obtineant incrementa, abbatibus de Stratfordia et de Cumba et de Clyva [c], et eorum cuilibet in solidum, omnium et singulorum monasteriorum dictarum partium committit visitationem et reformationem, cum clausulis per R. D. N. Cistercii in sua commissione apponendis, prout in eadem commissione cui praesens diffinitio annectitur plenius continetur, quam quidem commissionem cum omnibus clausulis praesens generale Capitulum approbat, ratificat et confirmat in plenaria Ordinis potestate ; concedens nihilominus eisdem abbatibus et commissariis auctoritatem 15 personas Ordinis extra matrimonium procreatas ac defectum natalium patientes, ad omnia et singula in Ordine officia obtinenda legitimandi.

43. Abbati de Claromonte committit praesens generale Capitulum auctoritatem absolvendi fratrem Gaufridum Mahot, pridem pro certo furto excommunicatum, si tamen de restitutione

---

[c] Elyna : P^2.

et condigna satisfactione sibi constiterit, insuper ut inducat abbatem Fontis Danielis ad resignandum professionem dicti fratris Gaufridi, atque eum in monasterio de Bellabrancha ubi originaliter professus extitit, restituat.

44. Abbatibus de Regaliloco et de Gratiis committit praesens generale Capitulum, quatinus diligenter se informent super articulis praesenti diffinitioni annexis, et secundum quod invenerint iustitia mediante, iudicent puniendos puniendo et absolvendos absolvendo, in plenaria Ordinis potestate.

45. Generale Capitulum moleste suscipiens quorumdam abbatum et commendatariorum, necnon bursariorum, cellerariorum et ceterorum officiariorum monasteriorum Ordinis in partibus ducatus Sabaudiae et illis vicinis consistentium, negligentias in solutione contributionum Ordinis, sine quarum solutione maxima agenda Ordinis, tam in romana Curia quam alibi dirigi non possunt, mandat et praecipit in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis poena abbati de Balerna, quatinus quamprimum commode fieri poterit, ad omnia monasteria praedictarum partium sibi per R. D. Cistercii in fine praesentis diffinitionis assignanda se personaliter transferat, ibidemque per omnes iuris ac iustitiae vias possibiles, compellat seu compelli faciat, per se vel certos suos nuntios, omnes et singulos abbates et commendatarios, cellerarios, bursarios, procuratores, administratores, seu regimini temporalium praesidentes dictorum monasteriorum virtute privilegiorum et statutorum papalium Ordinis a sanctissimis olim patribus Benedicto XII, Pio II, Paulo II, Sixto IV, ac aliis quibuscumque romanis pontificibus ipsi nostro Ordini concessorum, ad plene et integraliter solvendum quotas contributionum per eadem monasteria debitas, necnon arreragia earumdem, faciatque sibi exhibere quittantias ad videndum quod ab octo annis citra suas contributiones solverunt ; rebelles vero, ac suas huiusmodi contributiones solvere nolentes, etc.

46. Ad audientiam praesentis generalis Capituli non sine gravi displicentia pervenit commendatarium monasterii Fontisfrigidi ipsius monasterii bona mobilia et immobilia, utpote vaccas, equos, iocalia, clenodia, terras, possessiones ac alia huiusmodi ad dictum monasterium pertinentia distrahere, vendere, alienare, aut ad usuras sive bancas impignorare et pecunias inde susceptas suis particularibus usibus applicare, reparationi vero aedificiorum universorum dicti monasterii minime intendere, neque

fratrum ibidem Deo famulantium necessitatibus subvenire, studentes quoque ad studium Tolosanum non mittere, quamquam speciales pro studentibus tenendis redditis in eodem monasterio habeantur ; sigillum denique conventus contra institutiones et statuta Ordinis in praeiudicium ipsius monasterii penes se servare; priores et alios officiarios in dicto monasterio minus idoneos pro suae voluntatis beneplacito instituere, aliaque multa minus debite ibidem peragere, per quae ipsum monasterium, in temporalibus et spiritualibus non modicum suscipit detrimentum ; quibus per opportuna remedia obviare praesens generale Capitulum abbatibus de Candelio et Ardorello, et unicuique eorum in solidum benigne committendo, mandat in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae poena, nihilominus districte praecipiendo, quatinus ad idem monasterium quamprimum se transferant, ac se super praemissis debite informent, et prout repererint, dictum commendatarium ab omnibus et singulis huiusmodi abusibus coercendo per omnes iuris et iustitiae vias, invocato etiam auxilio brachii saecularis ad faciendum suum debitum in praemissis omnibus ac aliis ad suum officium spectantibus eum exacte compellant, ac etiam cogant praedictum commendatarium et omnes et singulos dicti monasterii officiarios sub eisdem poenis ad solutionem rationabilium expensarum in prosecutione huiusmodi negotii factarum et fiendarum, in plenaria Ordinis potestate.

47. Abbatibus de Walkenrede et de Porta committit praesens generale Capitulum, quatinus debite et diligenter se informent, si ad utilitatem et commodum monasterii de Sichem quidam mansi terrae arabilis cum certis censibus sitis in dominio et territorio domini Brunonis de Quencforde possent commutari in alium usum seu alienari aut vendi, et informationibus factis, easdem clausas cum advisamentis suis, sequenti proximo generali Capitulo transmittant.

48. Ad idem, abbatibus de Belloprato et de Altasylva et cuilibet eorum ad se informandum, et generali Capitulo futuro referendum, super quibusdam terris sitis in montibus inter Lotharingiam et Alemanniam pertinentibus monasterio de Pomerio.

49. Abbatibus de Regalimonte, de Caroliloco, s. th. pr., et de Valledulci, et cuilibet in solidum, committit praesens generale Capitulum, quatinus debite et diligenter se informent super tractatu inito, facto et passato inter abbatissam et conventum

monasterii de Maloduno ex una, et dominum abbatem de Firmitate partibus ex altera, de quadam domo sita Parisiis, in parochia Sancti Gervasii, eidem monasterio de Maloduno pertinente, prout in litteris... debitis informationibus... *etc.* confirment, in plenaria Ordinis potestate.

50. Abbatibus de Pomerio et de Heisterbach et de Loco Mariae, et cuilibet in solidum, committit praesens generale Capitulum, quatinus debite videant et debite examinent originale decretum electionis, promotionis, installationis et institutionis fratris Ioannis Rudisheim ad dignitatem abbatialem monasterii Eberbacensis, Maguntinensis dioecesis, cuius quidem decreti transumptum dicto generali Capitulo fuit praesentatum, et si dictum decretum, necnon praefatum fratrem Ioannem sufficientem et idoneum rite et canonice esse factum invenerint, illud cum omnibus suis clausulis approbent, ratificent et confirment, supplendo omnes et singulos defectus, si qui forsan in dicta electione quovismodo intervenerint, in plenaria Ordinis potestate.

51. Ad idem, abbatibus de Raitenhaslach et Cella principum et cuilibet eorum, quatinus visitent decretum originale electionis, institutionis, promotionis et installationis abbatis novi et moderni de Alderspach, et si sufficiens et canonicum, necnon electum sufficientem et idoneum invenerint, dictum decretum approbent, ratificent et confirment, in plenaria Ordinis potestate.

52. Abbatibus de Balerna, de Bullione et de Aceyo et duobus eorum committit praesens generale Capitulum, quatinus se debite et diligenter informent super contentis in litteris tractatus initi, facti et passati, inter abbatem et conventum monasterii Bellaevallis ex una, et honorabilem virum Ioannem Comtot partibus ex altera, de permutatione quorumdam haereditagiorum in eisdem litteris praesentibus annexis specificatorum et plenius contentorum, et si dictum tractatum ad utilitatem fore dicti monasterii de Bellavalle invenerint, illum cum omnibus singulis suis clausulis approbent, ratificent et confirment, in plenaria Ordinis potestate.

53. Abbatibus de Morimundo, de Longovado et de Vallelucenti, et eorum cuilibet committit praesens generale Capitulum, quatinus se debite et sufficienter informent super contentis in litteris tractatus initi, facti et passati inter fratrem Dominicum Colini, priorem prioratus Directae vallis, Tullensis dioecesis,

et nobilem virum dominum Petrum du Chatellet, de quibusdam portionibus decimarum et granorum, prout in litteris praefatis praesenti diffinitioni annexis plenius continetur; et si dictum tractatum esse ad utilitatem et commodum dicti prioratus invenerint, illum cum omnibus suis clausulis approbent, ratificent et confirment, in plenaria Ordinis potestate.

54. Abbatibus de Claromonte, de Sancto Andrea in Goffer, et de Barbereyo, et cuilibet eorum committit praesens generale Capitulum, quatinus quamcitius poterunt ad monasteriorum monialium de Villaribus Quaniveti, seu ad alia loca quae opportuniora iudicaverint accedant, et citatis citandis, vocatisque vocandis super eis quae bona et utilitatem tam spiritualem quam temporalem eiusdem monasterii concernunt, et maxime super excessiva et superflua pensione et expensa lignorum quas pater confessor eiusdem monasterii facere dicitur, et auditis audiendis ordinent, appunctuent, faciant et terminent omnia et singula, quae pro bono, utilitate et honestate dicti monasterii invenerint ordinanda, appunctuanda, facienda et terminanda, in plenaria Ordinis potestate.

55. Visitationem et reformationem omnium et singulorum monasteriorum utriusque sexus in provinciis Turonensi, Rothomagensi, ac in episcopatibus Carnotensi et Aurielanensi situatorum et aliorum per R. D. N. Cisterciensem committendorum, committit praesens generale Capitulum abbati de Claromonte, cum clausulis per eumdem R. D. N. Cisterciensem addendis, in plenaria Ordinis potestate.

56. Committit praesens generale Capitulum abbatibus de Vetericella et de Buch, quatinus debite et diligenter visitent et examinent originale decretum novi electi abbatis monasterii de Waldsachsen, et si idem rite et canonice factum, necnon electum sufficientem et idoneum invenerint, illud cum omnibus et singulis suis clausulis approbent, ratificent et confirment, supplendo, etc., in plenaria Ordinis potestate.

57. Capitulum generale abbatibus de Tribus fontibus et de Monasteriis in Argona, et cuilibet eorum in solidum committit, quatinus debite, diligenter et sufficienter se informent super quodam tractatu inito, facto et passato inter abbatem Sancti Benedicti nostri Ordinis in Lotharingia ex una, et nobilem virum dominum Ioannem de Somieure, dominum de Insula, etc., partibus ex altera, super impignoratione quorumdam reddituum

per ipsum de Somieure eidem abbati impignoratorum, prout et quemadmodum in litteris desuper confectis plenius continetur ; et informatione facta vocandis vocatis et auditis audiendis, secundum quod invenerint dictum tractatum approbent, ratificent et confirment, seu infirment, revocent et annullent, aut alias appunctuent, ordinent et faciant, prout desuper pro bono et utilitate dicti monasterii appunctuandum, ordinandum et faciendum duxerint, in plenaria Ordinis potestate.

58. Domino abbati de Pontigniaco praesens generale Capitulum committit, quatinus se debite, diligenter et sufficienter informent super omnibus et singulis articulis contentis in litteris praesenti diffinitioni annexis, factis, initis et passatis, per abbatem et conventum monasterii Montispetrosi, super quibusdam conventionibus et partionibus inter eos factis, et debitis informationibus peractis, ordinet, approbet, ratificet, confirmet et faciat omnia et singula, quae pro bono, utilitate et honestate dicti monasterii invenerit ordinanda, approbanda, ratificanda, confirmanda et facienda, in plenaria Ordinis potestate.

59. Abbatibus de Claromonte et Pietate Dei, s. th. pr., et cuilibet eorum in solidum, praesens generale Capitulum committit, quatinus ad monasterium de Landesio, seu ad alia loca, quae ad subscripta peragenda iudicaverint opportuniora, accedant, debiteque diligenter et sufficienter se informent super electione, promotione, institutione et installatione fratris Ioannis Lendureau ad dignitatem abbatialem monasterii de Landesio novissime per abbatem de Bardella, virtute et auctoritate commissionis R. D. N. Cisterciensis, eiusdem monasterii immediati patris abbatis, factis et celebratis, et si dictas electionem, promotionem, etc., rite et canonice factas invenerint, illas approbent, ratificent et confirment, seu eorum alter approbet, ratificet et confirmet, sin alias, infirment, cassent et annullent, et de persona sufficienti et idonea in Ordine nostro professa, secundum formam Ordinis, de novo eidem monasterio provideant, seu proximo sequenti generali Capitulo referant, compellendos ad hoc, omnibus viis et modis rationabilibus debitis compellendo, in plenaria Ordinis potestate.

IUDICES

60. Cum superioribus annis ad instantiam honorabilis domini

Iacobi du Breucquet, canonici Cameracensis, processum sit contra abbatem de Alna per censuras Ordinis super solutione certae pecuniarum summae, videlicet 357 ducatorum et grossorum 5 papalium, quam praefato domino Iacobo praedictus abbas de Alna facere tenetur, neque tamen adhuc satisfacere curat, praesens generale Capitulum denuo mandat ac praecipit abbati de Vaucellis, ut ad ulteriores censuras, etiam usque ad invocationem brachii saecularis, necnon monasterii sui privatione contra eumdem abbatem de Alna procedat. Insuper ut de novo moneat aut moneri faciat eumdem abbatem de Alna, ut similiter satisfaciat eidem domino Iacobo de quibusdam aliis debitis nondum liquidatis, atque per omnes iuris et iustitiae vias ad satisfaciendum ipsum abbatem de Alna compellat, in plenaria Ordinis potestate.

61. Dominis abbatibus de Firmitate, de Regalimonte, de Balerna et de Maceriis, et eorum cuilibet in solidum committit praesens generale Capitulum, quatinus si per testes fide dignos, litteras obligatorias, aut alia sufficientia documenta aliquos abbates seu personas regulares Ordinis debite teneri et obligari R. D. N. Cisterciensi seu eius conventui, aut quibuscumque personis eiusdem monasterii, in aliquibus pecuniarum, vini, bladi, aut quarumcumque aliarum rerum summis invenerint, seu eorum alter invenerit, ad debite et integraliter solvendum et satisfaciendum eidem R. D. Cistercii, eiusque conventui seu personis praefatis, per censuras et poenas Ordinis et alias iuris et iustitiae vias, debite compellant et astringant, seu eorum alter compellat et astringant, in plenaria Ordinis potestate.

62. Ad idem, pro venerabili collegio Sancti Bernardi Parisiis, et pro omnibus et singulis religiosis studentibus in eodem collegio, dominis abbatibus de Firmitate, de Regalimonte, de Caroliloco, s. th. pr., et de Valledulci, et eorum cuilibet in solidum.

63. Ad idem, pro domno abbate de Pontigniaco, abbatibus de, etc.

64. Ad idem, pro abbate Caroliloci, s. th. pr., abbatibus de Regalimonte, de Ursicampo, de Longoponte, et cuilibet in solidum.

65. Ad idem, pro abbate de Claromonte, abbatibus de Bellabrancha, de Sancto Andrea in Goffer, et cuilibet eorum.

PROCURATORES

66. Generale Capitulum pro viribus resistere volens iurium et locorum Ordinis invasoribus, suasque libertates, privilegia et exemptiones inconcussa servare, in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis poena, mandat et praecipit abbatibus de Mulbrunna et Schonavia et de Uterina valle, quatinus quamprimum commode fieri poterit, ad reverendissimum in Christo patrem et D. D. episcopum Wormatiensem personaliter accedant, eumque ex parte totius nostri Ordinis rogent et petant, ut monasterium de Ramosa sibi per fratrem Georgium dudum priorem dicti monasterii, ut asseritur, resignatum, ac contra Ordinis libertates et privilegia commendatum, Ordini restituat, ipsumque nostrum Ordinem suis iuribus, privilegiis et libertatibus in sua dioecesi pacifice gaudere permittat. Qui si, quod absit, acquiescere noluerit, contra eum per omnes iuris et iustitiae vias procedant, illustrissimi principis et D. D. Philippi comitis palatini Rheni, ducisque Bavariae nostri Ordinis protectoris et benefactoris singularissimi, necnon omnium aliorum dominorum iudicum aut potentum ecclesiasticorum ac saecularium invocando auxilium pariter et favorem. Quae omnia praemissa ut melius exercere valeant, praesens generale Capitulum ipsos abbates de Mulbrunna, de Schonavia et de Uterina valle, et eorum quemlibet in solidum absentes tamquam praesentes nomine totius Ordinis tenore praesentium suos legitimos et indubitatos constituit procuratores, yconomos, syndicos, negotiorum gestores ac nuntios speciales melioribus modo et forma quibus potest ad appellandum ad Sanctissimam Sedem Apostolicam, omniaque alia et singula agendum, faciendum et exercendum in iudicio et extra iudicium coram quibuscumque iudicibus aut potentibus quaecumque pro libertatibus et privilegiis Ordinis defendendis necessaria fuerint et opportuna, in plenaria Ordinis potestate.

[DIFFINITIONES] SPECIALES

67. Ad aures praesentis generalis Capituli pervenit gravis querimonia religiosorum monasterii Fontisfrigidi super eo quod, ut dicunt, a commendatario dicti monasterii in suis necessariis eis minime providetur, neque aedificia monasterii ruinosa reparantur ; quibus de opportuno remedio providere cupiens ipsum

generale Capitulum religiosis dicti monasterii gratiose concedit, ut habere possint procuratorem vel syndicum communem qui nomine totius conventus dictum commendatarium compelli faciat, per omnes iuris et iustitiae vias,. ad dictis religiosis de suis necessitatibus providendum atque aedificia ruinosa monasterii reparandum.

68. Cupiens generale Capitulum prosperum et felicem successum collegii Tolosani, omnes et singulas diffinitiones annis praeteritis super his editas confirmando ac etiam renovando, mandat et praecipit omnibus et singulis commissariis Ordinis, ut huiusmodi diffinitiones exacte ac viriliter exsequantur.

69. Attenta singulari devotione, quam ad nos et nostrum Ordinem habere comprobatur illustrissima domina..., serenissimi domini regis Portugalliae matertera, ad instantissimam eius supplicationem gratiose concedit ut aniversarium, quod fundare intendit in monasterio monialium B. M. et Sancti Dionisii de Udmellas, iuxta formam et ritum in Ordine consuetum annis singulis in perpetuum celebretur, et ut serenissimi eiusdem dominae... progenitores, fratres ac aliae personae eidem immediate in martyrologio conscribantur, et anniversarium eorumdem annis singulis cum debita et consueta absolutione in capitulo celebretur.

70. Attenta paupertate et inopia monasteriorum de Alneto et de Barbereyo, generale Capitulum gratiose dispensat cum abbatibus et conventibus eorumdem, ut non obstantibus Ordinis statutis ac diffinitionibus in contrarium facientibus, a missione suorum studentium Parisiis per immediate sequens decennium sint supportati, praesertim cum quilibet eorum scolarem in Universitate Cadomensi sibi propinqua manuteneat, sintque eorumdem scolarium, qui iam ex licentia ad aliquos gradus in eadem Cadomensi Universitate recipiendos processerunt, prout alias per Capitulum fuit diffinitum et sibi permissum.

71. Ad instantiam illustrissimi principis et D. D. Georgii Bavariae ducis, praesens generale Capitulum gratiose dispensat cum abbate et conventu monasterii de Caesarea, ut non obstantibus Ordinis statutis in contrarium facientibus, monachum unum vel plures tenere possint in studio Ingolstat, licet ibidem non sit collegium Ordinis, attento quod capellam ibidem habeant, ac domum ubi aliunde necesse est aliquem de suis morari.

72. Generale Capitulum gratiose dispensat cum abbate mo-

nasterii de Eberbaco, ut novitios ante finem anni probationis ad professionem regularem Ordinis recipere valeat, si iudicio seniorum seu conventus ad hoc sufficientes et idonei comprobentur, Ordinis statutis et diffinitionibus in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

73. Eidem praeterea de Eberbaco gratiose concedit praesens generale Capitulum ut ob reformationem Ordinis personas utriusque sexus de uno monasterio ad aliud transferre valeat, atque in officiales instituere etiam non professos ibidem, secundum quod sibi pro reformatione commodum videbitur et opportunum, quodque in visitationibus monasteriorum sibi subditorum personas Ordinis utriusque sexus in casibus generali Capitulo reservatis absolvere possit, et hoc pro hoc anno dumtaxat.

74. Cum pisces et alii cibi regulares in monasteriis monialium atque in grangiis et aliis locis extra monasterium proprium, ad quae monachos aliquando mitti contingit, difficulter et sine magnis impensis haberi non possint, iuxta indultum felicis recordationis domini Sixti Papae IV, gratiose dispensat praesens generale Capitulum cum abbate monasterii de Eberbaco ac personis regularibus sibi subiectis, ut in praefatis locis, extra tamen Adventum et Septuagesimam, diebus dominicis, tertiis et quintis feriis, tam ipse abbas in persona propria quam personae regulares cum licentia tamen abbatis et non alias, carnibus vesci valeant, ita tamen, ut hoc modeste fiat, ubi requirit necessitas, aut causa subsit rationabilis, ne gastrimargiae vitium propter hoc aliquis eorum incurrat, aut saecularibus scandalum generent, quantum fieri potest praecavendo.

75. Ad idem, pro abbate et conventu in Heysterbach.

76. Ad idem, pro abbate et conventu in Loco Mariae moderno.

77. Ad idem, pro abbate et conventu de Uterina valle.

78. Quia peste epidemiae nuper saeviente in monasterio Vallis Sancti Petri in Heysterbach plurimis de fratribus ibidem de medio sublatis, non habentur ad praesens idonei ad generale studium mittendi, quia etiam ex frumenti vinique decrescentia ipsum monasterium annis iam proxime effluatis temporalium non parvam incurrit inopiam, generale Capitulum gratiose supportat abbatem et conventum ibidem a missione studentium pro tribus annis proxime futuris, attento quod magistrum habent doctum et idoneum, qui iuvenes suos in primitivis diligenter instruit et informat, quemadmodum fide digna relatione ad audientiam

eiusdem generalis Capituli deductum est, quem quidem magistrum aut alium aeque idoneum idem generale Capitulum in ipso monasterio pro instruendis interim iuvenibus mandat retineri.

79. Ad idem, pro domino abbate in Loco Mariae.

80. Praesens generale Capitulum gratiose concedit domino abbati in Heysterbach, ut infra sequens immediate biennium toties quoties opportunum fuerit et necessarium, omnes et singulas personas regulares absolvere valeant ab omnibus casibus generali Capitulo reservatis, utque infra idem similiter toties quoties confessorem eligat, qui eum a similibus casibus absolvere possit.

81. Ad instantissimam ac devotissimam petitionem generosi domini comitis in Seyna [d], Ordinis nostri benefactoris singularissimi, praesens generale Capitulum pie dispensat cum abbate et conventu monasterii Loci Sanctae Mariae, ut non obstantibus statutis et diffinitionibus Ordinis in contrarium facientibus, quolibet anno semel feria secunda infra octavas Corporis Christi ab hora vesperarum usque ad noctem exclusive, et feria tertia sequente a mane usque iterum ad vesperas inclusive, mulieres praesertim benefactrices, quae ob reverentiam venerabilis Sacramenti ibidem adorandi, pro indulgentiis suorum peccaminum acquirendis, illis devote advenerint iuxta indultum apostolicum per eumdem generosum dominum comitem impetratum, ecclesiam seu oratorium dicti monasterii, non tamen alia loca conventualia introire, et illic suas devotiones peragere permittere valeant, ita tamen quod nulla dictarum mulierum ibidem maneat per noctem.

82. Attenta paupertate et inopia maxima monasterii de Thorigneyo in Normandia, praesens generale Capitulum gratiose dispensat cum abbate et conventu ibidem, ut non obstantibus statutis Ordinis ac diffinitionibus in contrarium facientibus a missione studentium ad generale studium Parisiense per immediate sequens septennium sint supportati.

83. Attenta paupertate et reddituum tenuitate monasterii de Flexlya, praesens generale Capitulum gratiose dispensat cum abbate et conventu ibidem, ut non obstantibus statutis Ordinis

---

[d] Sina : *MP*².

in contrarium facientibus, a missione studentis ad generale studium Oxoniènse, per immediate sequens quinquennium sint supportati et excusati.

84. Pio ac devoto desiderio de providendis fratribus infirmis abbatis de Comprounicia benevolo concurrens assensu, praesens generale Capitulum gratiose concedit eidem abbati, ut villulam quamdam Boxssitze nuncupatam, cum suis censibus ac proventibus pro sustentandis infirmis fratribus sui monasterii assignare valeat, perpetuis futuris temporibus per infirmarium, qui etiam fidelem computum de his facere teneatur ad praedictos usus percipiendos, ne videlicet propter incursum hospitum aut aliam occupationem domini abbatis infirmos aliquando negligi contingat ; dat insuper praesens generale Capitulum facultatem et plenum posse eidem abbati de Compronnicia, ut duos fratres seniores sui monasterii unum de choro abbatis, alterum de choro prioris, a lectura mensae valeat suuportare, et ut omnes et singulas personas regulares sibi subiectas hinc infra annum proximum in foro conscientiae absolvere possit ab omnibus casibus et sententiis etiam generali Capitulo reservatis, et ut ipse infra eumdem annum confessorem eligat, qui eum a similibus absolvat.

85. Cum veneratio coronae spineae Domini nostri Iesu Christi eiusdem sacratissimae passionis sit recordatio, praesens generale Capitulum piae devotioni abbatum et conventuum monasteriorum minoris Poloniae congratulans eis, ut festum eiusdem coronae spineae cum XII lectionibus et historia propria peragere valeant, gratiose concedit.

86. Specialem gratiam facere volens domino abbati de Claratumba, ei gratiose concedit praesens generale Capitulum, ut tres religiosos sui monasterii inhabiles hinc usque ad Pascha proximum auctoritate totius Ordinis valeat rehabilitare.

87. Cum propter distantiam nimiam ac viarum discrimina, monasterium de Ebraco, monasterio de Morimundo immediate subiectum, non possit semper ad suum patrem abbatem ac visitatorem ordinarium habere recursum, ne propter hoc dictum monasterium aliquod in spiritualibus aut temporalibus et praesertim in novi abbatis creatione detrimentum pati contingat, praesens generale Capitulum non propter haec derogare volens auctoritati patris abbatis, sed eius absentiam, cum propter dictas causas commode vocari aut adesse non possit, facultatem et plenum posse concedit dominis abbatibus de Lank-

heim et de Fonte salutis, et eorum cuilibet in solidum, in electionibus novi abbatis dicti monasterii de Ebraco quoties hinc ad septennium vacaverit, et pater abbas non vocari poterit, auctoritate totius Ordinis praesidendi.

88. Quia lignorum et maxime quercinorum ad vasa conficienda et certa aedificia facienda utilium crebra abscisio monasteriis plurimum damnosa comprobatur, praesens generale Capitulum indemnitati monasterii de Ebraco providere cupiens, abbati, cellerario, omnibusque aliis dicti monasterii officiariis, sub excommunicationis et depositionis a suis dignitatibus et officiis poenis inhibet, ut de cetero ligna huiusmodi in suis sylvis, nisi ad opus proprium monasterii sui, scindi aut capi a quoquam permittant.

89. Quamquam sancti patres nostri Ordinis primaevi institutores sanctam simplicitatem aemulantes omnia quae curiositatem sapere videntur, a monasteriis et oratoriis abiicere sanxerunt; quia tamen Dominum in chordis et organo laudare per prophetam regium iubemur, praesens generale Capitulum gratiose concedit domino abbati Speciosae vallis suoque conventui, ut organa in sua ecclesia construere et in eisdem divinas laudes certis temporibus decantare possint et valeant, praesertim cum hoc non suis impensis sed elargitione cuiusdam nobilis, qui ad hoc opus 100 florenos rhenenses se daturum pollicitus est, se facturos asserant.

90. Pro parte abbatis et conventus monasterii Vallis Sancti Egidii in Buch, ad generalis Capituli deductum est notitiam quod ipsi in quodam oppido non longe a monasterio parochialem habeant ecclesiam sibi incorporatam, pro cuius administratione tres sacerdotes Ordinis cum duobus conversis ibidem quasi in monasterio sub regulari Ordinis observantia vivere consueverunt, ubi etiam consuetum est habere magistrum saecularem pro eiusdem monasterii iuvenibus in scientiis primitivis instruendis, cupiens igitur generale Capitulum ad decorem Ordinis doctos viros multiplicari in ipso Ordine, gratiose concedit, ut iuvenes religiosi ipsius monasterii in Buch, ac etiam aliorum monasteriorum vicinorum illic pro primitivis artibus hauriendis mitti valeant, ubi non tam in scientiis litterarum, quam in disciplina morum melius, quam in monasterio informari poterunt et doceri, proviso quod tam ipsi iuvenes quam etiam seniores ipsos regentes honeste ac religiose ibidem vivant, quod ubi secus factum

ab aliquo compertum fuerit, talis ad monasterium pro suo debito puniendus remittatur, nunquam deinceps illic reversurus.

91. Quia ut in certis Ordinis diffinitionibus invenitur sancti principales alicuius provinciae patroni, qui a vulgo communiter ibidem honorantur, ad tollendum scandalum populi etiam a personis Ordinis ibidem venerari debent aut possunt, non obstante quod per totum Ordinem festa illorum sanctorum minime celebrari consueverint, idcirco generale Capitulum gratiose admittit abbatibus et personis regularibus Ordinis in regno Hungariae constitutis, ut festum beati Stephani quondam regis Hungariae celebre habetur cum XII lectionibus celebrare valeant, non tamen in festo beati Bernardi quo vulgo celebratur, sed in crastinum ob reverentiam beatissimi patris nostri Bernardi transferendo, similiter et festum sancti Ladislai regis, et festum sanctae Elisabeth suis diebus celebrent, historiam etiam propriam de beata Elisabeth decantando, aliis vero omnibus historiis et cantibus ac festis in Ordine insolitis penitus reiectis iuxta formam Ordinis divinum officium Domino Deo persolvant.

92. Attenta paupertate et reddituum tenuitate monasterii de Ioyaco, praesens generale Capitulum pro studente Parisiis tenendo sibi adiungit monasterium de Noa, ita tamen quod abbas de Noa ipsi studenti 12 francos ministret, nisi tamen proprium voluerit mittere studentem.

93. Sub excommunicationis latae sententiae poena, praesens generale Capitulum abbatissae Vallis Benedictae inhibet ne de cetero solvat pensiones aliquas sororibus, quae ob causam reformationis et reclusionis ipsum monasterium reliquerunt, sed si reverti voluerint et sub Ordinis observantiae cum aliis vivere ipsas recipiat, et sicut ceteris necessarias vitae ipsis ministret ; similiter inhibet ipsis monialibus sub eadem excommunicationis et carceris poena, ut pensiones huiusmodi deinceps per se vel alios requirant, aut requiri faciant ; abbatibus de Signiaco, de Valle Sancti Lamberti et de Molinis vel uni eorum praesentis diffinitionis executionem committendo, quibus etiam committit praesens generale Capitulum, quatinus diligenter se informent super quibusdam redditibus, ut dicitur, nimium remotis monasterio Vallis Benedictae, quos vendere intendit abbatissa ibidem et alios propinquiores pro illis emere, et secundum quod ad utilitatem monasterii easdem venditionem et emptionem conducere invenerint, referant in proxime futuro generali Capitulo.

94. Abbati in Oliva praesens generale Capitulum indulget infra biennium ut confessorem eligere possit qui eum absolvat ab omnibus casibus generali Capitulo reservatis, et similem etiam absolutionis gratiam suis subditis per se vel alium confessorem idoneum.

95. Cum tam iuxta doctrinam evangelicam quam sanctorum patrum sanctiones multiloquium in oratione ac divino servitio minus laudabile iudicetur, per quod nonnunquam vanitati potius quam devotioni inservitur, ea de re abusum quorumdam in monasterio Buch de certis psalmis ante vigilias ac ceteras horas canonicas per singulas personas Ordinis regulares ibidem legendas sub panis et aquae poenis dudum introductum de medio tollere cupiens praesens generale Capitulum, abbati, priori et suppriori ibidem inhibet ne de cetero ad huiusmodi psalmos ultra horas canonicas legendum per poenas aliquas quoscumque compellant, sed de ipsis horis canonicis iuxta communem formam Ordinis debite decantandis sint contenti, si tamen devotionis causa huiusmodi psalmos aut alias privatas orationes aliqui dicere voluerint extra tempus servitii admittant, ita tamen quod per hoc ordinarium officium non impediatur.

96. Cum secundum Ordinis instituta canonica, monasteria subiecta fore debeant illis a quibus conventus sui primo exierunt, diffinit praesens generale Capitulum monasterium in Buch esse debere matrem monasterii de Monte in Ungaria, abbatesque in Buch praesentem et futuros in perpetuum ius visitationis et paternitatis tamquam veros patres abbates et visitatores ordinarios ibidem habere, attento quod totus conventus modernus, quo monasterium ipsum de Monte Mariae denuo restauratum est ab eodem monasterio de Buch exivit.

97. Fidelis diligentiae ac studiosi laboris condignam retributionem abbatibus bene sua monasteria in utroque regimine gubernantibus, uti decet, impendere cupiens generale Capitulum abbati in Buch gratiose concedit ut de censibus, redditibus et proventibus, quod proprio labore et industria monasterio acquisivit, medietatem recipere ac suis particularibus usibus applicare possit et valeat, dummodo tamen huiusmodi medietas 60 librarum turonensium summam non excedat.

98. Abbati Novalis Sanctae Mariae, in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae poena, inbet praesens generale Capitulum, ne deinceps abbatem de Rid-

dageshusen aut quoscumque alios per inimicitias nobilium aut aliorum incommodorum inflictionem quomodolibet molestet aut molestari procuret super eo quod dominum Paulum se in monasterio Walkenried intrudere volentem incarcerarunt ; executionem eiusdem diffinitionis omnibus et singulis abbatibus et sacerdotibus Ordinis committendo.

99. Miserabili casui monasterii de Raitenhaslach nuper igne quasi totaliter concremati pio compatiens affectu praesens generale Capitulum, per immediate sequens biennium, abbatem quidem monasterii a via generalis Capituli excusatum habens eidem concedit ut per idem biennium confessorem eligere valeat, qui eum toties quoties dicto durante biennio ab omnibus casibus, etiam generali Capitulo specialiter reservatis absolvat, atque omnes et singulas personas regulares per idem biennium quoties indiguerint ab eisdem casibus per se vel alium confessorem Ordinis ad hoc idoneum absolvere possit.

100. Praesens generale Capitulum veritati testimonium perhibere cupiens omnibus et singulis quorum interest aut interesse poterit, notificat per praesentes, quod constitutio felicis recordationis domini Benedicti Papae XII quae incipit *Fulgens quasi stella*, necnon et aliae eiusdem constitutiones super reformatione Ordinis nostri Cisterciensis editae, quarum originalia apud Cistercium ac in nonnullis aliis monasteriis Ordinis reperiuntur, copiae vero earumdem iuxta Ordinis ipsius diffinitiones in omnibus monasteriis Ordinis sub poenis maximis haberi praecipiuntur, ab ipso Ordine, a primaeva sui traditione et publicatione fuerunt receptae, et ab ipso Ordine eiusque personis usque hodie observatae, praesertim quoad primum eiusdem primae constitutionis capitulum, quod de modo alienationum rerum ipsorum monasteriorum aut censuum assignatione mentionem facit, declaratque idem Capitulum generale omnes et singulos contractus per personas Ordinis factos vel passatos contra modum aut formam ibidem expressam nullius esse roboris vel momenti.

101. Generale Capitulum districte sub poenis et censuris Ordinis praecipit et mandat abbati de Sancta Cruce in Austria, quatinus viis et modis sibi possibilibus recuperet et ad manus Ordinis reponat, seu recuperari et reponi procuret et faciat collegium Viennense, quod per incuriam suam ab Ordine fuit alienatum et separatum ; executionem praesentis diffinitionis

primo abbati super hoc requirendo, committendo, in plenaria Ordinis potestate.

102. Generale Capitulum fratri Petro Hotecorne, in sacra pagina baccalario, subvenire ac suis necessitatibus providere cupiens, mandat et praecipit sub poenis et censuris Ordinis, abbati de Gardo, quatinus hoc anno iam finito 12 francos pro vestiario et provisionibus dicti fratris Petri, et aliis singulis annis, quamdiu extra monasterium praefatum de Gardo, ubi professus est, extiterit, infallibiliter 8 francos det aut mittat; executionem praesentis diffinitionis omnibus et singulis personis Ordinis in presbyteratus ordine constitutis super hoc requirendis committendo.

103. Cum iuxta privilegia a Sancta Sede Apostolica Ordini indulta et confirmata, et maxime a domino nostro domino Sixto Papa IV, nulli commendatario liceat sententias excommunicationis aut quamcumque iurisdictionem in religiosos monasteriorum sibi commendatorum exercere, sed solum hoc patribus abbatibus pertinere certum sit, quod si secus fecerint, aut aliquam sententiam in dictos religiosos promulgarent, fulminarent aut publicarent, totum irritum sit et inane. Et quia reverendus pater dominus Reverius Lucas, commendatarius monasterii de Eleemosina quasdam sententias excommunicationis et alias declarationes et publicationes in fratrem Ioannem Couchet et alios eiusdem monasterii professos promulgare et declarare praesumpsit, contra formam et tenores dictorum privilegiorum generale Capitulum dicta privilegia illibata et integra conservare et oppressis subvenire et de remedio opportuno providere cupiens, omnes et singulas censuras, sententias et poenas per dictum dominum commendatarium in dictos fratres promulgatas et pronuntiatas seu promulgandas et in futurum pronuntiandas nullas et inanes, dictosque religiosos non fuisse nec esse per praemissa quovismodo excommunicatos, inhabiles aut irregulares se immiscendo divinis aut alias, denuntiat et declarat.

104. Attenta paupertate et reddituum tenuitate monasterii de Alta sylva, Tullensis dioecesis, praesens generale Capitulum pro studente Parisiis tenendo sibi adiungit monasteria de Theoloco et de Lococrescenti, ita quod quilibet dictorum abbatum annuatim sub poenis et censuris Ordinis contribuet eidem studenti summam 10 francorum, nisi tamen proprios studentes Parisiis mittere et tenere voluerint; executionem praesentis diffinitionis

primo abbati seu religioso in sacro presbyteratus ordine constituto committendo, in plenaria Ordinis potestate.

105. Capitulum generale de multiplicitate virtutum abbatis monasterii Speciosae vallis confidens, de gratia speciali concedit eidem auctoritatem et facultatem, ut anno praesente durante possit omnes et singulos suos religiosos in foro conscientiae ab omnibus et singulis casibus, peccatis, criminibus et delictis generali Capitulo reservatis, salutari poenitentia mediante, absolvere, et quod ab uno suorum religiosorum a praedictis casibus possit absolvi, dat etiam idem generale Capitulum praefato abbati auctoritatem et facultatem rehabilitandi ad omnes Ordinis actus legitimos, voces, gradus, beneficia et dignitates duos ex suis religiosis, propter quoscumque inhabiles casus, in plenaria Ordinis potestate.

106. Quia plures causae in hoc generali Capitulo tractandae propter brevitatem temporis ad praesens expediri non potuerunt, iuxta laudabilem consuetudinem Ordinis semper observatam, committit generale Capitulum decisionem omnium et singularum causarum motarum et movendarum quae hic terminari non potuerunt, R. D. Cistercii ceterisque Diffinitoribus, qui secum apud Divionem remanebunt.

CONTUMACES

107. Priorem et procuratorem monasterii Bonae aquae, Lemovicensis dioecesis, debite et sufficienter ad secundam diem praesentis Capituli generalis personaliter et peremptorie per dominum Morimundi citatos, vocatos, et non comparentes, nec aliqui pro eis, idem praesens generale Capitulum ad instantiam promotoris causarum Capituli, ipsos declarat contumaces, rebelles et excommunicatos ; executionem praesentis diffinitionis omnibus et singulis regularibus personis Ordinis in sacro presbyteratus ordine constitutis committendo.

REHABILITATIONES

108. Ad humilem supplicationem abbatis de Belloprato, Belvacensis dioecesis, Capitulum generale fratrem Fulcardum Vincencii, professi eiusdem monasterii, ab omni infamiae nota et inhabilitatis macula, quam incurrit seu incurrere poterat fere

per 14 annos apostatando, et missas in apostasia saepius celebrando, super quibus poenitentiam sibi iniunctam humiliter peregit, relevat et rehabilitat, cum eodem fratre misericorditer dispensando, ut praemissis non obstantibus ad omnes Ordinis actus legitimos, voces, gradus, officia, beneficia et dignitates promoveri possit et admitti, omnibus et singulis Ordinis personis cuiuscumque sexus, gradus aut dignitatis existant, districte sub poena talionis inhibendo ne occasione praemissorum eidem fratri Fulcardo aliquid dedecoris improperent aut inferant.

109. Ad idem, pro fratre Petri de Alteravilla, professo monasterii de Claravalle, ad instantiam et supplicationem praefati abbatis Claraevallis per abbatem de Longovado generali Capitulo porrectam, ut non obstante carnis contagio contracto cum quadam iuvencula per ipsum in una camera infra et prope portam dicti monasterii contra ordinationem R. D. N. Cisterciensis et tenoris statutorum Ordinis introducta, et per aliquot hebdomadas in eadem retenta, super quibus districtam sibi iniunctam poenitentiam peregit, ad omnes Ordinis actus legitimos, voces, gradus, officia, beneficia, dignitates, etiam abbatiali dignitate inclusa, promoveri possit et admitti, inhibendo, etc.

110. Ad idem, pro fratre Ioanne Aubriot, monacho professo monasterii Cariloci, ad instantiam et humilem supplicationem abbatis sui, ut non obstante apostasia continuata per sex menses, habitu regulari minime dimisso, et quod sacros ordines in Curia romana sine sui praefati abbatis licentia receperit, super quibus poenitentiam humiliter et devote peregit, ad omnes Ordinis actus legitimos, voces, gradus, officia, dignitates promoveri possit et admitti.

111. Ad idem, pro fratre Vitale Marcou, professo monasterii Fontisfrigidi, ab omni infamiae nota et inhabilitatis macula, quas incurrit apostatando, et furtum committendo, praemissis non obstantibus possit promoveri ad omnes Ordinis actus legitimos, etc., abbatiali dignitate nullatenus inclusa.

112. Ad idem, pro fratre Claudio Barre, professo eiusdem monasterii Fontisfrigidi, ab omni infamiae nota, etc., quam incurrit apostatando et contagium carnis committendo, super quibus poenitentiam sibi iniunctam humiliter et devote peregit, praemissis non obstantibus ad omnes, etc., abbatiali seclusa dignitate.

113. Ad humilem supplicationem abbatis de Fusniaco, Capitulum generale ab omni infamiae, etc., quam frater Iacobus de

Brupelles, alias de Tornay, professus eiusdem monasterii, hora quasi mediae noctis in loco profano una cum quodam alio religioso fugitivo iniecerit usque ad sanguinis effusionem... super quo poenitentiam sibi iniunctam peregit, etc.

114. Ad idem, ad instantiam abbatis de Riddageshusen, pro fratre Conrado professo suo, ut non obstante carnis contagio, quod commisit, ad omnes, etc.

115. Ad idem, pro fratre Gregorio, pofresso in Claratumba, non obstante apostasia, habitu religionis dimisso, ad supplicationem abbatis sui.

116. Ad idem, ad instantiam abbatis Vallis clarae, pro fratre Ambrosio Frossart, professo eiusdem monasterii, ut non obstante quod sit de illegitimo thoro procreatus, possit, etc., dignitate abbatiali seclusa.

117. Ad idem, ad instantiam abbatis Septem fontium, pro fratre Laurentio Barbier, professo suo, ut non obstante carnis contagio cum quadam muliere in monasterio praefato perpetrato, possit, etc.

118. Ad idem, ad instantiam abbatis de Vaucellis Capitulo generali per magistrum Iacobum du Breuquet oblatam, pro fratre Ioanne de Vinea eiusdem monasterii professo, ut non obstante carnis contagio, quod contraxit cum sorore Ioanna de Moucheaux, professa monasterii de Virgulto, ubi pater confessor erat, ad omnes, etc.

119. Ad humilem et instantissimam supplicationem domini abbatis Novicastri, praesens generale Capitulum gratiose dispensat cum fratre Ioanne Gadsor, professo ibidem, ut non obstante inhabilitatis nota, quam incurrit, a suo monasterio per annum integrum apostatando, ac secum bona aliqua furtive asportando, necnon cum plurimis mulieribus coniungatis et solutis per carnis contagium votum castitatis transgrediendo, pro quibus tamen per commissarios Ordinis punitus et emendatus est, ad omnes et singulos Ordinis gradus et actus legitimos, administrationes, officia et dignitates, abbatiali dignitate seclusa, valeat admitti, quodque sui abbatis super hoc petita licentia et obtenta ad aliud monasterium Ordinis transire valeat, et ibidem suam professionem firmare, quia, ut dicit, in proprio monasterio deinceps quiete vivere non potest.

120. Ad humilem et instantissimam supplicationem domini abbatis de Flexlya, praesens generale Capitulum gratiose dispen-

sat cum fratre Richardo Wodmard ibidem professo, ut non obstante inhabilitatis nota, quam incurrit, ex eo quod de falsitate monetae, proprietatis vitio, contagione carnis diffamatus extitit, licet non convictus, ad omnes gradus et actus legitimos, necnon administrationes, officia et dignitates, abbatiali dignitate inclusa, valeat admitti.

121. Generale Capitulum gratiose agere volens cum fratre Petro monasterii de Pelisio professo, secum misericorditer dispensat, ut non obstante inhabilitate quam incurrit fractis carceribus, quibus propter certa sua demerita mancipatus fuerat, a monasterio sine licentia fugiendo, ad omnes et singulos Ordinis gradus et actus legitimos officia quoque dignitates et administrationes, si aliunde ad hoc idoneus a suis superioribus inventus fuerit, eligi valeat et admitti.

122. Gratiose agere volens generale Capitulum cum fratre Ioanne Ottinger, professo monasterii in Raitenhaslach, ad humilem supplicationem abbatis misericorditer secum dispensat, ut non obstante inhabilitatis nota, quam incurrit litteras viaticas seu commendatitias sibi ab abbate proprio traditas vitiando et falsificando, pro quo tamen poenitentiam sibi iniuctam devote peregit, ad omnes et singulos Ordinis gradus et actus legitimos, necnon et officia, dignitates et administrationes, si aliunde sufficiens ad haec reperiatur, eligi valeat et admitti, sub poena talionis inhibens omnibus personis Ordinis, ne propterea quidquam sibi dedecoris improperent aut eum quovismodo impediant, quominus haec praesenti gratia pacifice gaudeat et utatur.

123. Ad idem, pro fratre Ioanne Auwiler, professo monasterii Speciosae vallis, qui propter apostasiam sex hebdomadarum, habitu regulari reiecto, inhabilitatem incurrit.

SUFFRAGIUM PRO BENEFACTORIBUS

124. Universis et singulis christifidelibus has praesentes visuris et audituris, frater Ioannes, abbas Cistercii, totusque conventus abbatum Cisterciensis Ordinis in hoc generali Capitulo congregatorum, orationum in Domino suffragium salutare. Cum, ut dolenter suscepimus, monasterium Beatae Mariae de Thorigniaco guerrarum incursibus ac aliis sinistris eventibus ad tantam redactum sit inopiam, ut nisi a christifidelibus piis elemosinis sublevetur, fratres ibidem pro divini cultus obsequiis minime possint

sustentari, hinc est quod universitatem vestram ad eidem monasterio pie subveniendum invitare cupientes, omnibus et singulis qui infra continue sequens biennium suas illic pias elemosinas largiti fuerint, aut ad structuram seu fabricam dicti monasterii, seu librorum, calicum, ceterorumque ornamentorum ecclesiasticorum reparationem, aut etiam fratrum ibidem Altissimo famulantium sustentatione manus porrexerint adiutrices, auctoritate totius Ordinis qua fungimur plenam participationem concedimus omnium bonorum spiritualium, videlicet missarum, vigiliarum, horarum canonicarum, orationum, suffragiorum, disciplinarum, ieiuniorum, abstinentiarum, sermonum, lectionum, hospitalitatum, elemosinarum, laborum, ceterorumque divini cultus officiorum, quae fiunt et, favente Domino, de cetero fient in toto Ordine nostro, in vita vestra pariter et in morte, adiicientes quod cum obitus vestri, utinam felices in Domino, nostro fuerint generali Capitulo nuntiati, ibidem sicut unus nostrum absolvemini, omniumque missarum et orationum, quas pro fratribus nostris defunctis annis singulis iniungimus faciendas participes eritis et consortes. Datum Cistercii sub appensione sigilli Diffinitorum dicti Capituli, die 14 mensis septembris, anno Domini M.CCCC.LXXXVI.

125. Ad instantiam abbatis Caroliloci conceditur suffragium Ordinis pro domino Oswaldo de Monte, milite et barone, et coniuge sua domina Elisabeth de Mociza.

126. Item, pro domino Arnoldo de Middachten milite, et coniuge sua domina Mabilia de Wilp.

127. Magister Guillelmus Bataille.

128. Ad requestam abbatis de Mulbrone, conceditur participatio omnium bonorum spiritualium nobilissimae ac illustri dominae Otiliae marchionissae de Baden, et quod semel anno quolibet cum decem personis feminei sexus ingredi valeat monasterium monialium... *(locus vacuus)* et illic carnibus tempore quo conventus eis utitur ipsa cum suis vesci.

129. Ad instantiam venerabilis patris domini Henrici Blanchoti, prioris Sancti Loci, alias Vallis caulium de Divione, conceditur participatio omnium bonorum spiritualium omnibus benefactoribus ecclesiae dicti prioratus.

130. Ad requestam abbatis Longivadi conceditur suffragium magistro Remigio Iuntini, consiliario ducis Britanniae baillivo

Desparnay et advocato generali domini ducis Britanniae, in comitatu Nannetensi, uxori et liberis.

131. Ad idem, pro honorando viro Ioanne Dongny civi Cathalaunensi, uxore et liberis eius.

132. Ad instantiam domini abbatis de Valle dulci, pro nobili et strenuo viro in Christo nobis dilectissimo Iacobo de Coitier, militi ac camerae computorum Parisiis vicepraesidenti, et domicellae Margaretae Le Clerc suae dilectissimae ac devotae consorti ac eiusdem utriusque sexus liberis.

133. Ad idem, pro nobili et strenuo viro magistro Eustachio de Sansac scutifero camerae computorum Parisiis magistro et domicellae N. eius consorti et liberis.

134. Ad instantiam eiusdem pro magistro Bartholomeo de Boneraort presbytero, in decretis licentiato, archidiacono insignis ecclesiae Lingonensis.

135. Ad idem, pro magistro Philiberto de Mairy, presbytero licentiato in decretis.

1487

Quarto idus augusti huiusce anni, directa fuit ad capitulum cisterciense Innocentii VIII epistola MEDITATIO CORDIS NOSTRI, *quae legi potest tum apud J. Paris,* NOMASTICON CISTERCIENSE, *edit. Sejalon, Solesmis,* 1892, *p.* 541, *tum apud Henriquez,* REGULA, CONSTITUTIONES ET PRIVILEGIA ORD. CISTERC. *Antverpiae,* 1630, *p.* 175, *et etiam in libro cui titulus* PRIVILEGIA ORD. CISTERC. *impresso Divione a Petro Metlinger,* 1491, *opera et impensa Ioannis de Cireyo, Cisterc. abbatis, qui huius epistolae sequens summarium praebet* : « Peroptima et quasi divina ad ordinis restaurationem provisio, quia propter clamores et querelas diversorum regum et principum ac dominorum temporalium ex omni parte mundi super desolatione monasteriorum ordinis, maxime suae

1487. *Fontes* : A^4 : 8, 9, 10 *(abbrev.)*, 11, 12, 18, 20 ; L^5 : 1-146 ; *M* : *abbrev.* 11 *et* 14 ; P^2 : *quasi titulum inscribit* : Sub Innocentio 8°, et Carolo francorum rege qui scribitur fundator Cistercii, *deinde abbrev.* : 11, 14 *et* 23 ; *W* : *abbrev.* 14, 23 *et* 96, *deinde citat* 2 *partem* 99 *et* 147.

fundationis, inhonestatemque conversationis multorum de ordine, sollicitabant ut eiectis personis ordinis de dictis monasteriis, ordinem in eisdem locis supprimeret et alium ordinem institueret. Sed propter rationes in textu positas, ex paterna benignitate hoc facere distulit, tria ordini non minus necessaria quam utilia sub excommunicationis latae sententiae poena, etc., fieri praecipiendo, videlicet : quod generale capitulum taliter provideat singulis annis de bonis visitatoribus et reformatoribus, quod monasteria ordinis ubicumque existentia reformentur et ad pristinae observantiae puritatem reducantur ; quod omnes abbates iuxta *Benedictinam* et ordinis statuta veniant aut mittant ad capitulum generale apud Cistercium, legitimo cessante impedimento, aut nisi habeant licentiam ab eo qui dare potest ; et pro securitate conscientiarum, vide quis alius ille sit praeter generale capitulum et abbatem Cistercii, in quo solo iuxta bullam praecedentem capitulo cessante residet ordinis potestas, aut ab eis expressam huiusmodi habens potestatem, licentiam seu excusationem talem dare potest ; quod sub eisdem excommunicationis necnon privationis monasteriorum et officiorum quae obtinent, ac etiam cessationis commendarum, latae sententiae poenis eo ipso incurrendis, appellatione non obstante, abbates commendatarii, priores et officiarii dictorum monasteriorum singulis annis indilate solvant ex integro summas et quottas contributionum monasterii et locis ordinis per generale capitulum impositas, taxatas et limitatas, et considerato valore praesenti redditum, fructuum et proventuum dictorum monasteriorum et locorum imponendas, taxandas et limitandas ; praecipiendo generali capitulo ut taxas huiusmodi reducant, limitent et moderentur; sub dictis poenis inhibendo universis et singulis ne directe vel indirecte etiam per forum saeculare solutionem huiusmodi contributionum impediant, aut de eis quidquam absque speciali ordinatione capituli generalis seu abbatis Cistercii percipere vel levare praesumant. Vide attente textum, quia impossibile esset omnia sufficienter summario explicare. Cum clausula quod transumptis fides adhibeatur sicut originali, etc.

* * *

STATUTA EIUSDEM ANNI

Anno[a] Domini millesimo quadringentesimo octogesimo septimo, in generali Capitulo apud Cistercium, statuta et diffinita sunt quae sequuntur.

ORATIONES

1. Pro sanctissimo ... *etc. ut in anno* 1484.
2. Praeterea pro serenissimo... *etc. ut in anno* 1484.
3. Insuper pro burgensibus... *etc. ut in anno* 1449.
4. Ceterum pro pace... *etc. ut in anno* 1449.
5. Demum pro felicis... *etc. ut in anno* 1470.

DIFFINITIONES GENERALES

6. Cum Ordo noster... de antiquo debito, ac etiam in summa 5478 florenorum, 14 solidorum de resta ultimorum computorum de et pro tempore praeterito... *etc.* contributionem novem millium florenorum... *etc. ut in anno* 1449.

7. Cum retroactis annis multae et variae in generalibus Capitulis factae fuerint citationes, monitiones, comminationes et fulminationes contra abbates non venientes ad generale Capitulum, ut tam iuxta primaeva Ordinis fundamenta, Summorum Pontificum decreta multiplicia, ac Capitulorum generalium salutaria instituta singulis annis omnes et singuli venire et ibidem comparere tenentur, neque tamen adhuc venire aut comparere curaverunt in hoc praesenti Capitulo nisi paucissimi, praesens generale Capitulum tam praeteritas negligentias diu per patientiam toleratas, debita districtione punire, ac pro tempore futuro providere cupiens, omnes et singulos abbates, qui in hoc praesenti Capitulo non comparuerunt, neque suas legitimas excusationes per dominos Diffinitores acceptatas miserunt, declarat contumaces, et pro sua contumacia sententiam excommunicationis et alias in *Benedictina* et aliis Ordinis statutis contentas, censuras et poenas incurrisse, mandando omnibus et singulis commissariis

[a] *Titulus apud* L^5.

Ordinis in virtute salutaris obedientiae, et sub eisdem sententiis, censuris et poenis, quatinus sententias, censuras et poenas huiusmodi eos et eorum quemlibet ipso facto incurrisse ubilibet denuntient et declarent ; et nihilominus quod parendo mandatis Sanctissimi domini nostri domini Innocentii Papae moderni, cuius Sanctitas suis patentibus bullis hoc praecipit et mandat, citent omnes et singulos abbates Ordinis ubilibet constitutos, quos et praesens generale Capitulum citat per praesentes, ut omni impedimento semoto in proximo futuro generali Capitulo personaliter comparere non omittant, ad videndum et audiendum ibidem diversas gratias, privilegia et instituta salutaria per eumdem Sanctissimum dominum nostrum Ordini gratiose concessas et concessa, atque ad tractanda nonnulla maxima Ordinis agenda, tam per iam dictum Sanctissimum dominum nostrum iniuncta, quam aliunde pro reformatione Ordinis necessaria et opportuna, cum intimatione quod nisi venerint, aut suos legitimos procuratores qui de eorum impedimento inevitabili fide fecerint, ut moris est in Ordine, omnes et singulas Ordinis sententias, censuras et poenas in *Benedictina* et aliis Ordinis statutis contentas procul dubio incurrisse declarabuntur.

8. *Contra monachos girovagos.* Scandaloso ac totius Ordinis honorem plurimum denigranti quorumdam monachorum girovagorum crebro discursu finem imponere, et animarum ipsorum saluti providere cupiens, praesens generale Capitulum conformiter ad diffinitiones pluribus annis praeteritis super hoc editis, hac perpetua et in aeternum valitura constitutione diffinit, ut nullus abbas, prior aut alius regimini alicuius monasterii praesidens, monachum aliquem sive ad suam propriam petitionem, sive quavis alia de causa, aut pro quocumque delicto, sive ad tempus, sive in perpetuum, a proprio suo monasterio emittat aut expellat, nisi tale fuerit delictum, quod in proprio monasterio nullomodo puniri possit, aut talis subsistat causa rationalis propter quam ad aliud monasterium necessario sit transmittendus ; his enim causis subsistentibus et non aliter emitti possit, sic tamen ut abbas, prior aut praesidens sic emittens prius de loco ubi recipi debeat, fuerit certificatus, tunc eum ad locum illum cum sufficienti vestium, librorum ac sumptuum provisione, consilio etiam et consensu patris abbatis aut aliorum vicinorum abbatum, cum litteris commendatitiis ordinate transmittat, a quo loco, si ibidem recipi non valeat, nullibi alias nisi ad proprium

monasterium est remittendus. Mandat etiam et praecipit idem generale Capitulum, in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis poena, omnibus et singulis abbatibus, prioribus aut praesidentibus supradictis, quatinus omnes et singulos monachos ad se cum litteris vel sine litteris commendatitiis venientes, quos secum retinere noluerint, ad nullum alium locum, nisi ad proprium monasterium remittant sub eisdem poenis mandando abbatibus, prioribus et monasteriorum regimini praesidentibus universis, quatinus suos sic sibi remissos monachos reassumant, aut illico eis provideant de alio loco regulari, ubi retineantur, ne in scandalum Ordinis diutius per saeculum vagari compellantur. Si vero monachi tales ad propria redire nollent, capiantur et vinculis mancipati ad proprium suum monasterium expensis abbatis seu prioris proprii reducantur etiam inviti.

9. *De personis ordinem nostrum non professis non eligendis nec postulandis.* Cum iuxta Ordinis nostri privilegia et instituta apostolica et canonica, nullus debeat in Ordine ipso assumi in abbatem aut pastorem alicuius monasterii, nisi ipsum nostrum Ordinem per annum ad minus antea fuerit professus, abusioni detestabili quorumdam monachorum qui personas alias quam tales, sive saeculares sive alterius Ordinis quam nostri, in suis monasteriis in abbates seu pastores eligere seu postulare praesumunt, obviare cupiens praesens generale Capitulum hac perpetua constitutione inhibet omnibus et singulis Ordinis monachis seu personis regularibus, sub excommunicationis latae sententiae et inhabilitatis poena ad quaecumque officia, ne deinceps tales electiones seu postulationes quovismodo faciant aut fieri permittant, mandans et praecipiens sub poenis similibus patribus abbatibus aut electionibus in Ordine faciendis praesidentibus universis, quatinus electiones seu postulationes huiusmodi minime admittant, quinimo sic eligentes seu postulantes poenas praedictas ipso facto incurrisse pronuntient et declarent, electiones et postulationes sic factas irritando, cassando et annullando, quemadmodum praesens generale Capitulum omnes et singulas sic praetensas electiones seu postulationes irritat, cassat et annullat, in plenaria Ordinis potestate.

10. *Quod ordo non nisi cisterciensis nominetur.* Cum a venerabili et insigni monasterio Cisterciensi tamquam matre ac fundatrice totius Ordinis nostri Ordo Cisterciensis vocabulum seu nomen suum non immerito traxerit, et tam a Sanctissimis in Christo

patribus et dominis dominis Summis Pontificibus in suis rescriptis quam aliis omnibus praelatis, principibus ac dominis ecclesiasticis et saecularibus, necnon ab universo mundo a primaeva origine ipsius Ordinis usque in praesens, Ordo Cisterciensis semper appellari consueverit, praesens generale Capitulum superstitiones et novitates quorumdam detestans, qui vel Ordinem sancti Bernardi vel griseum aut album Ordinem ipsum nuncupare tam verbo quam scripto nonnunquam praesumunt, per quod Ordo suis privilegiis quae sub nomine Cisterciensi concessa sunt tandem privari ac monasteria et loca seu membra Ordinis ab ipso Ordine distrahi vel abscindi possent, obviare cupiens idem Capitulum hac perpetua constitutione conformiter ad laudabilem consuetudinem hactenus observatam, quae pro lege haberi debet, statuit et diffinit quatinus ipse Ordo noster nullo alio nomine nisi Cisterciensis nominetur, inhibens omnibus et singulis personis Ordinis universi, sub excommunicationis et aliis censuris et poenis Ordinis formidabilibus, ne se aut sua monasteria deinceps Ordinis sancti Bernardi, seu cuiuscumque alterius denominatione nisi Cisterciensis, dumtaxat scribere seu nominare audeant non tamen propter hoc derogando honori sanctissimi patris nostri Bernardi, qui licet ipsum Ordinem nostrum sanctitate vitae, doctrinae profunditate, ac gloriosis miraculis plurimum illustraverit, non tamen ipsum fundavit, aut incepit, imo per multos annos post ipsius Ordinis inchoationem in Cistercio, Cistercium adhuc saecularis intravit, ibidemque habitum Ordinis suscepit, et professionem regularem emisit, se monachum Cisterciensem constituendo, et ubique ac semper asserendo ; executionem praesentis diffinitionis omnibus et singulis Ordinis commissariis committendo, in plenaria Ordinis potestate.

11. *De habitibus.* Cum inter cetera honor et decus nostri Cisterciensis Ordinis magnificae excellentiae potissimum esse videatur uniformitas, quae in habitibus, libris, aedificiis ac aliis ad statum monasticum pertinentibus per totum orbem ubique similiter hactenus observari consuevit, praesens generale Capitulum sufferre non valens praesumptionem quorumdam Ordinis monachorum ac personarum regularium, qui contra uniformitatem huiusmodi singulariter apparere volentes, novitates quasdam in cucullis, scapularibus, tunicis, cappis, et aliis huiusmodi introducere nituntur, tam in colore quam in factura seu forma ipsorum habituum, conformiter ad diffinitiones prius factas prae-

cipit et mandat omnibus et singulis Ordinis visitatoribus, reformatoribus aut commissariis, quod ubicumque in monasteriis per eos visitandis, seu alibi personas Ordinis huiusmodi habitus sive in colore sive in forma et factura difformes, et aliter dispositas quam ab antiquo in Cistercio consuetum est, portare seu habere repererint, illos habitos inordinatos ab eis auferant, atque ad habendum et portandum habitus regulares ordinatos ac secundum colorem et formam seu in Cistercio solitas dispositos, ipsas personas Ordinis et earum quamlibet per censuras Ordinis compellant, in plenaria Ordinis potestate.

12. *Pro procuratore ordinis in romana curia.* Ad audientiam generalis Capituli non sine displicentia gravi pervenit, quod quidam Ordinis abbates, priores aut monachi ad romanam Curiam pro suis negotiis particularibus venientes sine scitu et consensu reverendissimi domini protectoris aut procuratoris Ordinis generalis, multas ibidem sollicitant causas ac impetrant et obtinent gratias contra communia Ordinis statuta, iura et privilegia ac diffinitiones Capitulorum generalium; quidam etiam eorum Ordinem scindere atque ab Ordinis unitate se segregare volentes alios protectores et procuratores particulares instituunt, ut illorum iuvamine attentata per eos facilius possint obtineri; quibus omnibus et aliis inconvenientiis, quae ex hoc in Ordine oriri possent, obviare cupiens praesens generale Capitulum, sub excommunicationis et incarcerationis poenis inhibet omnibus et singulis abbatibus, prioribus aut personis regularibus Ordinis universi, cuiuscumque status, conditionis, praeeminentiae aut dignitatis fuerint, ne de cetero in romana Curia quidquam attentare, sollicitare, petere aut impetrare quomodolibet praesumant, nisi cum scitu et expressa licentia ac consensu reverendissimi domini protectoris Ordinis, aut procuratoris generalis, quibus vel alteri eorum iuxta antiqua Ordinis statuta infra trium dierum terminum quamprimum ad romanam Curiam venerint, se praesentare tenebuntur, sua negotia propter quae missi sunt, eis intimando; sub eisdem etiam poenis inhibet idem Capitulum ne eorum aliqui alios protectores seu procuratores particulares sive pro personis et monasteriis, sive pro provinciis aut nationibus Ordinis instituant aut impetrent, sed omnes maneant sub protectore et procuratore Ordinis generalibus per generale Capitulum institutis.

13. Cum, ut ad audientiam Capituli generalis pervenit, plurimi abbates, priores, commendatarii, cellerarii, bursarii, aliique monasteriorum nostrorum gubernatores, vel eorum loca tenentes, virtute statutorum papalium ac privilegiorum Ordinis in diversis mundi partibus, per procuratores et commissarios Ordinis super solutione contributionum ac subsidiorum Ordinis suis monasteriis impositorum legitime fuerunt moniti, et sufficienter expectati, neque tum adhuc satisfacere, sive praedictas contributiones et subsidia praedicta solvere curaverunt, praefatum Capitulum generale eos rebelles et contumaces reputans, ipsos et eorum quemlibet, qui moniti usque in praesens non solverunt, omnes et singulas sententias, censuras et poenas in *Benedictina, Piina, Paulina, Sixtina,* et aliis Ordinis statutis et privilegiis contentas, de facto incurrisse denuntiat et declarat, mandans ac praecipiens sub eisdem poenis omnibus et singulis Ordinis commissariis, aut aliis Ordinis personis regularibus in sacro presbyteratus ordine constitutis, qui super hoc requisiti fuerint, quatinus praedictos omnes et eorum quemlibet huiusmodi sententias incurrisse publicent et declarent ubicumque hoc viderint opportunum, et nihilominus ut eos omnes ac etiam alios quoscumque, qui hoc praesenti anno ad solutionem contributionum et subsidiorum Ordinis obligantur, moneant, quemadmodum et praesens generale Capitulum tenore praesentium eos et eorum quemlibet monet, quatinus infra terminos per generale Capitulum institutos, receptoribus ad hoc deputatis, de praedictis contributionibus et subsidiis ac eorum arreragiis satisfaciant cum effectu ; alioquin omnes et singulas praedictas sententias, censuras et poenas, quas nisi paruerint, praesens generale Capitulum ex nunc prout ex tunc in eos et eorum quemlibet tenore praesentium fert et pronuntiat de facto incurrisse ubique publicent, denuntient et declarent.

14. *De libris missalibus per dominum de Pomerio impressis.* Fructuosi laboris diligentiam fidelem studiosamque industriam abbatis de Pomerio alias Bongart, Argentinensis dioecesis, plurimum commendans praesens generale Capitulum, super eo quod missalia iuxta verum usum secundum originale Ordinis a sanctis patribus institutum per R. D. Cisterciensem sibi traditum, necnon et breviaria, diurnalia et psalteria optimis caracteribus imprimi fecit ; et quia eadem missalia et alii libri praefati per priorem, cantorem et succentorem Cisterciensem diligenter visa

et examinata seu visi et examinati iuxta formam Ordinis bene ordinata et completa, ac etiam demptis paucis defectibus per errorem impressorum commissis, qui corrigi facile poterunt, aliunde satis correcta reperta sunt, hortatur ac monet omnes et singulos abbates, priores, abbatissas, priorissas, et quoscumque alios monasteriorum Ordinis praesidentes, ipsis nihilominus et eorum cuilibet in virtute salutaris obedientiae districte praecipiendo, quatinus de dictis missalibus et libris in suis monasteriis et locis regularibus sibi comparent, et super ea alia corrigant, ac iuxta formam in eis positam missarum solemnia peragant, et peragi faciant deinceps, eorumdem venditores, exhibitores praesentium in suis monasteriis ubi venerint cum praedictis libris intromittendo et benivole tamquam Ordinis nuntios tractando, et de salvoconductu aliisque viae necessariis ipsis providendo ac provideri procurando.

15. Quia plures et graves materiae et causae in hoc generali Capitulo tractandae et intermittendae propter brevitatem temporis ad praesens expediri non possunt, insequendo laudabilem consuetudinem hactenus in Ordine observatam, praesens generale Capitulum R. D. N. Cisterciensi et quatuor primis seu eorum locatenentibus et Diffinitoribus, quos secum vocare voluerit, decisionem et determinationem omnium et singularum causarum et materiarum motarum et movendarum, quae in Cistercio terminari non potuerunt apud Divionem fiendam, committit in plenaria Ordinis potestate.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

16. Electionem, promotionem, institutionem et installationem fratris Ioannis Memmingen ad dignitatem abbatialem monasterii de Doberluch per abbatem de Walkenrede, eiusdem monasterii de Doberluch patrem abbatem, rite et legitime... *etc.* confirmat, supplendo omnes et singulos defectus... *etc.*

17. Ad idem, pro fratre Nicolao, professo monasterii Zcennae Sanctae Mariae, ad dignitatem abbatialem eiusdem monasterii per abbatem Vallis Sanctae Mariae, factas, *etc.*

18. Amotionem, privationem et destitutionem magistri Symonis Chaveau ab officio bedellatus collegii Sancti Bernardi Parisiis, necnon promotionem, institutionem domini Ioannis Marsoti presbyterum curatum Sancti Secani ad idem officium, per R. D. N.

Cisterciensem, cui pleno iure institutio et destitutio omnium et singulorum officiorum et officiariorum, necnon omnimoda dispositio eiusdem collegii spectat et pertinet, novissime die 6 mensis iulii anno praesente factas, et per dominos abbates Firmitatis, Prulliaci, Regalis montis et provisorem eiusdem collegii, s. th. pr., debite et legitime executas, necnon omnia et singula per dictos executores R. D. N. Cisterciensis auctoritate et mandato ac virtute litterarum patentium super huiusmodi officio bedellatus in dicto collegio acta, facta, gesta et ordinata, generale Capitulum approbat, ratificat et confirmat [b], mandando sub poenis et censuris Ordinis, districtissime praecipiendo omnibus et singulis studentibus sive scolaribus et aliis personis praesentibus et futuris in eodem collegio residentibus sub poenis et censuris praefatis, quatinus dictum magistrum Symonem a dicto officio bedellatus amotum, privatum et destitutum, necnon praefatum dominum Ioannem Marsoti verum et indubitatum eiusdem collegii bedellum teneant et reputent; executionem praesentis diffinitionis dominis abbatibus de Firmitate, de Regalimonte, s. th. pr., et cuilibet eorum committendo, in plenaria Ordinis potestate.

19. Electionem, provisionem, institutionem et installationem fratris Ioannis Frel ad dignitatem abbatialem monasterii Prulliaci per dominum Firmitatis, virtute et auctoritate commissionis R. D. N. Cisterciensis, eiusdem monasterii Prulliaci immediati patris abbatis, rite... *etc.* confirmat, supplendo omnes et singulos defectus... *etc.*

CONFIRMATIONES TRACTATUUM ET PENSIONUM

20. Quamquam examinata, approbata, ratificata et confirmata per R. in Christo P. D. Cisterciensem, auctoritate totius Ordinis sibi naturaliter attributa, nulla alia confirmatione indigeant, nihilominus aliquando pro securitate maiori rerum gestarum, ad instantiam partium necesse est ea generalis Capituli confirmationis munimine roborare, ne temporibus futuris aliquae innovationes, quaestiones, lites, partium allegationes fiant, quae partibus nocere aut tractatibus factis praeiudicare possint;

---

[b] *Hic desin. A*[4].

idcirco generale Capitulum [c] visis et diligenter inspectis et consideratis litteris approbationis, ratificationis et confirmationis tractatus seu appunctuamenti facti et passati inter abbatem et conventum monasterii Vallis dulcis ex una, et haeredes Hugonis Durant Pottarii ex Stanno dum viveret, partibus ex altera, in certa causa dudum mota et pendente cum domino Baillivo Divionensi, vel eius locumtenente, prout per litteras procuratoriales abbatis et conventus praefati, necnon per sententiam de consensu eorumdem et ex gratia speciali sine praeiudicio futuri temporis per dominum locumtenentem eiusdem domini Baillivi latam, ac etiam per ratificationem, approbationem et confirmationem R. D. N. Cisterciensis plenius constat, idem generale Capitulum auditis audiendis, et consideratis in hac parte considerandis, omnia et singula, tam per dictum abbatem et conventum Vallis dulcis, quam per R. D. N. Cisterciensem quam alios quoscumque acta, facta et passata, tamquam dicto monasterio Vallis dulcis utilia, sine tamen praeiudicio futuri temporis, iuriumque, libertatum ac privilegiorum dicti monasterii, approbat, ratificat et confirmat, in plenaria Ordinis potestate.

21. Attenta relatione abbatis Charitatis super examinatione et informatione contentorum in litteris tractatus praesenti diffinitioni annexis initi, facti et passati inter abbatem et conventum monasterii Bellaevallis ex una, et honorabilem et discretum virum dominum Henricum de Novocastro, presbyterum canonicum et camerarium ecclesiae Bisuntinensis, ac commendatarium perpetuum prioratus monasterii Altepetit, super quadam permutatione cuiusdam quantitatis granorum ad certum numerum hominum manus mortuae, prout plenius in dictis litteris continetur, praesens generale Capitulum dictum tractatum cum omnibus suis clausulis approbat, ratificat et confirmat.

22. Visis, inspectis et diligenter examinatis litteris tractatus seu appunctuamenti initi, facti et passati inter illustrem et potentissimum D. D. Hugonem de Cabilone, D. Castriguidonis, de Nozeroii ex una, et abbatem et conventum monasterii de Monte Sanctae Mariae partibus ex altera, super associatione dudum inter praedecessores ipsius strenui ac potentissimi domini et

---

[c] *Hic desin. A*[4].

dictos abbatem et conventum et novissime per eosdem renovata de quibusdam villis, villagiis, grangiis, nemoribus et aliis possessionibus et iustitiis, plenius in litteris praefatis praesenti diffinitioni annexis expressius declaratis et specificatis, attenta et considerata animi praefati potentissimi domini nobilitate et devotione atque benevolentia ad bonum, utilitatem, commoditatem et honorem dicti monasterii et totius nostri Ordinis effectu demonstravit, abbate etiam de Balerna itidem referente plenis super contentis in dicto tractatu audito, utilitate etiam dicti monasterii pensata et considerata, praesens generale Capitulum dictum tractatum cum omnibus et singulis suis clausulis approbat, ratificat et confirmat, in plenaria Ordinis potestate.

COMMISSIONES

23. Nos, frater Ioannes, abbas Cistercii, ceterique Diffinitores Capituli generalis Cisterciensis Ordinis, notum facimus universis, quod in eodem generali Capitulo die 14 mensis septembris, anno Domini 1487, apud Cistercium celebrato, facta fuit quaedam diffinitio cuius tenor sequitur et est talis : Sanctissimi ac beatissimi in Christo patris et domini nostri domini Innocentii, divina providentia Papae VIII, maximam ad nostrum Cisterciensem Ordinem clementiam et benivolentiam singularem summa cum gratulatione ac gratiarum actione suscipiens praesens generale Capitulum per honorabilem virum magistrum Iacobum du Breucquet, decanum Montensem et canonicum Cameracensem, nostrique totius Ordinis in romana Curia ad praesens procuratorem generalem, qui pluries diversas ac amplissimas totique Ordini nostro plurimum fructuosas ab eodem S. D. N. obtinuit libertates, exemptiones et gratias, nonnullorum denique veterum privilegiorum confirmationes, pro quibus eidem S. D. N. gratiarum actiones uberes et immensas ipse Ordo noster referre haud immerito adstringitur et obligatur. Qua de re cum ipse Ordo noster apud Sanctissimam Sedem Apostolicam nondum comparuit, electioni et promotioni eiusdem S. D. N. congratulando, Sanctitatique suae ipsum Ordinem nostrum commendando, ac confirmationem ceterorum privilegiorum a felicissimae recordationis suae Sanctitatis praedecessoribus Ordini indultorum postulando et impetrando, quemadmodum pene omnes alii Ordines iam dudum fecisse dicuntur ; unde nimirum nisi tanta

fuisset ac esset S. D. N. ad ipsum nostrum clementia, ipse Ordo noster a Sanctitate sua non modo nullam obtinuisset gratiam, sed et de ingratitudine maxima notari potuisset. Quia etiam praedictorum privilegiorum iam impetratorum et adhuc aliorum impetrari necessariorum, necnon pro confirmationis antiquorum expeditione opportunum ac necessarium videtur ut ad Sanctissimam Sedem Apostolicam Ordinis legati aut nuntii quantocius mittantur, praesens generale Capitulum his et aliis multis causis rationabilibus consideratis, ad Sanctissimam Sedem Apostolicam suos notabiles oratores, legatos ac nuntios quamprimum commode fieri poterit transmittere decernit, ad aliqualem S. D. N. ac suae Sanctissimae Sedis amicorumque ac benivolorum Ordinis in romana Curia consistentium recognitionem faciendam, tam reddendo gratias possibiles pro beneficiis maximis iam Ordini exhibitis, quam etiam pro futura ipsius Ordinis recommendatione. Verum quia sine maxima pecuniarum summa haec fieri non possunt cum R. D. N. Ordinis protectore ac aliis pro Ordinis in romana Curia laborantibus et benivolis dona ac stipendia debita sint offerenda, pluresque ac maximae pecuniarum summae pro bullis tam impetratis quam impetrandis, in Curia expediendis et extrahendis sint necessariae, et nihilominus oratores, legati ac nuntii praedicti in expensis ac sumptibus decentibus veniant providenda, procuratori etiam praedicto, cui pro suis diligentiis maximis quas fecit, Ordo non parum obligatus existit, oporteat tam pro expensis iam factis quam in futurum fiendis, quam etiam in recompensam laborum suorum summam aliquam contribuere, ad quae omnia et infinita alia Ordinis agenda et onera supportanda, contributiones Ordinis consuetae minime sufficiunt neque sufficere possent, cum tam paucae sint et exiguae ut expensae Capituli generalis, pensiones annuae et collegiorum provisiones per Ordinem solvendae per illas nullatenus valeant exsolvi, tum propter varia impedimenta quibus in aliquibus partibus contributiones Ordinis ad communem Ordinis usum recipi prohibentur, tum quia plures nationes, ut Italia, Hispania, Anglia, Scotia, Hungaria, Bohemia, parum vel nihil solvunt, quinimo aliquae earum diversis mediis et expensis gravibus ab Ordinis obedientia et unitate se eximere nituntur; quibus nisi obvietur maturius, principalia Ordinis fundamenta non mediocriter laedentur seu enervabuntur, et ipsi Ordini finalis ruina imminebit, tum denique quia plurima monasteria

Ordinis in diversis mundi partibus sita, tam propter guerrarum exterminia quam alia multiplicia incommoda et detrimenta, ad extremam pene desolationem perducta, a solutione contributionum Ordinis gratiose sunt supportata, tum demum quia etiam de solventibus taxa minor in registris Ordinis posita nullomodo solvitur, sed a maiori parte vix nona aut decima pars haberi potest, quibus omnibus et aliis multis ad hoc inducentibus causis et rationibus diligenter consideratis matura deliberatione, ac unanimi consensu omnium Diffinitorum praehabitis, praesens generale Capitulum subsidium charitativum quinque millium ducatorum auri de camera omnibus et singulis Ordinis monasteriis ac locis regularibus utriusque sexus quibuscumque mundi partibus sitis imponit, hinc infra festum Natalis Christi proxime futurum R. D. N. Cistercii aut receptoribus per generale Capitulum deputatis praestandorum, mandans et praecipiens omnibus et singulis Ordinis abbatibus, abbatissis, prioribus, priorissis, commendatariis, cellerariis, bursariis ac aliis quibuscumque monasteriorum aut locorum regularium Ordinis praesidentibus, gubernatoribus, receptoribus, procuratoribus, syndicis, economis, negotiorum gestoribus ac officiariis universis quocumque nomine censeantur, aut cuiuscumque auctoritate vel nomine praesideant in eisdem, in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae et privationis a suis dignitatibus et officiis poenis, quatinus commissariis Ordinis ad hoc in diversis mundi partibus per generale Capitulum deputatis aut eorum substitutis praesentium exhibitoribus taxas seu quotas de praedicto subsidio suis monasteriis seu locis regularibus deputatas impositas et assignatas infra terminum praefatum integraliter et cum effectu persolvant. Executionem praesentis diffinitionis in dominiis et provinciis Rhenens. infer. et Maguntinensis dioecesis infer., necnon Hassiae, Westphaliae, Frisiae, Hollandiae et Zelandiae, abbatibus de Veterimonte, s. th. pr., de Vetericampo et de Campo Mariae committendo, sub eisdem censuris et poenis districte mandans et praecipiens eisdem, quatinus quamprimum fieri fuerit possibile, convocent ad se tres aut quatuor abbates earumdem partium quos voluerint, et communicato cum eis consilio summam 320 ducatorum, et pro prioratibus Campo subiectis summam 70 ducatorum auri de camera, quam monasteriis et locis regularibus Ordinis utriusque sexus in eisdem provinciis et partibus sitis praesens generale Capitulum pro

praedicto charitativo subsidio imponit eisdem monasteriis et locis regularibus iuxta facultates et valores eorum, prout eis videbitur, distribuant unicuique suam taxam seu quotam assignando, quam assignationem iam dicti commissarii sigillis suis et sigillis dictorum abbatum sigillatam infra terminum inferius assignatum cum dictis pecuniis et fideli suo computo R. D. N. Cisterciensi habeant praesentare, ipsi vero abbates per dictos commissarios pro taxatione huiusmodi convocati, si se forte excusare voluerint, ad hoc per censuras Ordinis et poenas praedictas ab ipsis commissariis compellantur. Dicti autem commissarii per se vel per alium seu alios substitutum vel substitutos fidelem vel fideles taxas sive quotas sic assignatas quamprimum fieri poterit, ab omnibus et singulis monasteriis et locis regularibus utriusque sexus dictarum partium exigant, requirant, levent et recipiant, vel alter eorum exigat, requirat, levet et recipiat, ad eorum solutionem integram dictorum monasteriorum abbates, abbatissas, priores, priorissas, commendatarios, cellerarios, bursarios ac alios officiarios praedictos per praedictas censuras et poenas iuxta mandatum apostolicum ad hoc specialiter et expresse per S. D. N. dominum Innocentium Papam modernum generali Capitulo factum et transmissum, appellatione postposita, viriliter et exacte compellendo, et quittancias sufficientes sub sigillis suis vel sigillo alterius eorum dando et expediendo; rebelles vero et solvere nolentes vel differentes, sententias et poenas suprascriptas de facto incurrisse ubique publicando et declarando, ac alias prout iuris ordo aut rationis iudicium postulat et requirit, contra eos procedendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, aut quorumcumque dominorum, iudicum vel potentum ecclesiasticorum vel saecularium, consilio, auxilio et favore, faciantque talem diligentiam dicti commissarii ut praedictae pecuniae pro tardiori, si tamen possibile fuerit, aut quamprimum possibile fuerit, R. D. N. Cisterciensi apud Cistercium praesentantur, quatinus usuris et aliis expensis, quae super ordinem interim excrescunt, valeat citius obviari. Datum sub sigillo Diffinitorum eiusdem generalis Capituli, die, mense, anno et loco supradictis.

24. Ad idem, pro abbatibus de Eberbaco et Lucella, in partibus Rheni superioribus et confaederatorum ac partibus vicinis, videlicet in dioecesibus Constantiensi, Basileensi, Argentinensi,

Spirensi, Wormatiensi, Maguntinensi usque ad partes Thuringiae exclusive et Metensi ubi lingua loquuntur alemannica.

25. Ad idem, pro abbatibus de Ebraco, Fonte salutis et Lanckheim in tota Franconia, et partibus Sueviae, videlicet in dioecesi Herbipolensi, Bambergensi, Eistettensi et Augustensi.

26. Ad idem, pro abbate de Campoprincipum in tota Bavaria, Austria, Carinthia et Styria.

27. Ad idem, pro abbate de Riddageshusen in Thuringia et Saxonia.

28. Ad idem, pro abbate de Lenyn in Misnia, utraque Marchia et Lusatia.

29. Ad idem, pro abbate de Lubens in Moravia et Slesia.

30. Ad idem, pro abbate de Hilda in Slavia sive partibus Stagnalibus, Prussia, Pomerania et Livonia.

31. Ad idem, pro abbatibus de Esrom et Sora in regnis Daniae, Sueciae, Norwegiae et insula Gotlandiae.

32. Ad idem, pro abbate de Paradiso in maiori Polonia.

33. Ad idem, pro abbatibus de Ozzeck et Tzedelitz in regno Bohemiae.

34. Ad idem, abbati de Pelisio in Ungaria.

35. Nos, frater Ioannes, abbas Cistercii et Diffinitores Capituli generalis Cisterciensis Ordinis, notum facimus universis quod in eodem generali Capitulo die 14 mensis septembris anno Domini 1487 apud Cistercium celebrato facta fuit quaedam diffinitio, cuius tenor sequitur et est talis : Piis monitis et hortamentis paternis, necnon mandatis et praeceptis salutaribus et fructuosis Sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Innocentii divina providentia Papae VIII, super reformatione nostri Ordinis Cisterciensis ad generale Capitulum nuper factis ac transmissis, gratulantique animo susceptis et acceptatis, praesens generale Capitulum Sanctissimae Sedi Apostolicae immediate et nulli alteri subiectum humiliter obedire et devote parere cupiens, ut tenetur, abbatibus de Veterimonte, s. th. pr., de Vetericampo et de Campo Mariae, et eorum cuilibet in solidum conformiter ad commissionem per R. D. N. Cisterciensem eis anno praeterito factam, pie committendo mandat, in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis poena nihilominus districte praecipiendo, quatinus ad omnia et singula monasteria et loca regularia Ordinis utriusque sexus, in territoriis, partibus et provinciis Rhenen. infer. a dioecesi Maguntinensi exclusive inferius

descendendo usque ad mare oceanum, et signanter in dioecesibus Trecensi, Coloniensi et Traiectensi, necnon in dominiis et provinciis Hassiae, Westphaliae, Frisiae, Hollandiae et Zelandiae sita et constituta, hinc infra proxime futurum generale Capitulum simul aut duo eorum se personaliter transferant aut unus eorum, de consensu tamen reliquorum, se transferat, auctoritate totius Ordinis et Capituli generalis, ibidem visitando, reformando, corrigendo, emendando, instituendo et destituendo omnia et singula, quae secundum Deum et beatissimi patris et legislatoris nostri sancti Benedicti sanctam regulam, necnon statuta Ordinis papalia et Capitulorum generalium diffinitiones invenerint visitanda, reformanda, corrigenda, emendanda, instituenda et destituenda, in spiritualibus et temporalibus, in capitibus et in membris. Datque praesens generale Capitulum dictis commissariis auctoritate qua supra facultatem et plenum posse abbates, abbatissas, priores, priorissas ceterasque personas Ordinis regimini eorumdem monasteriorum aut locorum regularium utriusque sexus, in spiritualibus seu temporalibus praesidentes, aut officia quaelibet in his habentes, si sua exigant demerita, a suis dignitatibus, administrationibus et officiis deponendi, aut alias iuxta statuta Ordinis puniendi, prout delictorum suorum qualitas exigit ; resignationes quoque abbatum, abbatissarum aut aliorum monasteriis et locis regularibus praesidentium, si rationabiles visae fuerint, admittendi et acceptandi, ac monasteriis et locis regularibus iam dictis sive sic sive per mortem aut quomodolibet vacantibus et viduatis, patrum abbatum et visitatorum ordinariorum, qui vel propter distantiam nimiam viarumque discrimina aut alia quaelibet impedimenta adesse non possunt aut negligunt, supplendo defectus de abbatibus, abbatissis aut aliis praesidentibus Ordinis monasteriis sive per electionem canonicam, sive per provisionem paternam iure ad ipsos patres abbates vel generale Capitulum devoluto, prout iustum viderint, providendi de personis Ordinis. Apostatas quoque et fugitivas ac per saeculum discurrentes et vagabundas, sive etiam in locis aliquibus extra monasteria et loca regularia Ordinis commorantes, et honorem Ordinis denigrantes, personas regulares Ordinis utriusque sexus, ubicumque repertae fuerint, sive in habitu Ordinis sive sine habitu capiendi, incarcerandi, aut alias prout sua exigunt demerita puniendi, atque iuxta diffinitiones tam praesentes generalis Capituli, quam aliorum Capitulorum praece-

dentium, expensis suorum monasteriorum, ad propria remittendi, abbatesque et abbatissas, sive alios monasteriis Ordinis praesidentes, personas quocumque nomine censeantur ad praedictas apostatas, sive vagabundas seu etiam extra Ordinem commorantes personas in suis monasteriis seu locis regularibus recipiendum, aut de aliis locis Ordinis ubi recipiantur eis providendum, per censuras Ordinis compellendi sive sua sponte ac sine licentia et litteris huiusmodi etiam cum potestate alibi profitendi exierint seu emissi fuerint, sive propter delictum aliquod, sive sua propria voluntate, non obstante quod quidam eorum se quasdam gratias habere dicant, per quas cum quibuscumque christifidelibus extra Ordinem valeant commorari, quas quidem gratias et omnes licentias supradictas per quoscumque de Ordine etiam auctoritate paterna Capituli generalis concessas, praesens generale Capitulum revocat, cassat, irritat et annullat. Monasteria denique monialium minus reformata, sive per inclusionem sive per aliam bonam et honestam dispositionem, ut expediens viderint, reformandi ; rebelles vero aut reformationi resistentes sive a monasteriis suis expellendi, et ad alia monasteria reformata dispergendi, sive alias prout iuris aequitas postulaverit puniendi. Dat insuper praesens generale Capitulum auctoritatem et mandatum speciale dictis commissariis et eorum cuilibet computationes abbatum, abbatissarum aut aliorum praesidentium regimini monasteriorum et locorum regularium Ordinis audiendi, easque approbandi vel reprobandi, ut viderint opportunum. Et ut iuxta mentem praefati S. D. N. generale Capitulum veras et iustas taxas contributionum Ordnis melius assignare valeat, mandat et praecipit idem Capitulum dictis commissariis, ut de veris et integris valoribus dictorum monasteriorum et locorum regularium se diligenter informent, et in proximo futuro generali Capitulo, sive pesonaliter sive per sua scripta authentica ipsum generale Capitulum de his debite certificent.

Et quia, ut ad audientiam ipsius Capituli dolenter deductum est, nonnulla monasteria et loca regularia Ordinis olim satis opulenta sive propter guerrarum incursus, sive propter alios sinistros eventus ad tantam devenerunt inopiam, ut personae regulares in sufficienti numero pro divini cultus executione et disciplinae regularis observantia ibidem sustentari non possunt, mandat et praecipit idem Capitulum dictis commissariis, quatinus iuxta *Chartam charitatis* et alia Ordinis instituta canonica,

compellant vicinos abbates aut monasteriorum seu locorum regularium Ordinis praesidentes ditiores ad subveniendum dictis monasteriis et locis sic desolatis, ut debite restaurari et sublevari possint, quatinus divinus cultus et disciplina monastica ibidem valeant observari ; quod si fieri omnino foret impossibile, super unione illorum monasteriorum desolatorum cum aliis, se diligenter informent, quidquid in praemissis repererint, in proxime futuro generali Capitulo fideliter referendo. Praeterea insequendo praefatum mandatum apostolicum praecipit et mandat idem generale Capitulum omnibus et singulis dictis commissariis et eorum cuilibet in solidum, quatinus per se vel alium seu alios peremptorie citent omnes et singulos dictorum monasteriorum abbates, seu etiam priores monasteriorum per priores dumtaxat gubernari solitorum, quemadmodum praesens generale Capitulum tenore praesentium eos citat ad comparendum personaliter in generali Capitulo tempore solito, anno iam proxime futuro apud Cistercium celebrando, nisi legitimum impedimentum habuerint propter quod merito venerint excusandi, de quo tamen impedimento per suos procuratores sufficienter instructos fidem facere teneantur cum intimatione quod, nisi venerint aut sua impedimenta legitime probaverint, censuras tam in statutis Ordinis antiquis quam etiam S. D. N. Pape moderni contentis incurrisse, sine omni dissimulatione publicabuntur.

Demum mandat et praecipit idem generale Capitulum dictis commissariis et eorum cuilibet, ut contributiones Ordinis iuxta veram taxam novem millium, quam hoc praesenti anno generale Capitulum propter varia agenda Ordini imposuit in omnibus et singulis monasteriis Ordinis dictarum partium, exigant, requirant, levent et recipiant ad earum solutionem integram omnes et singulos dictorum monasteriorum abbates commendatarios, bursarios, cellerarios aut alios temporali regimini dictorum monasteriorum praesidentes quoque, quocumque nomine censeantur, per censuras Ordinis et poenas in *Benedictina, Piina, Sixtina,* necnon Sanctissimi D. N. Papae moderni statutis contentas, compellendo, quittancias sufficientes solventibus dando ; rebelles et solvere nolentes vel differentes ad dicendum causas quare solvere non velint aut non debeant, ad proxime futurum generale Capitulum citando. Quas contributiones dicti commissarii, quamprimum poterunt, R. D. N. Cisterciensi, aut receptoribus per

eum aut generale Capitulum deputandis, cum eorum computo vero et legali fideliter praesentabunt, inhibendo omnibus et singulis personis Ordinis sub eisdem censuris et poenis, ne contributiones huiusmodi aliis quam dictis commissariis aut Ordinis receptoribus ad hoc vel a generali Capitulo vel praefato domino Cisterciensi sufficiens mandatum habentibus aut eorum substitutis legitimis tradant et exhibeant quovis pacto, aut etiam ne de earum receptione quisquam se intromittere praesumat, nisi ad hoc per idem Capitulum aut dominum Cistercii fuerit deputatus. Ut autem serenitati conscientiarum ac animarum saluti personarum Ordinis praelibati provideri valeat, praesens generale Capitulum dictis commissariis dat et concedit auctoritatem et plenum posse omnes et singulas personas regulares Ordinis, quoties a suis erroribus, excessibus et delictis resipiscere voluerint a quibuscumque sententiis et censuris Ordinis, quas quomodolibet contra praemissa aut alia Ordinis instituta veniendo incurrerunt, absolvendi, ac super irregularitatibus, si quas incurrerunt, dispensandi ; et generaliter omnia et singula in praemissis et ea concernentibus, vel quomodolibet dependentibus ab eisdem agendi, faciendi et exercendi, quae agere, facere et exercere posset et deberet ipsum generale Capitulum et totus Ordo, invocato ad hoc, si et in quantum opus fuerit, auxilio brachii saecularis, seu quorumcumque dominorum, iudicum aut potentum ecclesiasticorum aut saecularium consilio, auxilio et favore. Omnibus igitur dictorum monasteriorum seu locorum regularium Ordinis personis regularibus utriusque sexus, in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae poenis, conformiter ad mandatum apostolicum praedictum, districte praecipit idem generale Capitulum, quatinus praedictis commissariis in omnibus et singulis praemissis, tamquam generali Capitulo totique Ordini, imo verius S. D. N. Papae humiliter obediant et devote pareant, omni apellatione et excusatione semotis. Datum sub sigillo Diffinitorum dicti Capituli generalis, die, mense, anno et loco supradictis.

36. Dominis abbatibus de Firmitate et de Balerna, et eorum cuilibet committit praesens generale Capitulum, ut se diligenter et debite informent super tractatu seu appunctuamento inito, facto et passato inter R. D. Cisterciensem et suum conventum ex una, et honorabilem virum dominum Thomam Tullemot, presbiterum curatum de Braseis super decimis du Proveret,

prout in litteris super hoc confectis et praesenti diffinitioni annexis plenius continetur ; et si dictum tractatum seu appunctuamentum ad utilitatem praefati monasterii Cisterciensis invenerint, ipsum cum omnibus et singulis suis clausulis approbent, ratificent et confirment, in plenaria Ordinis potestate.

37. Domino abbati de Firmitate praesens generale Capitulum committit, quatinus se debite et diligenter super contentis in quadam requesta sive supplicatione pro parte honesti viri Iacobi Pillot, generali Capitulo exhibita et praesenti diffinitioni annexa ; compertaque veritate omnium et singulorum in ea contentorum, citatis citandis et auditis audiendis partibus, summarie et de plano iustitiae complementum ministret, in plenaria Ordinis potestate.

38. Visitationem et reformationem omnium et singulorum utriusque sexus monasteriorum et locorum regularium in tota Italia et partibus transalpinis existentium, praesens generale Capitulum committit abbati de Balerna, in plenaria Ordinis potestate, cum clausulis per R. D. N. Cisterciensem addendis.

39. Item, visitationem omnium et singulorum utriusque sexus monasteriorum in omnibus et singulis regnis et dominiis Hispaniarum, necnon Militiarum Calatraviae, Montesiae, Avis, et aliarum Ordini subiectarum, generale Capitulum abbati de Candelio committit, in plenaria... *etc. ut supra.*

40. Quia defectu virorum litteratorum in Ordine ex negligentia abbatum, qui suos scolares ad studia Ordinis generalia mittere negligunt aut nolunt, Ordo ipse in utroque statu multa et gravia patitur et sustinet detrimenta, hinc est quod generale Capitulum committendo mandat et praecipit abbati de Riddageshusen, quatinus omnes et singulos abbates, qui secundum ordinationem R. D. N. Cisterciensis, ad studium seu collegium Lipzense suos studentes mittere tenentur, ad eos mittendum et tenendum cum debitis et sufficientibus provisionibus in dicto collegio Lipzensi per poenas, censuras et sententias in *Benedictina* et aliis privilegiis, statutis, ordinationibus Ordinis contentas et expressas, viriliter et indissimulanter astringat et compellat, in plenaria Ordinis potestate, invocato, etc.

41. Capitulum generale in virtutibus et idoneitate abbatis de Walkenreden confidens, eidem abbati dat licentiam, facultatem et potestatem ab omnibus sententiis, censuris et poenis Capitulo generali reservatis absolvendi quatuor ex professis suis ;

necnon eos et quemlibet eorum ab omni infamiae nota et inhabilitatis macula rehabitandi et relevandi, ac cum eis dispensandi ut quibuscumque casibus per eos perpetratis et commissis non obstantibus, dummodo de eis poenitentiam peregerint, ad omnes Ordinis actus legitimos, voces, gradus, officia, beneficia et dignitates, etiam abbatiali dignitate inclusa promoveri possint et admitti, in plenaria Ordinis potestate.

42. Quia propter multiplicium graviarumque materiarum affluentiam, generale Capitulum causam motam et pendentem coram R. D. N. Cisterciensi et dominis Diffinitoribus praesentis Capituli generalis inter abbatem de Claromonte appellantem ex una, et abbatem de Caroliloco, s. th. pr., et fratrem Ioannem Days, professum monasterii Claraevallis, appellatos partibus ex altera, decidere et terminare non potest, idcirco dominis abbatibus de Firmitate et de Regalimonte, s. th. pr., et cuilibet eorum committit partibus coram eis debite citatis et auditis, iustitiae complementum ministrent, ad dictam causam decidant et determinent, in plenaria Ordinis potestate, omnibus et singulis nostri Cisterciensis Ordinis personis regularibus in sacro presbyteratus ordine constitutis, quibus haec diffinitio exhibita fuerit, idem generale Capitulum dat in mandatis, quatinus ad certos et competentes diem et locum coram dictis abbatibus aut eorum altero dictas partes citent.

43. Quia plures et graves materiae praesenti generali Capitulo supervenerunt, propter quas idem Capitulum causam motam inter fratrem Guillermum Bouson actorem, professum monasterii de Locoregio ex una, et priorem et suppriorem eiusdem monasterii reos et defensores partibus ex altera, terminare, decidere nec diffinire potuit ; quapropter idem generale Capitulum abbatibus de Nigrolacu, de Callovio et de Oliveto et cuilibet eorum in solidum committendo mandat et praecipit, quatinus ad ipsum monasterium seu ad alia loca, quae iudicaverint ad hoc opportuniora accedant, citatisque ad certos et competentes diem et locum citandis, et auditis audiendis, compertaque et plene veritate huiusmodi causae cognita, partibus summarie et de plano, secundum Ordinis formam, iustitiae complementum ministrent, compellendo, si ita sanxerint et iustum fuerit, dictos priorem et conventum, commendatarium et alios officiarios eiusdem monasterium ad recipiendum dictum fratrem Guillermum Bouson et sibi de necessariis tamquam uni aliorum de

conventu providendum, puniendo puniendos, absolvendoque absolvendos, in plenaria Ordinis potestate, invocato ad praemissa et ea contingentia, si opus sit, brachii saecularis auxilio, consilio et favore ; omnibus autem et singulis Ordinis personis in sacro presbyteratus ordine constitutis firmiter dat generale Capitulum in mandatis, sub poenis et censuris per eosdem abbates aut eorumdem alterum taxandis, quatinus dum requisiti fuerint ad certos et competentes diem et locum dictas partes coram dictis abbatibus aut eorum altero citent. Datum, etc.

44. Abbati de Czenna committendo generale Capitulum, dat auctoritatem, facultatem et potestatem dispensandi cum quodam fratre converso, ut non obstante defectu natalium, et quod non sit de legitimo matrimonio procreatus, omnia et singula officia quae conversi habiles exercere valent et possunt, exsequi, exercere et facere possit et valeat, in plenaria Ordinis potestate.

45. Priori de Locoregio generale Capitulum ex gratia committendo, dat auctoritatem, licentiam et facultatem ut bona quaecumque per decessum religiosorum seu personarum regularium eiusdem monasterii derelicta, ad usus fratrum, et utilitatibus eorum applicare, disponere et dispensare possit et valeat, quamdiu dictum monasterium in conventum tenebitur, et usque ad aliam R. D. N. Cisterciensis seu generalis Capituli dispositionem.

46. Generale Capitulum certis, iustis et legitimis de causis et rationibus informatum et motum abbatibus de Riddageshusen, de Dobran et de Dargun, et cuilibet eorum committit et mandat et districtissime praecipit, quatinus viriliter et exacte per poenas et censuras, institutis Ordinis contentas et declaratas, compellant fratrem Michaelem Szassen, professum monasterii de Hylda, ad infra breve tempus per eosdem abbates aut alterum eorum eidem limitandum et praefigendum, ad revertendum, manendum et residendum in dicto suae professionis monasterio ; abbates autem ipsum detinentes aut ne ad dictum monasterium proprium revertatur suadentes, aut sibi auxilium, consilium et favorem praebentes, eos cum dicto fratre Michaele excommunicatos denuntient et publicent, compellendo ipsos et quemlibet eorum, qui se huiusmodi iniuste retentum suasioni aut seductioni dicti fratris, ne ad dictum monasterium suum rediret contra Ordinis statuta et diffinitiones immiscuerant ad refundendas expensas,

quas in recuperatione dicti fratris abbas praefatus de Hylda fecit aut facturus est, in plenaria Ordinis potestate.

47. Cum novissime in mense septembris anno Domini 1486 per supremam Parlamenti curiam Parisiis inter cetera ordinatum extitit, ut ad regimen et administrationem spiritualitatis et temporalitatis monasterii Fulcardimontis diu ante processum inter fratrem Robertum Vallée, Ordinis religiosum, appellantem ex una, et magistrum Ioannem Grudeau, presbyterum saecularem, intimatum et defensorem, partibus ex altera, super dignitate abbatiali eiusdem monasterii contendentes, aliquis religiosus de Ordine per R. D. N. Cisterciensem et Diffinitores Ordinis committeretur ; hinc est quod generale Capitulum appunctuamentis et ordinationibus illius venerabilis et sapientis curiae Parlamenti pro posse favere et indemnitatibus dicti monasterii succurrere cupiens, abbati de Regalimonte, s. th. pr., committendo mandat et praecipit, ut iuxta dicti arresti seu appunctuamenti tenorem de bono, sufficiente et in utroque regimine, spirituali videlicet et temporali, experta persona Ordinis ad regimen spirituale et temporale eiusdem monasterii committat et deputet, per cuius industriam, prudentiam et religiosam conversationem ipsum monasterium regi et feliciter fructuoseque durante praedicto processu dirigi et gubernari possit et valeat, in plenaria Ordinis potestate.

48. Abbati de Walkenreden generale Capitulum committit, quatinus se plenius super casu scrupuloso bursarii sui informet, casuque plene cognito, si dictus bursarius absolutione, dispensatione aut rehabilitatione indigeat, ipsum rehabilitet, et ab omni infamiae nota et inhabilitatis macula relevet, cum eoque dispenset, ut casu praedicto non obstante, missas et alia divina officia, beneficia et dignitates etiam abbatiali dignitate inclusa, promoveri possit et admitti, in plenaria Ordinis potestate.

49. Visis et diligenter examinatis certis informationibus per nonnulos officiarios regios contra et adversus aliquos fratres in eisdem nominatos professos monasterii B. M. Bardonarum, qui in mortem abbatis sui per intoxicationes et alias conspiraverunt, multaque flagitia et enormia facta, ut per informationes easdem constat, perpetraverunt et commiserunt in maximum Ordinis scandalum, vituperium et gravamen, populique humani scandalum. Quibus malis obviare, ac de remedio opportuno providere cupiens praesens generale Capitulum abbatibus de Cande-

lio, de Ardorello et de Villalonga et cuilibet eorum committit, quatinus super tenore dictarum informationum, quas sub sigillo Diffinitorum clausas ad eosdem abbates mittit, necnon super dictis flagitiis, intoxicationibus et malis, se debite et diligenter informent, informationeque debite facta, viis et mediis sibi possibilibus dictos fratres capiant seu capi faciant, fidelique ac tutae custodiae servandos tradant, ipsisque plene auditis, si eos aut eorum alterum culpabiles aut culpabilem in praemissis aut aliquo praemissorum invenerint, illos secundum statuta, diffinitiones et ordinationes Ordinis et casuum seu demeritorum suorum exigentiam taliter puniant et corrigant, quod ceteris transeat in exemplum et terrorem, in plenaria Ordinis potestate, invocato ad praemissa et ea tangentia, si opus sit, brachii saecularis auxilio, consilio et favore. Omnibus autem et singulis abbatibus, prioribus, officiariis, aliisque regularibus personis Ordinis, cuiuscumque sexus, status, dignitatis aut conditionis existant, praesens generale Capitulum praecipit et mandat sub poenis et censuris per praedictos abbates, aut eorum alterum taxandis, declarandis, quatinus, eisdem abbatibus et eorum alteri, quantum ad omnium et singulorum praemissorum executionem, et quantum ad dictorum fratrum receptionem, pugnationem et detentionem, si opus sit, tamquam generali Capitulo firmiter pareant et obediant. Datum, etc.

50. Ad aures generalis Capituli pervenit abbatem de Elnis, quosdam religiosos monasterii Bardonarum professos, ad intoxicandum ac in mortem proprii abbatis conspirandum gravia et enormia flagitia perpetrandum induxisse et commisisse ; quae mala sufferre non valens generale Capitulum abbatibus de Candelio, de Ardorello et de Villalonga et eorum cuilibet committendo districtissime praecipit et mandat omnibus et singulis, quatinus super praemissis se debite et diligenter informent, factisque informationibus, illas fideliter clausas Capitulo seu R. D. N. Cisterciensi transmittant pro super eis ostendendo et appunctuando, prout iuris fuerit et rationis, dictamque instantiam primo abbatem de Elnis ad futurum proximum generale Capitulum personaliter et peremptorie citent eidem promotori super ad ipsum sibi obiectandis responsurum, invocato, etc., omnibus etc., ut in praesenti.

51. Ut Sanctissimi domini nostri Papae mandatis super reformatione Ordinis nuper transmissis firmius ac melius, ut decet,

obediri valeat, praesens generale Capitulum considerans, quod a tempore confectionis *Libelli novellarum* multae et variae factae fuerunt in generalibus Capitulis singulis annis diffinitiones, quibus nonnunquam statutis et diffinitionibus Ordinis antiquis propter certas causas rationabiles fuit derogatum, plurimae etiam observantiae laudabiles, tam in divino servitio, quam Ordinis moribus et cerimoniis hactenus insolitae fuerunt institutae, quae quidem diffinitiones propter paucitatem ad generale Capitulum venientibus, ad paucorum notitiam devenerunt, unde maximae in Ordine diversitates exortae sunt, quas ad veram uniformitatem reducere cupiens, idem Capitulum certos notabiles et doctos viros Ordinis tam abbates quam alios pro singulis generationibus Ordinis cum R. D. N. Cisterciensi elegit, videlicet pro generatione Firmitatis abbatem de Pomerio alias Bongart, aut alium loco eius, si vacare non poterit, substituendum, pro generatione Pontigniaci abbatem de Caroliloco, s. th. pr., aut abbatem de Ellancio, pro generatione Claraevallis abbatem de Laude vel priorem Claraevallis, pro generatione Morimundi abbatem de Charitate, aut alium loco eius substituendum, quibus omnibus et singulis, in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis poena, mandat et praecipit districte, quatinus in principio Quadragesimae proximae futurae apud Cistercium cum R. D. N. Cisterciensi, aut alio per eum substituendo, personaliter comparentes ibidem diligenter videant, perlegant et examinent omnes et singulas diffinitiones generalium Capitulorum a praefato tempore editionis *Novellarum* annis vel circa singulis factas, easdem cum aliis praecedentibus, videlicet tam in *Charta charitatis* quam *Libellis antiquarum* et *novellarum diffinitionum* contentis, quam etiam aliis statutis et laudabilibus consuetudinibus Ordinis conferant, atque ex eis omnibus ea quae pro reformatione Ordinis et uniformitate observantiae regularis, tam in divino servitio et cantu quam aliis moribus et cerimoniis, necnon victu, vestitu, ceterisque observantiis a sanctis patribus ordinata et ad observandum in toto Ordine instituta repererint, et quae per sequentes diffinitiones non fuerint revocata diligenter extrahant, atque in unum Libellum sub certis distinctionibus, rubricis et capitulis ordinate componant, quem in proxime futuro generali Capitulo ad emendandum, corrigendum, approbandum vel reprobandum praesentabunt, quatinus sic emendatus, approbatus et confirmatus ad omnia

Ordinis monasteria et loca per totum universum Ordinem valeat transmitti. Executionem seu intimationem praesentis diffinitionis omnibus et singulis commissariis Ordinis illarum partium ubi dicti electi fuerint committendo.

52. Quia honorabilis vir magister Iacobus Dubreucquet, decanus Montensis et canonicus Cameracensis, etc., omne ius quod habere praetendit super dignitate abbatiali monasterii de Ursicampo, Capituli generalis ac Ordinis iudicio submisit, promittens se stare velle sententiae per Ordinis iudices proferendae, praesens generale Capitulum unicuique quod suum est reddere cupiens, domino abbati Firmitatis et abbatibus de Carolicoco, s. th. pr., et de Valledulci ac duobus eorum committit, quatinus convocatis coram se partibus cum omnibus munimentis suis super eorum iuribus se diligenter informent, et prout invenerint aequum esse et iustum, summarie et de plano causam illam decidant, iudicent et concludant, debitumque iustitiae complementum ministrent, seu alter eorum se informet, etc., in plenaria Ordinis potestate.

53. *Commissio amplissima pro abbate de Pomerio.* Licet parendo ac humiliter obediendo, ut dignum est, piis monitis, hortamentisque paternis necnon mandatis ac praeceptis salutaribus S. D. N. Papae super reformatione Ordinis generali Capitulo novissime transmissis, ipsum generale Capitulum in diversis mundi regionibus, provinciis et partibus diversos constituerit commissarios, dando eis mandata specialia ad faciendum omnia et singula in litteris et bullis apostolicis expressa, ac pro reformatione Ordinis necessaria et opportuna cum certis facultatibus et clausulis ad hoc necessariis, prout in litteris inde confectis et dictis commissariis directis plenius continetur ; quia tamen propter distantiam nimiam a Cistercio ac etiam provinciarum et dominiorum diversitatem et latitudinem maximam nationis germanicae, ac etiam quia abbates illarum partium nunquam vel rarissime generale Capitulum hactenus visitare consueverunt, de divisione limitum congrua in his partibus ac etiam idoneitate commissariorum, qui praefata omnia melius exsequi possent, ipsum generale Capitulum debite informari non potuit ; idcirco cupiens idem Capitulum, ut omnia et singula praedicta rite, debite ac diligenter executioni demandentur, ut etiam pecuniarum summae de subsidio charitativo, quod hoc anno certis rationabilibus de causis Ordini impositum est, ad Cistercium citius deferantur, quatinus litterae apostolicae seu bullae diver-

sarum gratiarum, libertatum et exemptionum a praefato S. D. N. Papa de novo concessarum iam expeditae a bancariis iuxta pro magna pecuniarum summa sub usuris maximis detinentur celerius liberari et extrahi possint, abbati de Pomerio alias Bongart Argentinensis dioecesis, benigne committendo, mandat in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis poena, eidem districte praecipiendo, quatinus quamprimum congrue poterit ad omnes et singulas dictae nationis germanicae regiones, provincias, terras ac partes, necnon ad regna et dominia Ungariae, Bohemiae, Poloniae, Daniae, Suetiae, Norvegiae, Gotlandiae ac illis vicina ubi tamen tutus sibi patuerit accessus, se personaliter transferat, ibidem dictos commissarios ad executionem commissionum sibi datarum sollicitando et instigando; datque facultatem et plenum posse iam dictum Capitulum eidem abbati de Pomerio dictos commissarios, si propter impedimenta aliqua commissionem sibi factam debite exsequi non potuerint, aut si in eius executione negligentes aut minus voluntarii extiterint, removendi, et alios magis idoneos ac diligentes ac voluntarios loco eorum subrogandi, aut si in aliqua parte nullos institutos invenerit commissarios aliquos de novo cum simili potestate instituendi, ac etiam per se sive solum, sive assumpto secum alio vel aliis dictarum partium abbate vel abbatibus, sive etiam cum dictis commissariis ibidem visitandi, reformandi, etc.; subsidium etiam charitativum et contributiones Ordinis recipiendi, computationesque receptorum contributionum a 12 annis transactis audiendi et restas ab eis recipiendi et quittantias sub sigillo suo vel contrasigillo solventibus expediendi; rebelles vero per censuras Ordinis compellendi, abbates ad proximum generale Capitulum citandi, de valore monasteriorum se veraciter informandi, ac generaliter omnia et singula in dictis partibus, regionibus, provinciis, regnis et dominiis agendi, faciendi et exercendi, quae in dictis commissionibus plenius exprimuntur, et quae agere, facere et exercere posset ipsum generale Capitulum et totus Ordo. Specialiter dat dictum Capitulum generale dicto abbati de Pomerio computationes dictorum commissariorum audiendi, easque approbandi vel reprobandi, prout iustum viderit, necnon pecuniarum summas per eos et eorum quemlibet tam de restis contributionum, quam de dicto subsidio receptas, si tamen personaliter eas deferre tam cito non potuerint recipiendi aut etiam super recipiendis ab ipsis commissariis

aut aliis illarum partium abbatibus ad hoc facultatem habentibus, ex parte totius Ordinis mutuum petendi et recipiendi, ac de receptis seu mutuatis quittantias sufficientes et sub sigillo vel contrasigillo dandi et expediendi. Omnes denique personas regulares Ordinis dictarum partium in foro conscientiae per se vel alium seu confessorem vel confessores Ordinis, quibus suas vices in hoc committere voluerit cum consensu abbatum audiendi, atque ab omnibus casibus, delictis, censuris et sententiis, etiam generali Capitulo specialiter reservatis, iniuncta eis poenitentia salutari, quoties opus fuerit, infra proximum generale Capitulum absolvendi, et super irregularitatibus qualitercumque contractis dispensandi, necnon personas inhabiles utriusque sexus ad omnes Ordinis honores, gradus, voces et actus legitimos, ac etiam administrationes, officia et dignitates rehabilitandi, nisi casus adeo gravis esset, ut merito ad generalis Capituli audientiam remitti debeat, exceptis etiam illis, qui contra Ordinis unitatem et privilegia, aut contra generalis Capituli auctoritatem elaborant aut quidquam prosequuntur. Et quia propter defectum librorum correctorum in Ordine multae sunt subortae diversitates in divino servitio, utpote missis, horis canonicis, ac etiam cerimoniis et observantiis Ordinis dat idem Capitulum dicto abbati de Pomerio auctoritatem et plenum posse missalia, breviaria, psalteria ac alios divini servitii libros iuxta verum et bene correctum exemplar sibi a R. D. N. Cistercii traditum vel tradendum imprimi faciendi, et ad omnia Ordinis monasteria ubicumque consistentia deferendi, seu deferri faciendi, mandando omnibus et singulis dictorum monasteriorum abbatibus, abbatissis, prioribus, priorissis, ceterisque eorumdem monasteriorum personis regularibus, ut eosdem libros cum rationabili pretio sibi comparent, et iuxta eos alios suos libros corrigant et divinum officium persolvere studeant deinceps, utque dicti commissarii ac alii abbates si forte in suis commissionibus aliquas difficultates invenerint eidem abbati de Pomerio, cui praesens generale Capitulum dat auctoritatem singula dubia interpretandi, ac etiam de mente generalis Capituli omnes et singulos informandi credant ac fidem indubiam adhibeant in omnibus et singulis per eum proponendis aut dicendis, etiam in congregationibus plurium abbatum simul, si forte necessarium duxerit, aliquos in illis partibus simul congregare, ad quod similiter praesens generale Capitulum ipsi abbati de Pomerio plenam dat auctori-

tatem, in quibus omnibus et aliis quibuscumque praemissis seu ea concernentibus et dependentibus ab eisdem praecipit et mandat dictum generale Capitulum saepedicto abbati de Pomerio, tam ab ipsis commissariis quam aliis quibuscumque abbatibus, abbatissis, prioribus, priorissis ac personis regularibus dictarum partium universis tamquam generali Capitulo humiliter obedire. Quidcumque autem dictus abbas de Pomerio, tam de subsidio charitativo quam contributionibus Ordinis receperit, sub poenis et censuris Ordinis quamprimum fuerit possibile, ad R. D. N. Cistercii portare aut per fidelem et securum nuntium transmittere teneatur ; et pro maiori securitate omnes universi abbates et personae Ordinis qui eidem abbati de Pomerio quidquam de praemissis contulerint seu tribuerint, per scripta sua sufficienter et secure domino Cistercii significent. Datum, etc.

54. *Commissio pro abbate de Candelio ad Hispaniam.* Nos, frater Ioannes, abbas Cistercii, ceterique Diffinitores Capituli generalis Cisterciensis Ordinis, notum facimus universis, quod in eodem generali Capitulo, die 14 mensis septembris anno Domini 1487, apud Cistercium celebrato facta fuit quaedam diffinitio, cuius tenor sequitur et est talis : Piis monitis et exhortationibus paternis, necnon fructuosis mandatis et praeceptis salutaribus Sanctissimo in Christo patris et domini nostri, domini Innocentii divina providentia Papae VIII, super reformatione nostri Ordinis Cisterciensis ad generale Capitulum nuper factis ac transmissis, gratulantique animo susceptis et acceptis, praesens generale Capitulum Sanctissimae Sedi Apostolicae immediate et nulli alteri subiectum humiliter obedire et devote parere cupiens, ut tenetur, venerabili patri et amantissimo confratri domino abbati de Candelio, Albiensis dioecesis, de cuius discretione, prudentia, zeli puritate, conversationis honestate ad plenum confidit totus Ordo pie committendo, mandat in virtute salutaris obedientiae et nihilominus sub excommunicationis poena districte praecipiendo, quatinus ad omnia et singula monasteria et loca regularia Ordinis utriusque sexus, in inclitissimis regnis, terris et provinciis Arragoniae, Castellae, Navarrae, Portugalliae, Legionis, Valentiae, Maioris, Minoricarum et circumstantibus dominiis sita et constituta, sacris quibuslibet militiis Ordini subiectis comprehensis et inclusis, hinc infra proxime futurum generale Capitulum se personaliter, quantum sibi erit possibile, transferat, ibidem assumpto uno vel pluribus Ordinis

abbatibus seu personis, prout expediens viderit, in eisdem locis et quolibet eorum auctoritate totius Ordinis et Capituli generalis, visitet, reformet, corrigat, emendet, instituat, destituat, mandat et praecipit omnia et singula, quae secundum Deum et beatissimi patris et legislatoris nostri sancti Benedicti regulam, necnon statuta Ordinis papalia et Capitulorum generalium diffinitiones invenerit visitanda, reformanda, corrigenda, emendanda, destituenda, instituenda, mandanda et praecipienda, in spiritualibus et temporalibus, in capitibus et in membris ; datque praesens generale Capitulum dicto commissario facultatem et plenum posse, auctoritate qua supra commendatarios, abbates, abbatissas, priores, priorissas, necnon quaslibet regimini eorumdem monasteriorum aut locorum regularium utriusque sexus, in spiritualibus et temporalibus, praesidentes seu officia quaelibet in eisdem habentes et exercentes, si eorum exigant demerita, a suis dignitatibus, administrationibus et officiis deponendi, aut alias iuxta statuta Ordinis puniendi, prout delictorum suorum qualitas exigit, ac de aliis sufficientibus iuxta Ordinis formam regulariter providendi ; resignationes quoque abbatum, abbatissarum et commendatariorum, si rationabiles visae fuerint, admittendi et acceptandi, ac monasteriis et locis regularibus iam dictis, sive sic sive per mortem aut quomolibet vacantibus et viduatis, patrum abbatum praesentia, si commode et absque dilatione haberi possit, requisita... *(locus vacuus)* de abbatibus, abbatissis aut aliis praesidentibus Ordinis sufficientibus et idoneis, in Ordine professis, sive per electionem canonicam sive per provisionem paternam ad ipsos patres abbates vel generale Capitulum iure devoluto, prout iustum viderit, providendi ; apostatas quoque et fugitivas ac per saeculum discurrentes et vagabundas etiam in locis aliquibus extra monasteria et loca regularia Ordinis commorantes, et honorem Ordinis denigrantes, personas regulares Ordinis utriusque sexus ubicumque repertae fuerint, sive in habitu Ordinis, sive sine habitu, capiendi, incarcerandi, aut alias prout sua exigunt demerita, puniendi, atque iuxta diffinitiones tam praesentis generalis Capituli, quam aliorum Capitulorum praecedentium, expensis suorum monasteriorum ad propria remittendi, abbatesque et abbatissas necnon commendatores et quoslibet dictorum monasteriorum officiarios quocumque nomine censeantur, et praedictas apostatas sive vagabundas seu etiam extra Ordinem commorantes

personas in suis monasteriis seu locis regularibus iuxta morem Ordinis recipiant, aut de aliis locis Ordinis, ubi recipiantur, eis provideant, per censuras Ordinis compellendi, sive sua sponte ac sine licentia et litteris commendatitiis, sive cum licentia et litteris huiusmodi, etiam cum potestate alibi profitendi exierint seu emissi fuerint propter delictum aliquod, sive sua propria voluntate, non obstante quod quidam eorum se quasdam gratias habere dicant, per quas cum quibuscumque christifidelibus extra Ordinem commorari, quas quidem gratias et omnes licentias supradictas per quoscumque de Ordine, etiam auctoritate praetensa generalis Capituli concessas, praesens generale Capitulum revocat, cassat, irritat et annullat ; monasteria denique monialium minus reformata, sive per inclusionem sive per aliam bonam et honestam dispositionem, ut expediens viderit, iuxta formam Ordinis et iuris decretum reformandi. Rebelles vero aut reformationi resistentes, sive a monasteriis expellendi et ad alia loca et monasteria reformata dispergendi, sive alias prout iuris aequitas postulaverit puniendi, necnon universas Ordinis personas in dictis monasteriis professas, quoties ab erroribus absolvendi cum poenitentia salutari ab universis casibus, sententiis nobis et nostro generali Capitulo reservatis, dispensandique cum universis eorumdem monasteriorum personis, prout expediens fuerit, ac rehabilitandi illas ad omnes gradus, officia, actus legitimos, administrationes, dignitates, abbatiali inclusa vel exclusa, super quibus suas patentes expedire poterit litteras. Dat insuper praesens generale Capitulum auctoritatem et mandatum speciale dicto commissario computationes abbatum, abbatissarum et commendatariorum ac aliorum quorumlibet officiariorum dictorum monasteriorum et locorum regularium Ordinis audiendi easque approbandi vel reprobandi, ut viderit opportunum, et ad hoc faciendum praedictos per Ordinis censuras compellendi. Et ut iuxta mentem praefati S. D. N. generale Capitulum veras et iustas taxas contributionum Ordinis melius assignare valeat, mandat et praecipit idem Capitulum dicto commissario, ut de veris et integris valoribus dictorum monasteriorum et locorum regularium se diligenter informet, et in proximo futuro generali Capitulo per sua scripta authentica ipsum generale Capitulum de his debite certificet compellendo Ordinis personas per Ecclesiae censuras ad sibi fideliter declarandum statum dictorum monasteriorum. Et quia, ut ad audientiam

ipsius Capituli dolenter deductum est, nonnulla monasteria et loca regularia Ordinis olim satis opulenta, sive propter guerrarum incursus, sive propter alios sinistros eventus ad tantam devenerunt inopiam, ut personas regulares in sufficienti numero pro divini cultus executione et disciplinae regularis observantia ibidem sustentari non possint, mandat et praecipit idem generale Capitulum dicto commissario, quatinus iuxta *Chartam charitatis* et alia Ordinis instituta canonica compellat vicinos abbates, abbatissas, commendatarios et quoslibet monasteriorum seu locorum regularium Ordinis administratores et officiarios opulentiores ad subveniendum dictis monasteriis et locis sic desolatis, ut debite restaurari et sublevari possint, quatinus divinus cultus et disciplina monastica ibidem valeant observari. Quod si fieri omnino videatur impossibile, dat praesens generale Capitulum dicto commissario facultatem et plenum posse iuxta Ordinis privilegia monasteria sic desolata aliis monasteriis Ordinis uniendi, prout viderit opportunum. Praeterea insequendo praefatum mandatum apostolicum praecipit et mandat idem generale Capitulum dicto commissario, quatinus per se vel alium seu alios peremptorie citet omnes et singulos dictorum monasteriorum abbates, seu etiam priores monasteriorum per priores dumtaxat gubernari solitorum, quemadmodum praesens generale Capitulum tenore praesentium eos citat ad comparendum personaliter in generali Capitulo tempore solito anno iam proxime futuro apud Cistercium celebrando, nisi legitimum et inevitabile impedimentum habuerint, propter quod merito devenerint de iure excusandi, de quo tamen impedimento per suos procuratores sufficienter institutos fidem facere teneantur, cum intimatione, quod nisi venerint aut sua impedimenta legitima probaverint, censuras tam in statutis Ordinis quam etiam S. D. N. Papae moderni scriptis incurrisse contentas, sine omni dissimulatione publicabuntur. Demum quoniam congregatio abbatum et priorum monasteriorum in regnis, provinciis et dominiis praedictis in uno vel duobus seu tribus locis ad sanctam reformationem, congruamque ac salutarem dictorum monasteriorum et locorum regularium Ordinis nostri dispositionem opportuna multum et fructuosa videtur, praesens generale Capitulum dat auctoritatem, facultatem et plenum posse praefato abbati de Candelio convocandi sub Ordinis censuris, seu congregandi cum consilio abbatis de Populeto et aliorum patrum Ordinis a S. D. N.

Innocentio Papa VIII, ad huiusmodi reformationem deputatorum seu commissariorum aliquorum universos Ordinis abbates, priores et monasteriorum rectores in uno, duobus vel tribus locis ad hoc idoneis in praefatis regnis seu provinciis et dominiis, ibidemque nomine et auctoritate Ordinis, necnon potestate apostolica cum praemissis abbatibus praesidendi, faciendique iurare quoslibet praedictorum abbatum et priorum seu rectorum quod fideliter eis revelabunt omnia et singula, quae ad reformationem seu restaurationem sacratissimae religionis nostrae secundum regulam S. P. N. Benedicti, diffinitionesque sanctorum patrum nostrorum, necnon statuta et privilegia Ordinis noverint esse necessaria, in qua congregatione authentica pertractabunt universa praemissa, notantes per scriptum authenticum universa ardua quae noverint ad generalis Capituli audientiam esse referenda, ut nihil quod conspirationem seu ab Ordinis forma dissonantiam redoleat tractare praesumant, sed studeant singula ad Ordinis puritatem reducere, de quibus universis et singulis proximum generale Capitulum informabunt. Verum quoniam nonnulli abbates et conventus earumdem regionum et dominiorum dicuntur quasdam novitates contra Ordinis formam introduxisse, districtius mandat et praecipit generale Capitulum praefato abbati de Candelio et ceteris abbatibus et regularibus personis per eum ad sanctum opus assumendis, quatinus viis et modis omnibus sibi licite possibilibus studeant illos ad Ordinis obedientiam simul et uniformitatem reducere, et huiusmodi novitates penitus eradicare, adversus quoslibet contradictores per sanctae Ecclesiae censuras et alias inter Ordinis remedia indissimulanter procedendo super praemissis veros Ordinis zelatores loco sui usque ad aliam Capituli generalis vel domini Cisterciensis dispositionem instituendo et ordinando. Ut autem serenitati conscientiarum et animarum saluti personarum Ordinis praelibati provideri valeat, praesens generale Capitulum dicto commissario dat et concedit auctoritatem et plenum posse omnes et singulas personas regulares Ordinis, quoties a suis erroribus, excessibus et delictis resipiscere voluerint, a quibuscumque sententiis et censuris Ordinis, quas quomodolibet contra praemissa et alia Ordinis instituta veniendo incurrerint absolvendi, et super irregularitatibus, si quas incurrerint absolvendi. Et generaliter omnia et singula in praemissis et ea concernentibus vel quomodolibet dependentibus ab eisdem agendi, faciendi et exercendi, quae

agere, facere et exercere posset et valeret ipsum generale Capitulum et totus Ordo, invocato ad hoc si et quantum opus fuerit auxilio brachii saecularis, seu quorumcumque dominorum, iudicum aut potentum ecclesiasticorum aut saecularium consilio, auxilio et favore. Omnibus igitur dictorum monasteriorum seu locorum regularium Ordinis personis regularibus utriusque sexus, in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae poenis, conformiter ad mandatum apostolicum praedictum, districte praecipit generale Capitulum, quatinus praedicto commissario in omnibus et singulis praemissis tamquam generali Capitulo totique Ordini, imo verius S. D. N. Papae humiliter obediant et devote pareant, omni appellatione et excusatione semotis. Datum sub sigillo Diffinitorum dicti Capituli generalis, die, mense, anno et loco supradictis.

55. *Commissio pro abbate de Candelio.* Generale Capitulum Ordinis utilitatibus summis diligentiis invigilans, abbati de Candelio, Albiensis dioecesis, de cuius circumspectione, fidelique diligentia plenam in Domino gerit fiduciam, praesentium tenore sibi committendo plenariam confert potestatem et mandatum speciale petendi, recommonendi, exigendi, levandi et recipiendi, per se vel per alium, ab omnibus et singulis abbatibus, abbatissis, commendatariis, prioribus, cellerariis, bursariis, ceterisque officiariis quibuslibet omnium et singulorum monasteriorum, prioratuum et locorum regularium in inclitissimis regnis, provinciis et dominiis Arragoniae, Castellae, Navarrae, Portugalliae, Legionis, Valentiae, Maioricarum et Minoricarum, ac partium aliarum circumstantium omnes quotas tam contributionum quam arreragiorum earumdem, ac subsidiorum eisdem locis, necnon sacris militiis in eisdem regnis et dominiis situatis impositorum; de receptis sufficientes et validas quittantias per se vel deputatum suum dandi, necnon computationes receptorum vel collectorum dictarum contributionum et subsidiorum audiendi, approbandi vel reprobandi, necnon dictos receptores ad reddendum huiusmodi computationes et rationes receptarum et expensarum, necnon ad solutionem universarum receptarum ad 12 annos et citra monendi et compellendi, contradictores autem seu solvere nolentes aut differentes, per Ecclesiae censuras iuxta mandatum apostolicum et alias Ordinis coercitiones, necnon per omnes iuris et iustitiae vias ad solvendum et obediendum compellendi ipsos abbates, abbatissas, etc.

56. *Pro abbate de Candelio.* Cum pro arduissimis necnon urgentibus et maxime necessariis rebus Ordinis, praesens generale Capitulum necesse habuerit imponere gratiosum et charitativum subsidium quinque millium ducatorum super Ordinem universum, prout plenius constat per diffinitionem super hoc expresse confectam, dictumque Capitulum partem seu quotam praefati subsidii iuxta antiquam consuetudinem sacris militiis de Calatravia, de Montesia, de Alcantara, de Avis et de Iesu Christo in inclitissimo regno Portugalliae ad summam quadringentorum ducatorum praefatis militiis imposuerit distribuendam, iuxta discretionem abbatum commissariorum deputatorum ad visitationem et reformationem omnium monasteriorum utriusque sexus ac militiarum et locorum Ordinis in inclitissimis regnis Hispaniarum et Portugalliae situatorum, idem generale Capitulum tenore praesentium mandat et praecipit abbati de Candelio, in sacra pagina baccalario, Albiensis dioecesis, quatinus convocatis duobus aut tribus dictorum commissariorum dictam summam distribuant eisdem militiis, habito respectu ad facultates earum, districtius praecipiens magistris et rectoribus earumdem militiarum et cuilibet eorum, sub poenis et censuris per eosdem commissarios declarandis, quatinus summas sibi impositas cum restis ultimorum subsidiorum realiter et integraliter eidem abbati de Candelio persolvant, validam et sufficientem ab eo quittantiam recipiendo ; contradictores quoque aut solvere differentes per Ecclesiae censuras et alia iuris remedia compellat dictus abbas de Candelio, cui generale Capitulum dat potestatem absolvendi ab omnibus casibus, censuris et poenis Capitulo reservatis, in foro interiori et exteriori, omnes et singulas dictarum militiarum regulares personas, quoties poenituerint resipiscentes et se emendaverint.

57. Abbatibus de Uterinavalle et Alba dominorum committit praesens generale Capitulum ut se diligenter informent super venditione quorumdam bonorum immobilium, quam facere intendunt abbatissa et conventus monialium in Kirchbach, Spirensis dioecesis, et si venditionem huiusmodi monasterio utilem invenerint pro aliorum bonorum meliorum comparatione, eam ratificent et confirment, in plenaria ipsius Capituli generalis et Ordinis potestate, sic tamen quod pecuniae inde recipiendae non nisi ad redemptionem usurarum ac bonorum monasterii impignoratorum recuperationem convertantur.

58. Domino abbati de Firmitate et abbati de Bonoportu, et cuilibet eorum in solidum committit praesens generale Capitulum, quatinus se diligenter informent super quibusdam iniustis perturbationibus, persecutionibus et invasionibus, quae factae sunt et dietim fiunt contra fratrem Guillelmum de Moncello, abbatem praetensum monasterii Fulcardimontis, a quibusdam ambitiosis tam saecularibus quam religiosis nostri et aliorum Ordinis monasterium suum invadere volentibus, necnon super quadam praetensa assignatione pensione 130 librarum turonensium, quam habere praetendit frater Robertus Vallée, professus monasterii de Bellobecco, et secundum quod invenerint, iustitia mediante, dictum abbatem Fulcardimontis in sua possessione et iure suo manuteneant et defendant, invocato ad haec, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis et nihilominus supradictam pensionem, si minus iuste assignata fuerit, cassent, irritent et annullent, in plenaria Ordinis potestate.

59. Abbati Vallisdulcis committit praesens generale Capitulum, quatinus diligenter se informet super quodam tractatu seu conventione factis inter abbatem et conventum de Sigilleriis ex una, et honestum virum Claudium Berlault, mercatorem commorantem in Nogento super Sequanam partibus ex altera ; et si eas iustas, rationabiles et dicto monasterio utiles et fructuosas invenerit, easdem approbet, ratificet et confirmet, in plenaria Ordinis potestate.

60. Abbatibus de Porta, Dubriluck et de Novacella, ac duobus eorum simul, committit praesens generale Capitulum, quatinus accedentes quo propterea accedendum fuerit, se diligenter informent super nonnullis ordinationibus, quas inter se fecerunt abbas et conventus monasterii in Buch, tam in grangiis seu allodiis reparandis et piscinis construendis, quam aliis quibuscumque, et si ordinationes huiusmodi bonas, iustas rationabiles... *etc., ut supra.*

61. Abbatibus de Kolbatz et de Novocampo committit praesens generale Capitulum, quatinus se diligenter informent super electione, promotione et installatione fratris Gregorii in abbatem monasterii de Hylda, facta per abbatem de Dargun, et si eam aliunde iustam et canonicam invenerint, iuxta diffinitiones et statuta nostri Ordinis, ipsam auctoritate totius Ordinis approbent, ratificent et confirment, suas super hoc patentes litteras faciendo et decreto electionis praedictae affigendo, non obstante

quod abbas de Esrom, pater abbas immediatus dicti monasterii de Hylda ibi personaliter non comparuerit, neque commissarium aliquem sua auctoritate fungentem ibidem habuerit, cum saepius rogatus per se venire aut commissarium mittere non curaverit.

62. Cum ad obviandum diversis incommodis et detrimentis in monasteriis Ordinis, tam in spiritualibus et temporalibus ob patrum abbatum et visitatorum absentiam contingere solitis generale Capitulum habeat per opportuna remedia providere, deductum sit ad audientiam praesentis Capituli, quod abbas in Esrom, pater abbas et visitator immediatus monasteriorum de Hylda et de Kolbatz propter nimiam distantiam ac pericula viarum maxima terrae marique imminentia raro vel nunquam praedictas filias suas visitare consueverit, requisitus commissarios sua auctoritate fungentes illic mittere recuset, praesens generale Capitulum huiusmodi incommodis et detrimentis, quae in dictis monasteriis ob defectum visitationis contingere possent, obviare cupiens, abbati de Novocampo aut alteri ullarum partium, quem dictorum monasteriorum abbates vel conventus ad hoc requirere voluerint visitationem et reformationem praefatorum monasteriorum de Hylda et de Kolbatz committit, dans sibi auctoritatem et plenum posse quolibet anno semel, quo praefatus pater abbas de Esrom personaliter aut per alium abbatem sua auctoritate fungentem visitare neglexerit praedictum monasterium intrandi, ibidemque tam auctoritate praefati patris abbatis quam Capituli generalis et totius Ordinis visitandi, reformandi, corrigendi, instituendi et destituendi, in capite et in membris, quaecumque iuxta Ordinis instituta canonica invenerit visitanda reformanda, corrigenda, instituenda et destituenda ; cessiones insuper abbatum, si iustae et rationabiles visae fuerint, quoties opus fuerit, recipiendi, ac monasteriis sive sic sive per mortem aut quemcumque alium modum vacaverint, de novis abbatibus, sive per electionem canonicam, sive provisionem paternam, aut alio quovismodo legitimo providendi, omniaque alia et singula ibidem agendi, faciendi et exercendi, quae pater abbas ibidem agere, facere et exercere posset et deberet, si praesens adesset, sine tamen praeiudicio patris abbatis praedicti, quem iure suo propter hoc privare praesens generale Capitulum minime intendit, quotiescumque ipse aut per alium commissarium abbatem huiusmodi visitationis officium voluerit exercere, non autem

per monachum simplicem, cum iuxta Ordinis instituta canonica soli abbates et non monachi visitationis habeant exercere.

63. Ad audientiam generalis Capituli non sine gravi displicentia pervenit, quod collegium Ordinis in studio Rostocken per Ordinis patres quondam maximo zelo inchoatum ad votivum effectum minime deductum est, quinimo modernis temporibus, civitate Rostocken diversis guerrarum turbinibus circumvallata, ad finem prosperum deduci nequaquam speratur ; ne tamen propterea occasionem capiant abbates partium Stagnalium suos studentes, iuxta Ordinis statuta ad generale studium non mittendi, committit praesens generale Capitulum abbatibus de Kolbatz et de Novocampo, ipsis et eorum cuilibet, in virtute salutaris obedientiae, districte praecipiendo, quatinus quamprimum commode poterint ad studium Gripeswaldense, quod in illis partibus nunc florere dicitur, se personaliter transferant, ibidem de loco ubi collegium Ordinis commode construi possit inquirendo, quo invento, omnes et singulos dictarum partium abbates inducant, ut praedictum locum in collegium erigant, atque congruis aedificiis construant, ut suo tempore studentes illic mitti possent ; quidquid autem in praemissis fecerint, in proximo futuro generali Capitulo fideliter referre non negligant, quatinus de residuis melius valeat provideri.

64. Generale Capitulum vehementer cupiens reparationem et restaurationem monasterii de Pomerio alias Bongart, Argentinensis dioecesis, ac bonorum eius deperditorum recuperationem, abbatibus de Lucella et de Novocastro ac de Porta cœli, et eorum cuilibet in solidum pie committendo, mandat in virtute salutaris obedientiae nihilominus districte praecipiendo, quatinus cum abbate dicti monasterii de Pomerio, assumpto secum priore Sancti Bernardi Argentinensis, personaliter accedant, vel alter eorum accedat ad strenuum militem dominum Nicolaum Ottonem Friderici in oppido Epfich commorantem, eumdem ex parte totius Ordinis instanter rogando, quatinus quamdam curiam in confinio eiusdem oppidi Epfich sitam, monasterio praedicto de Pomerio de iure pertinentem, quam pridem emit a Praedicatoribus Argentinensibus, qui pro certa pecuniarum summa, ut asserebant, eis debita illam occupaverant, eisdem abbati ac conventui de Pomerio reddat pro rationabili pretio, seu denariorum summa competente ; et si idem abbas et conventus eamdem summam ad praesens habere non possint, eis sub certa pensione

seu censu licitis et honestis huiusmodi summam usque ad tempus, quo eam habere poterunt, super eadem curia ac aliis ipsius monasterii pertinentiis dimittat, de quibus omnibus dictis abbatibus et priori eorum singulis contrahendi, prout iustum ac etiam dicto monasterio de Pomerio utile iudicaverint, cum dicto domino milite conveniendi seu tractandi idem generale Capitulum plenam confert auctoritatem, ita tamen quod conventio seu tractatus, aut potius tractatus huiusmodi sub scriptura authentica cum sigillis dictorum abbatum et prioris, aut ad minus duorum ex ipsis cum sigillis abbatis et conventus Pomerii, de unanimi consensu illorum de conventu aut maioris et sanioris partis, ut moris est in Ordine, fiat et roboretur, ac deinde in proxime futuro generali Capitulo iuxta statuta papalia eiusdem Ordinis confirmandus praesentetur, faciantque similiter dicti abbates et prior vel eorum duo cum quibuscumque aliis detentoribus bonorum dicti monasterii de Pomerio pro eorumdem bonorum recuperatione dictum abbatem fideliter iuvando.

65. Abbatibus de Loco Mariae et Pomerio, ac eorum cuilibet in solidum committit praesens generale Capitulum, quatinus monasterium in Otterburg infra immediate sequens triennium, quolibet anno semel vel quoties opportunum aut necessarium fuerit, simul aut alter ipsorum solus, de voluntate tamen et consensu alterius, personaliter accedant, vel alter eorum accedat, ac ibidem auctoritate Capituli generalis ac totius Ordinis visitent, reforment, corrigant, instituant et destituant, in capite et in membris, omnia et singula, quae iuxta regularia instituta Ordinis invenerint visitanda, reformanda, corrigenda, instituenda et destituenda, omniaque alia agant, faciant et exerceant, quae pater abbas eorum immediatus ibidem agere, facere et exercere posset et deberet, si praesens adesset, attento quod patri abbati eorum immediato abbas modernus et conventus ibidem rebelles existunt, variasque minas ipsi intulerunt, principes temporales contra ipsum et monasterium suum commovendo, si aliquid contra eos attentaret, specialiter tamen ipsis et eorum cuilibet in solidum mandat et praecipit idem Capitulum, ut super quadam conspiratione, quam fecisse asseruntur fratres Ioannes Holtzner, prior ibidem et alii eidem adhaerentes, in resignatione senioris abbatis se diligenter informent, et prout invenerint iustum et aequum ipsos corrigant et emendent, et nihilominus, ut litteras

provisionis seu pensionis annuae fratri Ioanni Slich, seniori abbati in Otterburg suam resignationem per patres Ordinis ibdem praesentes de consensu conventus assignatae diligenter examinent easque si iuste ac rationabiles inventae fuerint, confirment abbatem et conventum ad pensionem huiusmodi solutionem integram in suis terminis per censuras Ordinis compellendo, in plenaria Ordinis potestate; omnia tamen et singula praemissa agant, faciant et exercent dicti commissarii sine praeiudicio patris abbatis, neque in electione novi abbatis, si quam interim ibidem fieri contingat, habeant praesidendi auctoritatem, nisi per patrem abbatem praedictum ipsis aut eorum alteri specialiter committatur.

66. Abbati Sancti Galgani Senensis committit praesens generale Capitulum, quatinus diligenter se informet super electione, promotione et institutione sororis Angelinae in abbatissam monasterii Sancti Thomae prope Reatensem civitatem, et si easdem rite et canonice iuxta Ordinis statuta processum invenerint, approbet, ratificet et confirmet; sin autem, easdem cassando et annullando ipsi monasterio de novo provideant, prout sibi viderit expedire, iuxta formam Ordinis, in plenaria Ordinis potestate.

IUDICES

67. Committit praesens generale Capitulum abbati de Sinaqua, ut per omnes iuris et iustitiae vias compellat fratrem Honoratum de Bachio, monasterii de Thoroneto assertum abbatem, ad realiter et cum effectu satisfaciendum fratri Falconi Planeti, priori monasterii de Sinaqua, de summa 20 librarum turonensium annuae pensionis ad vitam sibi assignatae super fructibus et proventibus dicti monasterii de Thoroneto, cum arreragiis eiusdem, in plenaria Ordinis potestate.

68. Domino abbati de Firmitate, necnon abbatibus de Caroliloco, de Regalimonte, s. th. pr., de Valledulci, et eorum cuilibet in solidum, praesens generale Capitulum committit, quatinus omnes et singulas Ordinis personas cuiuscumque status, sexus, conditionis aut dignitatis existant, quas per testes fide dignos, litteras obligatorias, instrumenta aut alia legitima documenta debite teneri aut obligari in aliquibus pecuniarum, vini, bladi aut aliarum quarumcumque rerum summis, collegio sancti Bernardi Parisiis, bursario aut cellerario eiusdem invenerint, ad

integre et plenarie solvendum et satisfaciendum Ordinis collegio ac praedictis bursario et cellerario aut eorum procuratori debite per poenas et censuras Ordinis astringant et compellant, in plenaria Ordinis potestate ; omnibus et singulis ordinis personis in sacro presbyteratus ordine constitutis, quibus haec praesens diffinitio exhibita fuerit districte praecipiendo et mandando, quatinus citent peremptorie ad dies et horas competentes, coram dictis abbatibus aut eorum altero omnes et singulas praemissas ordinis personas eisdem collegio et personis praefatis aut earum procuratori, quod iustum fuerit responsuras.

69. Ad idem, pro honorabili viro Bertoleto Pastillario curiae Parisiensis, eisdem praedictis abbatibus et eorum cuilibet.

70. Ad idem, pro domino Caroliloci, s. th. pr., et suo monasterio, abbatibus de Regalimonte, s. th. pr., de Ursicampo et de Vallibus Sernay, et eorum cuilibet.

71. Ad idem, pro Cistercio, domino de Firmitate, de Balerna, de Maceriis, et eorum cuilibet.

72. Ad idem, pro domino de Barbello, domino abbati de Firmitate, abbatibus etiam de Caroliloco, de Vallibus Sernay et de Valledulci, et eorum cuilibet.

73. Ad idem, pro Prulliaco, domino abbati de Firmitate, de Regalimonte, de Caroliloco, s. th. pr., de Vallelucenti et de Valledulci, et eorum cuilibet.

74. Ad idem, pro Pontigniaco, domino abbati de Firmitate, de Caroliloco, de Montepetroso et eorum cuilibet.

75. Ad idem, pro domino Claudio Barrequel, presbytero curato Montisanium, abbatibus de Aceyo et de Bullione et eorum cuilibet.

76. Ad idem, pro fratre Ioanne de Arbosio, electo monasterii Bellaevallis, abbatibus de Lococrescenti et de Theoloco, et cuilibet eorum.

77. Ad idem, pro abbate Claraevallis, pro abbatibus de Heberbaco et Heysterbacho, si eis constituerit abbatem de Lucella teneri in aliquibus pecuniarum summis.

78. Ad idem, pro abbate Vallisdulcis, dominis abbatibus de Firmitate, de Morimundo, de Regalimonte, s. th. pr., de Clarofonte, et cuilibet eorum.

[DIFFINITIO] SPECIALIS CONTRA CLARAMVALLEM.

79. Ad audientiam praesentis Capituli non sine gravi displicentia pervenit, quod dominus Petrus, abbas Claraevallis, obedientiae regularis et suae professionis immemor, varias et multiplices contra Ordinis statuta et consuetudines hactenus observatas commisit abusiones, atque in dies committere non omittit, utpote quia se supremum monasteriorum suae filiationis nominat, scribit et dicit, quia auctoritatem generalis Capituli supremam sibi usurpat, faciendo multa quae ad generale Capitulum solum spectant, ut concedere licentiam circumferendi reliquias sanctorum per mundum gratia quaestus, absolvere monachos fugitivos a casibus generali Capitulo reservatis, praecipiendo abbatibus, ut sic absolutos recipiant, dare litteras suffragiorum et participationum Ordinis, legitimare et similia, quae non nisi generale Capitulum cum maxima difficultate facere consuevit ; quia etiam auctoritatem Capituli generalis coarctat et limitat pro suae libito voluntatis, inhibendo suis subditis sub excommunicationis latae sententiae poena, ne quemcumque commissarium Ordinis praeter suum substitutum aut abbatem Cistercii in propria persona, aut unum de quatuor primis, quando cum plenaria Ordinis potestate destinantur, recipiant, per quod impedire nititur, ne dominus Cistercii aut generale Capitulum mittere possint in sua filiatione quemcumque alium commissarium praeter praedictos ; ac demum quia extinguere nititur ac omnino delere sacratum nomen Ordinis Cisterciensis et introducere nomen aliud, scilicet nomen Sancti Bernardi intitulando se abbatem monasterii B. M. et S. Bernardi de Claravalle, in quo plurimum derogat statutis Ordinis, quibus praecipitur, ut omnia monasteria et loca Ordinis B. M. honore consecrentur, iniuriatque universis praedecessoribus et sanctis patribus Ordinis, qui se Ordinem Cisterciensem et non Sancti Bernardi professos gloriati sunt, imo et maximum ponit in ipso Ordine offendiculum, cum privilegia, libertates, exemptiones et gratiae a Summis Pontificibus Ordini concessae, non Ordini S. Bernardi sed Cisterciensi concessae legantur. Quibus omnibus et aliis inconvenientiis, quae ex hoc in Ordine oriri possent, obviare cupiens praesens generale Capitulum sub excommunicationis latae sententiae et suspensionis a sua iurisdictione et auctoritate quam in sua filiatione habere praetendit poenis, ipsi abbati Claraevallis dis-

tricte inhibet, ne deinceps in Ordine supremum quovismodo se nominet, neque de conferendis licentiis supratactis aut absolvendis personis a casibus generali Capitulo reservatis, aut de concedendis litteris suffragiorum Ordinis, aut legitimationibus, rehabilitationibus, aut quibuscumque aliis dispensationibus, ad generale Capitulum dumtaxat spectantibus se quovismodo intromittere praesumat, nisi super hoc ab ipso generali Capitulo, vel R. D. N. Cistercii auctoritatem habeat sibi specialiter concessam, revocando, cassando, annullando omnes et singulas huiusmodi licentias, absolutiones, concessiones, legitimationes, rehabilitationes, aliasque quascumque dispensationes seu gratias, absque generalis Capituli auctoritate per dictum abbatem Claraevallis concessas, necnon commissiones per eum in praeiudicium domini Cistercii et Capituli generalis, sicut praemittitur, factas ; inhibetque idem Capitulum sub eisdem poenis, quibus supra, omnibus et singulis abbatibus, abbatissis, et aliis personis regularibus Ordinis, ne commissionibus huiusmodi quomodolibet obediant, aut commissarios per generale Capitulum aut R. D. Cistercii deputatos in suis visitationibus impediant aut admittere recusent, vult etiam idem Capitulum conformiter ad antiquas et laudabiles consuetudines hactenus observatas, ut ipse Ordo noster, tam in communi quam in particulari, nomen S. Bernardi aut cuiuscumque alterius denominationis, sed Cisterciensis dumtaxat ab omnibus nominetur, non propter hoc derogando honori beatissimi P. N. Bernardi, qui licet ipsum Ordinem doctrinis et miraculis suis plurimum illustraverit, non tamen ipsum incepit, neque fundavit, imo per multos annos post Ordinis inchoationem Cistercium adhuc saecularis intravit, ibidemque habitum Ordinis suscepit et professionem regularem emisit, se monachum Cisterciensem constituendo, et ubique ac semper asserendo ; executionem praesentis diffinitionis omnibus et singulis Ordinis commissariis committendo, in plenaria Ordinis potestate. Datum sub appensione sigilli Diffinitorum eiusdem Capituli generalis die 14 mensis septembris, anno Domini 1487.

[COMMISSIONES]

80. Praesens generale Capitulum fide dignorum relatu sciens quamplurima Ordinis monasteria utriusque sexus, necnon militias quasdam et alia Ordinis loca, in inclitissimis regnis Hispania-

rum, Portugalliae et dominiorum circumvicinorum multipliciter inquietari, tubari, et molestari, maxime super infractionibus privilegiorum, statutorum et laudabilium consuetudinum ipsius Ordinis in novitatibus per quosdam religiosos contra formam ipsius Ordinis in commendis plurium monasteriorum, in annullatione libertatum Ordinis, in unionibus monasteriorum et locorum Ordinis ad nonnullas ecclesias et alias multipliciter in maximum totius Ordinis damnum et scandalum universi status ecclesiastici ; quibus damnis, inconvenientibus et scandalis, per iustitiae et aequitatis vias occurrere cupiens generale Capitulum, post maturam deliberationem creat, constituit et ordinat venerabilem patrem abbatem de Candelio, Albiensis dioecesis, in sacra pagina baccalarium, Ordinis procuratorem et nuntium specialem, cui tenore praesentium dat plenariam potestatem et mandatum speciale obviandi per omnes iuris et iustitiae vias universis et singulis huiusmodi infractionibus privilegiorum, statutorum, et consuetudinum Ordinis, dictisque incommodis, necnon super illis instanter, instantius, instantissime implorandi auxilium et favorem serenissimorum principum, dominorum regum Arragoniae et Portugalliae, necnon dominarum reginarum eorumdem regnorum, et quorumlibet reverendorum praesulum, archiepiscoporum, episcoporum, abbatum, priorum, decanorum et quorumlibet dominorum ecclesiasticorum, necnon universorum dominorum comitum, baronum, nobilium, iudicum, et rectorum communitatum quocumque nomine censeantur, ut pro Dei reverentia et sacrae religionis nostrae intuitu faveant sibi et Ordini in persona sua ad obviandum dictis et similibus maioribus aut minoribus violentiis et infractionibus, et ad reducendum monasteria ipsa et loca regularia in pristinam Ordinis formam, monasteria et loca seu bona Ordinis alienata seu quibuslibet aliis locis unita aut incorporata petendi, recuperandi et ad manus Ordinis reponendi, appellandi quoque a quibuslibet gravaminibus Ordini et dictis locis regularibus illatis et comminatis, apostolicos petendi, appellationes relevandi, exsequendi, intimandi et prosequendi, comparendi coram quibuscumque iudicibus tam ecclesiasticis quam saecularibus, citationes obtinendi, exsequendi, in iudicio se praesentandi, litteras, actus et quaelibet instrumentorum genera petendi, recipiendi et levandi, libellum seu libellos dandi, offerendi et refutandi, duplicandi, triplicandi et quadruplicandi ; recredentiam quorumlibet bonorum

Ordinis petendi et exigendi, apostatas, fugitivos et girovagos Ordinis personas capiendi, incarcerandi, iuxta demerita puniendi et ad monasteria propria expensis dictorum monasteriorum remittentes, unum vel plures cum simili vel ampliori seu minori potestate, prout opportunum viderit, procuratorem seu procuratores instituendi, substituendi, et quoties voluerit renovandi, et generaliter agendi, faciendi et prosequendi in praemissis et ea tangentibus, ac ab eis dependentibus omnia et singula quae agere, facere potest et debet verus et legitimus procurator, ac si cuncta specialibus clausulis specialiter hic designarentur seu declarentur, promittendo bona fide gratum, ratum et firmum habere quidquid per dictum procuratorem actum, gestum et factum fuerit in praemissis. Datum, etc.

81. Cum propter varia et multiplicia agenda quae in diversis mundi partibus a certis annis Ordini acciderunt, quandoque per generale Capitulum, quandoque per R. D. Cisterciensem, plenaria Ordinis auctoritate fungentem, diversis annis diversi in pluribus mundi partibus constituti fuerint Ordinis procuratores ad defendendum Ordinis negotia, libertates et privilegia, iuxta tenores litterarum procuratoriarum desuper confectarum, intellexeritque praesens generale Capitulum tantam procuratorum numerositatem deinceps minus esse et fore utilem, propter certas rationabiles causas praesens generale Capitulum universos et quoslibet huiusmodi procuratores et eorum substitutos quoslibet cum dictis litteris procuratorialibus quibuslibet cassat, revocat et annullat, cassaque, irrita, nulla ac nullius momenti seu vigoris declarat quaecumque per dictos procuratores seu alterum eorum, aut per substitutos ipsorum a data praesentium et deinceps acta, procurata, impetrata, dicta, prosecuta seu facta fuerint nomine Ordinis, sive tamquam procuratores ipsius Ordinis, exceptis dumtaxat, etc., quos et eorum quemlibet cum litteris procuratorialibus quoad personas ipsorum dictum generale Capitulum in praedicto officio procuratoriatus confirmat, continuat, roborat et approbat, volendo publicationem praesentis diffinitionis in praesenti generali Capitulo factam pro omni alia publicatione, ut iustum et solitum est fieri, sufficere.

82. Abbati de Eberbaco gratiose concedit praesens generale Capitulum, ut monachos monasterii in Otterburg dudum abbati proprio rebelles ac sine ipsius licentia monasterium suum egressos et contra ipsum abbatem conspirantes, si tamen resipiscere et

sua delicta recognoscere et pro eis poenitentiam sibi infligendam humiliter subire voluerint, absolvere possit, et ad omnes Ordinis gradus, honores, voces et actus legitimos, sive etiam officia et dignitates rehabilitare, et cum ipsis super irregularitate, si quam contraxerunt, dispensare, in plenaria Ordinis potestate.

83. Cum propter patrum abbatum nimiam distantiam et accedendi impossibilitatem, monasteria Ordinis plurima in utroque regimine saepius incurrere soleant detrimenta, generalisque Capituli sit ipsorum patrum abbatum negligentias et defectus supplere, abbati et conventui de Eberbaco, domino Claraevallensi immediate subiecti, gratiose concedit idem generale Capitulum, ut quoties opus fuerit, in resignatione abbatis seu novi abbatis creatione seu quibuscumque aliis, quae patris abbatis auctoritatem requirunt, quando commode ad dominum Claraevallensem suum patrem abbatem mittere non possunt, vel ipse pater abbas praesens adesse, aut suam illic auctoritatem transmittere distulerit, quemcumque ex vicinis abbatibus et praesertim monasteriorum de Schonavia, de Castro aquilae aut Loco Mariae vocare voluerint, evocent, cui dat generale Capitulum auctoritatem plenariam sive in resignationibus, acceptationibus, sive electionibus faciendis, sive aliis quibuscumque actibus ad patrem abbatem pertinentibus ipsius patris abbatis vices supplendi.

84. Cum honorabilis vir magister Iacobus du Breucquet, decanus Montensis et canonicus Cameracensis, nostri totius Ordinis Cisterciensis in romana Curia procurator generalis, a S. D. N. Papa certum obtinuerit indultum seu privilegium pro toto Ordine, ut monasteria Ordinis desolata aliis unire possit et valeat, propter quod in camera apostolica pro solutione annatorum dictorum monasteriorum uniendorum, videlicet illorum quae antedictam unionem ad annatum tenerentur se nomine Ordinis obligaverit, praesens generale Capitulum dictum indultum seu privilegium gratanter acceptans ac ratum esse cupiens praedictam obligationem ratam ac firmam in perpetuum teneri promittit, datque auctoritatem et plenum posse dicto magistro Iacobo procuratori nomine totius Ordinis de novo, si opus sit, ad haec et alia opportuna ac necessaria in eisdem se ac totum Ordinem, ut praemittitur, obligandi promittens rata, grata, accepta et firma habere in perpetuum, quaecumque per dictum magistrum

Iacobum procuratorem in praemissis fuerint acta, gesta aut quomodolibet procurata.

85. Cum honorabilis vir magister Iacobus du Breucquet, decanus Montensis et canonicus Cameracensis, totius nostri Ordinis Cisterciensis in romana Curia procurator generalis, certas bullas, maximas gratias, privilegia, libertates et exemptiones, Ordini plurimum utiles ac fructuosas, a Sanctissima Sede Apostolica nuper ordinatione domini Cistercii impetravit et obtinuerit, quae tamen ob defectum solutionis debitae Romae in camera apostolica et alibi in banchis dimisit, praesens generale Capitulum praedictas impetrationes, tam factas quam fiendas, ratas, gratas et acceptas habens, desideransque ut bullae huiusmodi, tam a camera apostolica quam a banchis illis quantocius extrahantur nomine totius Ordinis, dat auctoritatem, facultatem et plenum posse domino abbati de Firmitate dicti Cisterciensis Ordinis, Cabilonensis dioecesis, ac dicto magistro Iacobo procuratori, et eorum cuilibet in solidum accipiendi mutuo a quibuscumque banchariis seu mercatoribus seu in urbe Lugduni commorantibus, summam duorum millium ducatorum ac de pretio loco et tempore solutionis conveniendi, necnon obligandi se ac totum Ordinem Cisterciensem omniaque eius monasteria et membra ubilibet constituta in forma meliori camerae apostolicae aut aliter, prout opportunum viderint, dictis banchariis aut mercatoribus, omniaque alia et singula agendi, faciendi et exercendi, quae in praemissis necessaria videbuntur sub hypotheca et obligatione omnium bonorum mobilium et immobilium dicti Ordinis et omnium eius monasteriorum et membrorum nomine quo supra, ratum, gratum et acceptum habere promittens quidquid per dictos dominum de Firmitate et magistrum Iacobum procuratorem vel eorum alterum, in praemissis fuerit actum, factum, gestum aut quomodolibet procuratum.

86. Praesens generale Capitulum sufficienter informatum de honestate vitae et religiosa conversatione fratris Theodorici Van der Hallen, professi monasterii Campensis, Coloniensis dioecesis, confessoris monasterii sanctimonialium de Monte principum, Cisterciensis Ordinis eiusdem Coloniensis dioecesis, ad instantissimam supplicationem abbatissae et conventus ibidem sub confidentia, quod regularis observantia ibidem noviter introducta adiutorio dicti confessoris melius ac firmius tenebitur et continuabitur, confirmando concessionem praebendae ad victum

dicti fratris Theodorici de consensu proprii abbatis sui per abbatissam et conventum dicti monasterii Montis principum promissae et concessae iuxta tenorem litterarum, cui praesentes annectuntur, ipsum fratrem Theodoricum in dicto confessoratus officio, seu in dicto monasterio de Monte principum, quamdiu in humanis vixerit, continuat et confirmat, inhibendo tam dicto abbati de Campo quam aliis quibuscumque ne ipsum inde quovismodo abire compellant, nisi quod absit, ab honestate vitae aut religiosa conversatione pristina, ipsum notabiliter contingeret declinare.

87. Abbati et conventui de Hymmenrode et abbatissae et conventui Sanctae Catharinae virginis, Trevirensis dioecesis, gratiose concedit praesens generale Capitulum, ut liceat eis peragere singulis annis anniversarium dominorum nobilium de Palant, dominorum Flatten et Ioannis Hecken de Liethge, sic ea quod quae inde ab eisdem nobilibus recipiantur ad perpetuos redditus ad usus dictorum monasteriorum comparandos applicentur.

88. Pio charitatis affectu compatiens praesens generale Capitulum abbati de Pietate Dei, s. th. pr., super diuturna et maxima vexatione ipsius a quodam suo competitore propter quam multas ac magnas pecuniarum summas consumpsit, et se suumque monasterium ac parentes ad inopiam non modicam perduxit, cui quidem inopiae, quoad possibile fuerit, succurrere volens idem Capitulum ipsum et suum monasterium a solutione contributionum Ordinis a toto tempore praeterito usque nunc debitarum gratiose supportat ac quittat, mandando omnibus et singulis Ordinis commissariis et contributionum Ordinis receptoribus, quatinus ipsum suumque monasterium ad solutionem contributionum huiusmodi minime compellant ; et quia, ut ad eiusdem Capituli deductum est notitiam, nonnulli ex parte abbatis Claraevallensis contributionum receptores seu commissarii certas contra eum fecerunt fulminationes sententiarum ob non solutionem contributionum huiusmodi, propter quas ad idem Capitulum appellare fuit coactus, praesens generale Capitulum eadem qua prius pietate motum, omnes et singulas in eum comminatas seu etiam fulminatas aut pronuntiatas sententias et censuras, aut adhuc fulminandas et pronuntiandas ob non solutionem huiusmodi cassat, irritat et annullat ac nullius roboris ac momenti esse, fuisse aut fore pronuntiat et declarat.

89. Cum propter commendae disturbium in monasterio Fontis Danielis quamplures fratres religiosi idem disturbium sufferre non valentes a monasterio ipso discesserunt, ac per mundum sine pastore vagari sint coacti, praesens generale Capitulum ipsorum compatiens exilio, ipsosque ad Ordinis gremium cupiens revocare, abbati de Pietate Dei, s. th. pr., concedit ut si qui ex religiosis praedictis voluerint in suo monasterio habitare, illos colligere valeat, et debita probatione praemissa possit etiam eos recipere ad professionem regularem, cum facultate ipsos ac eorum quemlibet ab omnibus sententiis, censuris et poenis, quas propter hoc incurrerunt, aut incurrere quomodolibet potuerunt, absolvendi et super irregularitate, si quam contraxerunt, cum ipsis dispensandi.

90. Super quaestione mota inter fratrem Anthonium, seniorem abbatem, et Leonardum monasterii de Vetericella ex parte dignitatis abbatialis dicti monasterii, decernit praesens generale Capitulum, quod commissio facta per R. D. N. Cisterciensem abbatibus de Lenyn et Dobriluck in causa appellationis interpositae per dictum seniorem abbatem suum sortiatur effectum, expecteturque relatio dictorum commissariorum, quibus auditis R. D. Cistercii decretum electionis dicti fratris Leonardi confirmare vel infirmare habeat, prout viderit iustum ac consonum rationi, in plenaria Ordinis potestate.

91. Cum ea quae a christifidelibus sive per testamenta et ultimas voluntates, sive per alias quascumque pias elargitiones et donationes monasteriis et locis regularibus, legantur aut donantur, non ob aliud conceduntur nisi ut personae regulares ad divini cultus frequentationem illis melius valeant sustentari, praesens generale Capitulum plenam ac liberam facultatem et licentiam concedit abbati et conventui monasterii in Porta, ut huiusmodi legata vel donata a christifidelibus libere recipere possint et valeant, ita tamen quod illa non per abbates recipiantur ac suis usibus particularibus sine scitu et consensu sui conventus applicentur, sed cum communi omnium consilio ad communem monasterii aut fratrum necessitatem convertantur.

92. Gloriosissimam Dei genitricem et virginem Mariam, totius sacri Ordinis patronam, ab omnibus et singulis Ordinis personis semper et ubique debitis venerandam officiis dignum iudicans generale Capitulum, abbati et conventui monasterii de Porta licentiam concedit, ut festum Praesentationis B. M. V.

quod in suis partibus, ut asserunt, apud vulgum celebre habetur, celebrare possint et valeant, ne saecularibus minus devoti ad ipsam beatissimam Virginem videantur.

93. Generale Capitulum gratiose concedit abbati et conventui in Porta et omnibus et singulis personis regularibus ibidem constitutis, necnon monialibus monasteriorum sibi subiectorum, ut unusquisque eorum vel unaquaeque earum eligere valeant confessorem Ordinis ad hoc sufficientem et idoneum per abbatem deputandum, qui semel hoc anno eos vel eas absolvant ab omnibus casibus, delictis, censuris et poenis generali Capitulo specialiter reservatis.

94. Ut viri docti in Ordine ad ipsius decus et commodum enutriri valeant, ac ad scientiarum culmen citius promoveri, praesens generale Capitulum concedit abbatibus et conventibus monasteriorum in Porta et Sittenbach, ut in suis monasteriis aut aliis locis regularibus habere possint magistros artium saeculares vel regulares doctos et peritos, qui iuvenes suos ibidem instruant in grammatica et aliis primitivis scientiis seu artibus liberalibus, quatinus in his bene et sufficienter instructi et fundati tandem ad sacrarum litterarum haurienda dogmata in generali studio idonei habeantur, vult etiam idem Capitulum, ut tales postquam ad generale studium venerint, per provisorem ibidem diligenter examinentur, et si sufficientes fuerint reperti, detur eis facultas sub determinatione vel determinatione gradus consequendi, ut in his initiati ad altiora sacrae theologiae studia valeant convolare.

95. Ad idem, pro monasterio in Buch.

96. Cupiens generale Capitulum pacem et concordiam inter Ordinis monasteria et eorum abbates conservare, et dissensionibus, simultatibus ac dispendiis, quantum fuerit possibile, obviare, monasteria partium Prussiae, videlicet de Oliva et Polplin ab omni superioritate, visitatione, reformatione et correctione abbatum regni Poloniae, quacumque etiam auctoritate fungentium penitus segregat et concludit, attento quod maxima sit viarum distantia et linguarum et morum diversitas inter Polonos et ipsos, sed vult ac decernit, ut de cetero commissario Ordinis de partibus Stagnalibus subiiciantur, inhibendo omnibus et singulis commissariis Ordinis regni Poloniae, sive generalis Capituli et R. D. N. Cisterciensis, sive alia quacumque Ordinis auctoritate fungentibus, ne de cetero eos et eorum monasteria et con-

ventus in aliquo perturbare aut molestare praesumant, tam ratione studentium mittendorum ad Cracoviense studium quam alias, cum ab huiusmodi missione studentium ad Cracoviense studium propter certas causas rationabiles ipsos abbates de Oliva et Polplin habeat supportatos, ita tamen ut ad aliud aliquod studium vicinum, et quod sibi eligere maluerint ubi collegium Ordinis habeatur, iuxta Ordinis statuta et privilegia suos studentes mittere non omittant.

97. In causa appellationis mota inter abbatem et conventum monasterii in Polplin appellantes ex una, et abbatem Claraetumbae, rectorem collegii Cracoviensis appelatum partibus ex altera, super eo quod iam dictus abbas Claraetumbae nuper monuit et requisivit ipsos abbatem et conventum praedictos in Polplin, ut studentes cum sufficientibus provisionibus ad collegium Cracoviense mittere deberet, diversas sententias et censuras, nisi paruerint, comminando ; ex adverso vero abbas et conventus de Polplin produxerunt quamdam diffinitionem generalis Capituli anno Domini 1424 emanatam, per quam a missione studentium ad Cracoviam propter certas causas rationabiles fuerunt supportati, diffinit praesens generale Capitulum iam dictos abbatem et conventum de Polplin bene appellasse, confirmando ac etiam renovando dictam diffinitionem, videlicet quod certis ex causis rationabilibus generale Capitulum moventibus a missione studentium ad studium Cracoviense dicti abbas et conventus de Polplin sunt supportati, inhibendo dicto abbati de Claratumba ac quibuscumque aliis commissariis Ordinis in regno Poloniae, ne deinceps dictum abbatem de Polplin suumque conventum super missione studentium huiusmodi aliquo modo molestare aut sollicitare praesumat, omnes et singulas sententias, censuras et poenas per dictum abbatem de Claratumba aut alios commissarios propterea fulminatas nullius roboris ac momenti declarans, ita tamen, quod dicti abbas et conventus in Polplin obediendo statutis apostolicis ac Ordinis diffinitionibus ad aliquod aliud vicinum studium, ubi sibi visum fuerit et ubi habetur collegium Ordinis studentem suum mittere teneantur, a qua missione tamen studentis attentis diversis incommodis, quibus monasterium ipsum ad praesens gravatum, immediate sequens quinquennium gratiose supportat.

98. Temeritatem frivolam fratris Michaelis Sassen, monachi monasterii de Hylda expresse professi, detestans praesens gene-

rale Capitulum, qui contra proprii sui abbatis voluntatem a patre visitatore suo in priorem iam dicti monasterii promoveri licet nulliter obtinuit, quique saepius monasterium suum sine abbatis aut prioris sui licentia exivit, et per saeculum quocumque libuit vagatus est et adhuc vagatur, mandat omnibus et singulis abbatibus, prioribus aut aliis monasteriorum Ordinis praesidentibus et praesertim abbati de Esrom, in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis poena, ut praefatum fratrem Michaelem, si apud eos aut eorum quemquam inventus fuerit, ad proprium monasterium statim remittant ibidem per abbatem proprium, prout sua exigunt demerita, iuxta Ordinis instituta puniendum. Cassat insuper et annullat quamdam praetensam institutionem ipsius in priorem sui monasterii factam per dictum abbatem in Esrom praeter voluntatem proprii abbatis, cum iuxta sanctam regulam et regularia Ordinis instituta, proprii dumtaxat abbatis si praepositum seu priorem suo monasterio praeficere, eumque quoties opportunum et expediens fuerit, removere et alium eius loco subrogare ; dat insuper generale Capitulum facultatem et licentiam dicto abbati de Hylda dictum fratrem Michaelem ubicumque eum repererit in monasterio Ordinis vel extra capiendi, deducendi et carceribus mancipandi, invocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

99. Specialem gratiam facere cupiens cum abbate et conventu monasterii in Polplin, eidem abbati gratiose indulget, ut omnes et singulas personas regulares sibi subiectas per se vel alium confessorem Ordinis idoneum per ipsum deputandum infra annum proximum semel absolvere valeat ab omnibus sententiis, censuris, casibus et peccatis etiam generali Capitulo reservatis specialiter, quodque ipse abbas confessorem Ordinis eligere possit, qui eum a similibus sententiis, censuris, casibus et peccatis absolvat. — Eadem gratia conceditur abbati de Buch.

100. Cum apostolico docti praecepto alter alterius onera portare debeamus, ut impleamus legem Christi, cui et sacri nostri Ordinis statuta et diffinitiones non dissentiunt, quae monasteria Ordinis diversis incommodis gravata ab aliis monasteriis Ordinis et maxime vicinis praecipiuntur iuvari, praesens generale Capitulum intimo cordis affectu compatiens paupertati et inopiae fratris Petri Iuhès, s. th. bac., abbatis monasterii de Riveto, cui in prosecutione sui processus et boni sui iuris defensione sumptus necessarii deficiunt, omnes et singulos Ordinis

abbates, abbatissas, priores, priorissas, aliasque personas regulares ad quas praesentes litterae devenerint, hortatur, et in visceribus charitatis requirit, quatinus Dei et Ordinis ob reverentiam eidem abbati de bonis sibi a Deo collatis pie ac benivole subveniant, ad quod ut magis animentur de speciali gratia dat et concedit idem Capitulum generale dicto abbati de Riveto auctoritatem et plenum posse omnes et singulas personas regulares Ordinis sibi subvenientes per se vel alium Ordinis confessorem idoneum, cui vices suas committere voluerit, ab omnibus casibus, peccatis, sententiis, censuris et poenis etiam generali Capitulo specialiter reservatis, absolvendi.

101. Cum ex sacri nostri Ordinis statutis et diffinitionibus et maxime eius, quae omni anno legi consuevit, quae incipit : Cum Ordo noster... omnibus et singulis Ordinis abbatibus et personis regularibus sub excommunicationis latae sententiae poena inhibeatur ne quacumque occasione contributiones Ordinis a quibuscumque recipere praesumant, nisi de licentia Capituli generalis aut R. D. N. Cisterciensis ,deductumque sit ad notitiam praesentis generalis Capituli per quatuor quittantias suo sigillo impendente munitas ac manu propria subscriptas, quod abbas Caroliloci, s. th. pr., anno superiore a quatuor abbatibus partium Frisiae, videlicet Sancti Bernardi in Adwert, in Iherusalem, Claricampi et Floridicampi, contributiones trium annorum praeteritorum, sine aliqua commissione generalis Capituli aut R. D. N. Cistercii recepit, praesens generale Capitulum sententias excommunicationis propter hoc ipsum incurrisse reputat, denuntiat et declarat, mandans omnibus et singulis Ordinis commissariis ac aliis personis regularibus Ordinis universi super requirendis, quatinus in locis ad hoc idoneis et opportunis, ut a christifidelibus evitetur, has praesentes exsequi et publicare ubilibet non omittant.

102. Capitulum generale informatum quod fratrer Christoforus nuper abbas de Altasylva monasterium suum dimisit sine licentia Capituli generalis et in absentia abbatis Theodorici, patris abbatis immediati dicti monasterii de Altasylva, et quod conventus ipsius monasterii de Altasylva consenserit eidem Christoforo ad vitam suam per recompensam multarum pecuniarum quas, ut asserebat, de proprio ad utilitatem dicti sui quondam monasterii applicaverat, quoddam territorium, ut asserit, desertum et nonnulla alia bona plenius in litteris super hoc passatis declarata

possidere et habere et dictum Capitulum ulterius audiens praefatum Christoforum se ad monasterium de Belloprato in monachum transtulisse et illic fructus et proventus dictorum bonorum in praeiudicium dicti monasterii de Altasylva velle expendere, quodque frater Henricus dudum dicti monasterii abbas annuatim super fructus et proventus dicti monasterii triginta francos de pensione olim sibi assignata relevet et percipiat in maximum damnum dicti monasterii velle per huiusmodi pensiones et alia inconvenientia depaupertatum et desolatum et signanter per cuiusdam grangiae detentionem, quam frater Leonardus dicti monasterii monachus per quoddam pactum ad vitam suam libere et sine aliqua redditione detinet et possidet, et quod praefati detinentes et possidentes praemissa, extra monasterium in dictis locis maneant et continue resideant, nec divinum servitium frequentent, nec illud frequentare velint, quinimo velut ab obedientia Ordinis et abbatis sui exempti et nullatenus subiecti eidem obedire contemnunt. Hinc est quod dictum Capitulum diffiniendo praemissas pensiones et territoria fructusque suspendit, praecipit et mandat, quatinus ipse in plenaria Ordinis potestate omnia praedicta, territorium scilicet ceteraque omnia et singula tam in grangiis, pratis et pecuniis ad manus suas detineat, donec et quousque per dictum Capitulum aliter fuerit ordinatum; praefatis Christoforo, Henrico et Leonardo et ceteris qualiacumque dicti monasterii bona absque licentia dicti Capituli detinentibus et possidentibus, nec super praemissis et quolibet praemissorum dictum abbatem de Altasylva molestent, inquietent aut perturbent, sed illum permittant dictis bonis, ut praemittitur, uti pacifice et quiete sub poenis proprietariis taxatis, quas ex nunc praefati declarentur incurrisse, si quod absit, contrarium facere praesumpserint; et nihilominus pro decisione praesentis materiae praefati ad proximum generale Capitulum citantur.

103. Visis, auditis, examinatis causis, rationibus et circumstantiis appellationis abbatissae monasterii monialium de Vinhogollo, Magalonensis dioecesis, R. D. N. Cistercii immediate subiecti, appellantis ab abbate de Candelio propter certas ordinationes, inhibitiones et mandata eidem abbatissae et religiosis eiusdem monasterii auctoritate commissionis praefati R. D. N. Cisterciensis factis, ordinatis et ibidem derelictis ex una, contra dictum abbatem de Candelio appellatum partibus ex altera, considera-

tis insuper in hac parte considerandis, praesens generale Capitulum appellationem dictae abbatissae tamquam contra Ordinis instituta, statuta et ordinationes factam et emissam, frivolam, nullam declarat et desertam ; omnia autem et singula in dicto monasterio per dictum de Candelio acta et ordinata, inhibita, mandata de quibus appellatum fuit, bene, iuste et secundum Ordinis formam esse facta declarat et iudicat, dictam abbatissam ad refundendum expensas huius instantiae eidem abbati de Candelio per executorem huiusmodi diffinitionis taxandas, condemnando. Quo circa dictae abbatissae et monialibus dicti monasterii districte in virtute sanctae obedientiae praecipit et mandat idem generale Capitulum, quatinus omnia et singula in dictis ordinationibus, inhibitionibus et mandatis dicti de Candelio, necnon in carta visitationis R. D. N. Cisterciensis eidem monasterio novissime derelicta contenta et expressa efficaciter compleant, faciant et observent. Executionem praesentis diffinitionis primo abbati super hoc requirendo committendo, in plenaria Ordinis potestate. Datum, etc.

104. Generale Capitulum cum maximo cordis dolore suscipiens insolentias et maleficia fratris Iocelini de Divione, professi monasterii de Septem fontibus, qui suis publicis et manifestis maleficiis multos christifideles scandalizat, turbat et damnificat, in maximum Ordinis vituperium et damnum, populique christiani scandalum. Quibus malis, inconvenientibus et damnis pro posse obviare et de remedio opportuno providere cupiens idem generale Capitulum omnibus et singulis praefati monasterii de Septem fontibus, necnon totius Ordinis nostri regularibus personis in sacro presbyteratus ordine constitutis committendo, mandat et praecipit, in virtute salutaris obedientiae, quatinus dictum fratrem Iocelinum, ut dicitur, furem sacrilegum et apostatam capiant seu capi faciant, ipsumque in dicto monasterio de Septem fontibus, aut in aliquo propinquo Ordinis monasterio carceribus mancipandum adducant, et dictis carceribus mancipent usque ad aliam R. D. N. Cisterciensis vel generalis Capituli dispositionem. Omnibus et singulis abbatibus et officiariis ac praefatis regularibus personis Ordinis in sacro presbyteratus ordine constitutis super hoc requirendis executionem praesentis diffinitionis committendo, in plenaria Ordinis potestate.

105. Generale Capitulum libenter auditis priore et fratribus Bartholomeo, necnon Blasio, professis monasterii Caraevallis,

super quibusdam rationibus et causis reformationem, honorem et commoditatem eiusdem monasterii et totius Ordinis in partibus Italiae tangentibus et concernentibus ; et quia causae et rationes eorum et cuiuslibet ipsorum ipsos Ordinis zelatores probant et indicant, generale Capitulum ipsos fratres ad dictum monasterium Caraevallis remittit, mandans et praecipiens abbati et fratribus dicti monasterii, quatinus dictos fratres, maxime fratrem Bartholomeum benigne et charitative recipiant, nec ipsum fratrem in aliquo molestare aut inquietare praesumant quovismodo, sed in suo gradu et ordine religiose et regulariter teneant ; et quia certis ex causis idem generale Capitulum diffiniendo ordinavit abbatem de Balerna ad visitationem et reformationem ipsius monasterii et aliorum utriusque sexus, et locorum regularium monasteriorum in tota Italia et partibus transalpinis existentium, dictum Capitulum generale mandat et praecipit omnibus et singulis dicti monasterii Caraevallis et aliorum praefatorum monasteriorum regularibus personis cuiuscumque status, sexus, dignitatis aut conditionis existant, quatinus dum dictus abbas de Balerna ad eos venerit eum cum omni honore et reverentia et obedientia suscipiant, et ipsi tamquam generali Capitulo obediant.

106. Generale Capitulum attentis et consideratis virtutibus, sufficientiis et idoneitatibus fratrum Ioannis Marchand et Michaelis Lanentureau, monasterii de Eleemosina professorum, eisdem fratribus et cuilibet ipsorum licentiam concedit et facultatem sacros ordines suscipiendi ac recipiendi, de licentia tamen prioris eiusdem monasterii.

107. Capitulum generale gratiose abbati de Ioyaco concedit ut infra Pascha proximum omnes et singulas personas Ordinis sibi subiectas, pro semel ab omnibus peccatis, casibus, criminibus et delictis generali Capitulo specialiter reservatis, in foro conscientiae, cum salutari poenitentia, absolvere possit, utque infra idem tempus confessorem Ordinis idoneum eligat, qui eum a praefatis casibus absolvere possit et valeat, in plenaria Ordinis potestate.

108. Ad idem, pro abbate de Bellabrancha.

109. Ad idem, pro abbate de Longovillari.

110. Ad idem, pro abbate de Caroliloco, s. th. pr., exceptis sententiis quas in receptione contributionum incurrit.

111. Licentiam olim datam abbati de Buch ad mittendum

et tenendum suos scolares seu studentes in Universitate Lipzensi, generale Capitulum propter certas et rationabiles causas prolongat et in suo vigore permanere vult usque ad aliam ipsius generalis Capituli dispositionem.

112. Abbati de Crista sub poenis et censuris Ordinis, generale Capitulum ordinat, praecipit et mandat, quatinus fratrem Ioannem Rotharii professum suum recipiat, et cum aliis de conventu teneat, eidemque charitative sicut uni aliorum de necessariis provideat, nec de cetero contra statuta et ordinationes Ordinis sub poenis et censuris in eisdem contentis et expressis, ipsum nec aliquem de suo conventu nisi secundum Ordinis formam emittere praesumat ; executionem praesentis diffinitionis primo abbati Ordinis super hoc requirendo committendo, in plenaria Ordinis potestate.

113. Visis per generale Capitulum computationibus cellerarii collegii Sancti Bernardi Parisiis, professi monasterii Caroliloci, auditisque relationibus multorum proborum patrum super indebita administratione eiusdem collegii, maxime in eo quod ipse cellerarius minus necessarias proprio capite facit reparationes et debita praesertim pro luminari ecclesiae contracta non solvit, adeo ut propter huiusmodi debita clenodia, iocalia et alia eiusdem collegii bona sunt in continuo periculo venditionis et alienationis ad instantiam mercatorum in maximum non solum collegii sed et totius Ordinis damnum dedecus et vituperium, non potuit dictum Capitulum super tantis huiusmodi et aliis pluribus eiusdem collegii exorbitationibus non tristari ; quibus providere cupiens mandat et praecipit dicto cellerario sub excommunicationis et perpetuae emissionis poenis, quatinus infra triginta dies ab executione praesentis diffinitionis ad integrum solvat eisdem mercatoribus suarum computationum restas, et a tantis debitorum dispendiis collegium liberet, provisoris et magistri regentis in omnibus utendo consilio et ordinatione, nec de cetero aliquas reparationes nisi de dictorum provisoris et magistri regentis et seniorum consilio faciat ; executionem praesentis diffinitionis primo abbati Ordinis super hoc requirendo committendo, in plenaria Ordinis potestate.

114. Quia propter defectum virorum litteratorum in Ordine ex negligentia abbatum Ordinis, qui non mittunt scolares suos ad Ordinis universalia studia, multum in utroque statu laeditur et damnificatur, idcirco generale Capitulum omnes et singulas

diffinitiones olim in generalibus Capitulis super missione studentium seu contra abbates, qui suos scolares ad dicta studia mittere negligunt, aut renuunt, maxime ad studium seu collegium Sancti Bernardi Parisiis, renovat, approbat, ratificat et confirmat, mandans et praecipiens sub poenis et censuris Ordinis omnibus et singulis abbatibus, commendatariis, aut monasteriorum rectoribus, quatinus infra tempus seu terminum per huiusmodi diffinitiones executorem seu executores eis praefigendum et assignandum scolares suos ad praefatum studium seu collegium Sancti Bernardi Parisiensis, cum debitis et sufficientibus provisionibus mittant et eos teneant, alioquin poenas et censuras in dictis diffinitionibus, statutis et privilegiis Ordinis contentas et expressas incurrant, et in eas incurrisse per dictum executorem publicentur ; executionem huiusmodi diffinitionis primo abbati super hoc requirendo vocato provisore eiusdem collegii, committendo, in plenaria Ordinis potestate.

115. Capitulum generale gratiose abbati de Riddageshusen concedit, ut infra annum omnes et singulas Ordinis utriusque sexus personas sibi subiectas in foro conscientiae pro semel dumtaxat audire ac eas et earum quamlibet ab omnibus peccatis, casibus, criminibus et delictis, sententiis, censuris et poenis generali Capitulo specialiter reservatis, salutari poenitentia mediante, absolvere, utque infra idem tempus confessorem Ordinis idoneum eligat, qui eum a praefatis casibus sententiis et censuris absolvere possit et valeat, in plenaria Ordinis potestate.

116. Ad idem, pro abbate de Altasilva.

117. Ad idem, pro abbate de Gratia Dei in Burgundia.

118. Generale Capitulum attenta paupertate et debitorum gravamine monasterii de Arnsburg, Maguntinensis dioecesis, ipsius monasterii abbatem a via generalis Capituli et missione studentium pro anno sequenti supportatum habet et excusatum ; insuper etiam de probitate, fidelitate et idoneitate ipsius plenam in Domino gerens fiduciam, idem generale Capitulum gratiose Ordinis auctoritatem, facultatem et potestatem concedit, ut infra annum omnes et singulas regulares personas sibi subiectas, semel dumtaxat in foro conscientiae audiat, et eas et quamlibet ipsarum ab omnibus peccatis, *etc.*, *ut supra deinde* : dat etiam et concedit idem generale Capitulum eidem abbati licentiam et facultatem, ut novitios, si sufficientes et idonei reperiantur, ad professionem regularem recipiat.

119. Ad idem, pro confessore monialium de Batanto, ut possit absolvere moniales eiusdem monasterii.

120. Ad idem, pro confessore monialium de Colongiis.

121. Ad idem, pro confessore monialium de Sancto Anthonio prope Parisios.

122. Item, [pro confessore monialium] de Lilio.

123. [Item, pro confessore monialium] de Gaudio prope Nemosium.

124. De probitate, religiositate et fidelitate abbatis monasterii de Dubriluck generale Capitulum plenam in Domino gerens fiduciam eidem abbati committendo, dat plenariam auctoritatem, facultatem et potestatem se desuper quodam homicidio casuali per duos fratres seu religiosos sibi professos, ut dicitur, perpetrato et commisso, reique comperta veritate, si dictos fratres ex hoc sententiis, censuris et poenis generali Capitulo specialiter reservatis, mediante salutari poenitentia, absolvat, eosque seu propter quoscumque casus inhabiles aut irregulares incurrit, illos et quemlibet eorum in foro conscientiae ab omnibus casibus, criminibus et delictis, necnon ab omni infamiae nota et inhabilitatis macula relevet et rehabilitet, cum eisque dispenset, ut praemissis non obstantibus missas et alia divina officia celebrare, necnon ad omnes Ordinis actus legitimos, voces, gradus, officia, beneficia, administrationes et dignitates promoveri possint et admitti, in plenaria Ordinis potestate.

125. Attenta paupertate et tenuitate reddituum monasterii de Vallelucenti, necnon multorum aedificiorum ruina quae relevari nec reparari possunt sine magnis sumptibus et summis, propter quae sine magno gravamine et damno scolarem cum debitis et sufficientibus provisionibus in collegio Sancti Bernardi Parisiis tenere per se non potest ; quare generale Capitulum in virtute sanctae obedientiae, et sub poenis et censuris in privilegiis, statutis et ordinationibus Ordinis expressis et contentis, mandat et praecipit domino commendatario officiarisque omnibus et singulis monasterii de Varenis, Bituricensis dioecesis, quatinus annis singulis, terminis sibi per executorem praesentis diffinitionis configendis et assignandis, ad subventionem, solatium et iuvamen abbatis eiusdem monasterii de Vallelucenti pro manutenentia et sustentatione dicti sui scolaris in collegio Sancti Bernardi Parisiis summam duodecim francorum eidem abbati de Vallelucenti transmittat et solvat ; executionem praesentis

diffinitionis primo abbati super hoc requirendo committendo, in plenaria Ordinis potestate.

CONTUMACES

126. Fratres Ioannem Souffletran, Burchardum Venardetin, monasterii de Landesio professos, debite ad generale Capitulum ad comparendum personaliter citatos, et non comparentes, generale Capitulum ipsos declarat contumaces, rebelles et excommunicatos, omnibus et singulis abbatibus, prioribus, cellerariis et aliis officiariis et personis Ordinis in sacro presbyteratus ordine constitutis, in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis poena, mandans et praecipiens dictum generale Capitulum, omnes autem et singulos dominos curatos, vicarios, presbyteros ac tabelliones et notarios publicos in favorem iustitiae requirit et rogat, quatinus dictos fratres contumaces, rebelles et excommunicatos denuntient, publicent et declarent.

127. Quia frater Ioannes Slebusch olim abbas Veterismontis ad praesens generale Capitulum personaliter citatus ac sufficienter expectatus, non comparuit ; quia etiam idem Capitulum de diversis per eum contra Ordinis statuta et regularem observantiam perpetratis ad plenum informatum extitit, idem generale Capitulum ipsum contumacem et sententiam excommunicationis propter hoc incurrisse reputat et declarat, praecipiens nihilominus eidem in virtute salutaris obedientiae et sub aliis gravioribus Ordinis censuris et poenis, nisi paruerit sibi infligendis, quatinus infra 15 dies ab intimatione praesentis diffinitionis a monasterio monialium Montis amoris, vulgariter dicto Vrendenberch, penitus discedat, non nisi de speciali generalis Capituli licentia illic reversurus, sub eisdem etiam et sub excommunicationis latae sententiae poenis inhibens abbatissae et ceteris sororibus de conventu ibidem, ne deinceps in eodem monasterio aut aliis locis eidem subiectis eum quomodolibet sustentent aut manere permittant ; executionem praesentis diffinitionis omnibus et singulis Ordinis commissariis, necnon personis Ordinis regularibus universis super hoc requirendis committendo, in plenaria Ordinis potestate.

128. Quia fratres Stephanus de Ryniliaco, Petrus de Villamoneta, Guillermus Chaillot et Ioannes de Nogent, monachi monasterii de Prulliaco expresse professi, ad instantiam promo-

toris causarum legitime citati ac sufficienter expectati et vocati, neque per se neque per alium vel alios procuratorem vel pocuratores comparuerunt, nec comparere curaverunt, praesens generale Capitulum reputat eos contumaces, et pro contumacia sua sententiam excommunicationis incurrisse, mandans et praecipiens omnibus et singulis personis regularibus Ordinis, et praesertim in sacro presbyteratus ordine constitutis, quatinus eos ut a christifidelibus vitari possint, excommunicatos ubique denuntient et declarent.

REHABILITATIONES

129. Praesens generale Capitulum gratiose agere volens cum fratre Petro Periez, monacho monasterii de Pietate Dei expresse professo, ad instantem sui abbatis supplicationem secum misericorditer dispensat, ut non obstante adhaesione quam fecit cuidam asserto commendatario, qui eum vicarium instituit, unde plurimas contra Ordinem et suum proprium abbatem rebelliones et inobedientias commissit, ad omnes et singulos Ordinis honores, gradus, voces, officia et dignitates promoveri possit et admitti, attento quod tandem audito arresto Parlamenti pro abbate resipuit, ipsique abbati veniam petiit ac obedientiam et professionem regularem fecit ; vult etiam idem Capitulum ut in regimine loci de Thoralles, quamdiu religiose et honeste vixerit maneat, quemadmodum per R. D. Cistercii sibi fuit admissum.

130. Generale Capitulum gratiose dispensat cum fratre Ioanne Glaser, monasterii de Langkheim monacho expresse professo, ut non obstante inhabilitatis nota, quam olim incurrit per carnis incontinentiam, pro qua poenitentiam sibi iniuctam humiliter et devote complevit, et longo temporis spatio interim religiose vixit, ad omnes Ordinis honores, gradus, voces et actus legitimos, necnon officia et dignitates, abbatiali etiam inclusa, promoveri valeat et admitti.

131. Generale Capitulum ad devotam supplicationem abbatis de Hylda gratiose agere volens, cum fratribus Heinrico Kruger et Thoma Kannengiesser misericorditer dispensat, ut non obstante nota inhabilitatis, quam incurrerunt sine licentia monasterium suum exeundo, atque per saeculum diutius vagando, ad omnes et singulos Ordinis honores, gradus et actus legitimos,

necnon voces, officia et dignitates, abbatiali dumtaxat seclusa, promoveri valeant et admitti.

132. Ad idem, pro fratribus Petro secundo, Michaele Gerardo et Petro tertio, monasterii in Polplin professis, pro apostasia, ad instantiam abbatis sui, ad omnes dignitates etiam abbatiali inclusa.

133. Generale Capitulum gratiose agere volens cum fratribus Paulo diacono, et Andrea converso monasterii de Buch expresse professis, quorum primus pro apostasia, alius vero pro libello infamiae, quam contra certam Ordinis personam confecit et publicavit, ac etiam pro apostasia infamiae et inhabilitatis notam incurrerunt, ad instantissimam supplicationem abbatis ibidem cum eis gratiose dispensat, ut praemissis non obstantibus, ad omnes Ordinis honores, gradus, voces et actus legitimos, necnon administrationes, officia et dignitates, abbatiali dumtaxat seclusa, valeant admitti.

134. Generale Capitulum sufficienter informatum de religiosa et honesta conversatione fratris Nicolai, professi in Buch, ad instantiam abbatis eiusdem monasterii, eumdem fratrem ab omni infamiae et inhabilitatis notis et maculis, quas per apostasiam incurrerere potuit relevando et rehabilitando, cum eodem fratre misericorditer dispensat, ut praemissis non obstantibus ad omnes Ordinis actus... abbatiali dignitate inclusa... admitti.

135. Frater Guillelmus Marsadi, professus monasterii de Castellariis rehabilitatur, ut non obstante quod saepius monasterium suum sine licentia exiit, apostasiam incurrendo ac contagionem carnis, puerperio non tamen secuto, ad omnes Ordinis actus legitimos promoveri possit et admitti.

136. Ad idem, pro Guidone de Cassanis, ut non obstante apostasia, quam incurrit vagando per mundum per spatium trium hebdomadarum ad omnes Ordinis actus, etc., inclusa dignitate abbatiali.

137. Ad idem, pro Alianino de Hil, professo monasterii de Longovillari, qui habitu regulari dimisso per sex hebdomadas apostatavit, et mulieres suspectas in locis regularibus intromisit.

138. Ad idem, pro Petrina, monasterii de Wilstadt professa, ut non obstante copula carnali, unde semel et iterum puerperium secutum est, et iuvenem in sua camera inventum, etc.

139. Ad instantiam abbatis de Sichem generale Capitulum

fratrem Hermannum, eiusdem monasterii professum, ab omni infamiae nota relevando et rehabilitando, cum eo misericorditer dispensat, ut non obstantibus quod sine licentia monasterium suum exivit et per saeculum apostatando vagabundo et religionis habitum dimittendo, virginem quamdam in matrimonium duxerit, qui quidem sibi post lapsum conscientia ipsa remordente, ad proprium monasterium rediens demum poenitentia super forefactis, ut idem generale Capitulum suscepit, sibi iniuncta et peracta, iterum tamquam canis ad vomitum rediens, monasterium exeundo, et regulari habitu dimisso, per saeculum vagabundus diu extitit, super quibus tamen poenitentiam a dicto suo abbate sibi iniunctam, ut testimonio dicti sui abbatis constat, humiliter et devote peregit, ad omnes Ordinis actus legitimos, voces, gradus, officia, beneficia, administrationes et dignitates, dignitate abbatiali minime comprehensa, promoveri possit et admitti.

140. Ad instantiam abbatis de Bellavalle, generale Capitulum fratrem Ioannem Chapuis eius professum, ab omni infamiae nota et inhabilitatis macula, quam incurrere potuit quovismodo fere per duos annos vagando et apostatando, super quo tamen, ut ipse abbas asserit, poenitentiam sibi iniunctam devote, humiliter et patienter complevit, relevat et rehabilitat, cum eo misericorditer dispensando, ut praemissis non obstantibus, ad omnes Ordinis actus legitimos... *etc*... abbatiali dignitate inclusa.

141. Audita relatione nonnullorum venerabilium patrum Ordinis super honesta conversatione et condigna satisfactione sororis Agnae de Lanayo, monasterii de Farvachiis professae, generale Capitulum ab omni infamiae nota et inhabilitatis macula, quam per apostasiam et carnale contagium contrahere potuit, super quibus poenitentiam egit, etc., cum ea misericorditer dispensando, ut premissis non obstantibus, ad omnes Ordinis actus legitimos, etc., abbatiali dignitate inclusa.

142. Ad idem, pro sorore Claritia de Ramirusto, professa de Spinoso loco, ad instantiam abbatis de Nizella, non obstante carnis contagio, puerperio inde secuto, etc.

143. Ad instantiam abbatis de Runa, Salzburgensis dioecesis, generale Capitulum fratres Christoforum acolitum, et Andream subdiaconum, eiusdem monasterii professos, ab omni infamiae nota et inhabilitatis macula, quam per apostasiam incurrere quovismodo potuerunt, super qua poenitentiam eis iniunctam

devote et patienter impleverunt, ut eidem generali Capitulo constitit, relevat, rehabilitat cum eis misericorditer dispensando, ut praemissis non obstantibus, ad omnes Ordinis actus legitimos... *etc.* abbatiali dignitate inclusa.

144. Ad instantiam abbatissae de Biarch, generale Capitulum audita honesta conversatione sororis du Chastel, cum eadem sorore misericorditer dispensat, ut non obstante defectu natalium, et quod non sit de legitimo matrimonio procreata, possit Ordinem nostrum intrare, habitumque sumere ac professionem regularem facere et emittere, necnon ad omnes ipsius Ordinis actus legitimos, voces, gradus, officia, beneficia et dignitates promoveri et admitti.

145. Ad idem, ad instantiam abbatis de Barbello pro fratre Claudio de Paris eius professo, ut non obstante quod monasterium sine licentia exiverit, et per saeculum apostatando, habitu regulari dimisso, apostasiam incurrerit, in carnalique contagio deprehensus et convictus fuerit, ac de conspiratione contra abbatem suum notatus fuerit, ad omnes Ordinis actus legitimos, etc.

EXCUSATIO ABBATUM

146. Propter certas rationabiles et iustas causas per procuratores et excusatores abbatum sequentium allegatas et iuratas a via Capituli generalis, pro hoc anno dumtaxat, abbates sequentes excusantur, etc. *(deficiunt nomina).*

[ALIA DIFFINITIO]

147. Sollicitante comite de Waldeck monasterium monialium de Valle Sanctae Mariae dictum Netze, per abbatem Campensem Ordini incorporetur.

1488

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo octogesimo octavo, in generali Capitulo apud Cistercium, statuta et diffinita sunt quae sequuntur.

ORATIONES

1. Pro [b] sanctissimo... *etc. ut in anno* 1484.
2. Praeterea pro serenissimo... *etc. ut in anno* 1484.
3. Insuper pro burgensibus... *etc. ut in anno* 1449.
4. Ceterum pro pace... *etc. ut in anno* 1449.
5. Demum pro felicis... *etc. ut in anno* 1470.

[DIFFINITIONES] GENERALES

6. Cum Ordo noster... de antiquo debito, ac etiam in summa 4815 francorum, 3 alborum de resta ultimorum computorum de et pro tempore praeterito... *etc.* contributionem novem millium florenorum... *etc. ut in anno* 1449.

7. Cum totus nostri Ordinis decus et incrementum ex litteratorum virorum in ipso Ordine multiplicatione maxime pendere dignoscatur, cuius rei gratia in generalibus studiis diversarum mundi partium collegia Ordinis non sine magnis sumptibus fuerint instituta, ad quae tam per Sanctissimae Sedis Apostolicae decreta, quam per ipsius Ordinis instituta canonica, omnes et singuli Ordinis abbates suos studentes cum provisionibus sufficientibus mittere sunt obligati ; generale Capitulum gravissime ferens quorumdam abbatum negligentiam, vel potius tenacitatem, qui suos studentes ad generalia studia cum sufficientibus provisionibus mittere contemnunt, poenas et censuras in *Benedictina* ac aliis statutis contentas propter hoc incurrere non formidando ; quapropter omnibus et singulis Ordinis commissariis

---

1488. *Fontes* : L^5 : 1-120 ; P^2 : 1, 16 *(abbrev.)*, 88.
[a] *Titulus apud* L^5. [b] Innocentio 8 Pontif. ; Ioanne episc. Alban. card. protect. ; Frederico imperatore ; Carolo rege : P^2.

ubilibet institutis et instituendis mandat et praecipit districte, ut contra non mittentes per praefatas poenas et censuras viriliter et intrepide procedant, non obstantibus quibuslibet indultis seu supportationibus, quas aliqui se habere dicunt de scolaribus non mittendis, quas praesens generale Capitulum omnes revocat, cassat, irritat et annullat. In remotis tamen partibus, et per lites et alia incommoda nimium afflictis, dat auctoritatem dictum Capitulum eisdem commissariis non potentes mittere ubi impossibilitatem viderint, gratiose supportandi, etc.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

8. Electionem, promotionem, institutionem et installationem fratris Ioannis Renauldi de Friburgo, ad dignitatem abbatialem monasterii de Altaripa, Lausannensis dioecesis, prout in litteris decreti...*etc*, confirmat, supplendo omnes et singulos defectus, si qui forsan in praemissis aut aliquo praemissorum intervenerint quovismodo, in plenaria Ordinis potestate.

9. Electionem... fratris Hamfridi Quiekc nuper abbatis de Cliva, ad dignitatem abbatialem monasterii de Bello loco regis, Wintoniensis dioecesis, R. D. N. Cisterciensi immediate subiecti, prout in litteris, *etc.* confirmat, supplendo, etc.

10. Ad idem, pro fratre Hugone de Sanogiis, ad dignitatem abbatialem monasterii de Bullione.

11. Visis et diligenter examinatis litteris sententiae, auctoritate Ordinis per dominum abbatem Firmitatis super confirmatione iuris fratris Ioannis de Ramilliaco in dignitate abbatiali monasterii de Septem fontibus latae Parisiis et pronuntiatae praesenti diffinitioni annexis, ipsam sententiam cum suis dependentiis universis generale Capitulum approbat, ratificat et confirmat.

TRACTATUUM CONFIRMATIONES

12. Visis, auditis et examinatis litteris tractatus initi, facti et passati inter abbatem et conventum monasterii de Sacro portu, alias de Barbello, ex una, et honorabilem, discretum ac scientificum virum dominum Guidonem Arbaleste, utriusque iuris doctorem, dominum de Borda in Bria, christianissimi domini nostri regis in venerabili curia Parlamenti Parisiensis consiliarium, etc., partibus ex altera, de duobus modiis granorum quae

dicti de Barbello levabant, seu levare debebant, super terris et dominiis eiusdem Bordae, prout in litteris praefatis ac in litteris confectionis eiusdem tractatus R. D. N. Cisterciensis praesenti diffinitioni annexis plenius continetur, auditisque relationibus super hoc multorum Ordinis patrum, et cognoscentes ex praemissis utilitatem eiusdem monasterii de Barbello, quamquam alia confirmatione non indigeat, tamen pro maiori securitate iuris partium illum eumdem tractatum tamquam iustum et rationabilem, ac eidem monasterio perutilem cum omnibus et singulis suis clausulis, praesens generale Capitulum approbat, ratificat et confirmat.

13. Visis et diligenter examinatis litteris seu ... litterarum pensionis sororis Adrianae de la Folie, olim abbatissae monialium de Hispania, Ambianensis dioecesis, per abbatem Caroliloci, s. th. pr., R. D. N. Cisterciensis commissarium assignatae, prout plenius in dictis litteris praesenti diffinitioni annexis continetur, auditisque super hoc relationibus tam domini abbatis Caroliloci quam aliorum patrum Ordinis, ad instantiam et requisitionem nobilis domini Anthonii de Curnenieno, domini eiusdem loci de Curnenieno, illam eamdem pensionem sexdecim scutorum auri cum omnibus aliis in dictis litteris contentis et expressis, generale Capitulum approbat, ratificat et confirmat, mandando abbatissae quae nunc est, et quae pro tempore fuerit in eodem monasterio de Hispania, in virtute sanctae obedientiae, et sub poenis et censuris Ordinis pro executione praesentis diffinitionis taxandis et declarandis, quatinus dictam pensionem sexdecim scutorum auri singulis annis, terminis assignatis, eidem sorori Adrianae seu eius certo mandato ut legitimo procuratori dent et infallibiliter solvant, eamdemque sororem de cameris et aliis in eisdem litteris contentis gaudere et plenarie uti permittant, faciant et procurent; executionem praesentis diffinitionis primo abbati super hoc requirendo committendo, in plenaria Ordinis potestate.

14. Generale Capitulum visis et diligenter examinatis litteris tractatus transactionis seu appunctuamenti initi, facti et passati per amicabiles compositiones seu arbitros inter abbatem et conventum monasterii Loci Dei, Ruthenensis dioecesis, ex una, et venerabilem patrem dominum priorem de Rameria, Caturcensis dioecesis, Ordinis Sancti Augustini, partibus ex altera, de quadam quarta parte census mansi del Pithokes, alias de Sorry,

omnium decimarum, pertinentiarum et iurisdictionis usque ad 60 s. praedicti mansi, prout in litteris praefatis praesenti diffinitioni annexis plenius continetur ; auditaque relatione abbatis de Ardorello, et consideratis in hac parte considerandis, idem generale Capitulum dictum tractatum, seu dictam transactionem vel appunctuamentum, tamquam eidem monasterio Loci Dei perutile ratificat, approbat, autorisat et confirmat, in plenaria Ordinis potestate.

COMMISSIONES

15. Insequendo semper hortamenta paterna, piaque monita ac praecepta salutaria S. D. N. Papae super reformatione Ordinis anno praeterito generali Capitulo transmissa, commissarios per singulas mundi provincias pro reformationis huiusmodi executione deputatos adhuc continuat, praecipiendo eis ut omnia et singula in dictis commissionibus contenta diligenter exsequantur, rogatque R. D. Cistercii ut generali auctoritate Ordinis qua fungitur, ubi viderit expediens, illos mutet et alios instituat, cum simili potestate, mandat quoque et praecipit dictum Capitulum generale dictis commissariis in virtute salutaris obedientiae et sub censuris Ordinis, ut unusquisque in sua provincia omnes et singulos abbates illius provinciae citent peremptorie ad veniendum et comparendum in proximo futuro generali Capitulo, vel saltem ad mittendum tres, duos vel unum secundum patriarum dispositiones ex eis cum pleno mandato omnium aliorum ad videndum et audiendum ibidem moderari et assignari taxam contributionum Ordinis, iuxta veram facultatem monasteriorum et statum iam praesentem pro eo cui, ut litteris apostolicis continetur, antiqua taxa iam minus aequa videtur, propterea quod multa monasteria dudum pauperrima in divitiis creverunt, et iam satis sunt opulenta, alia autem prius opulentissima decreverunt et diminuta sunt, cum intimatione quod sive venerint sive non, nihilominus in dicta materia prout patribus praesentibus visum fuerit aequum et iustum concludetur.

16. Licet parendo ac humiliter, ut decebat, obediendo piis monitis hortamentisque paternis, necnon mandatis ac praeceptis salutaribus S. D. N. Papae super reformatione Ordinis generali Capitulo novissime transmissis, ipsum generale Capitulum in diversis mundi partibus dederit ac instituerit visitatores, dando

eis mandata specialia et expressa, ut omnia et singula in litteris apostolicis, statutisque et diffinitionibus Ordinis ac pro reformatione dicti nostri Ordinis necessaria et opportuna facerent et exercerent, cum certis facultatibus et clausulis ad praemissa requisitis, prout in litteris inde confectis et dictis visitatoribus et reformatoribus directis plenius continetur, inter quos visitatio et reformatio omnium et singulorum monasteriorum totius nationis italicae ac transalpinae anno superiori commissa erat abbati de Balerna. Quia tamen idem abbas de Balerna propter maximam sui corporis infirmitatem et alia impedimenta plurima usque in praesens commissionem sibi factam non potuit executioni demandare. Quia etiam pleraque interim exorta sunt dissidia ardua et causae difficillimae in eadem natione italica ac eisdem monasteriis tractanda seu tractandae, quae non nisi per maiores Ordinis patres expediri possunt, idem generale Capitulum, matura deliberatione praehabita, considerans excellentiam doctrinae, religiositatem vitae, zelum Ordinis, ceterasque virtutes plurimas R. P. et D. D. Ioannis abbatis Cistercii, s. th. pr., eximii, suam reverendissimam paternitatem ad visitationis et reformationis officium in eadem natione italica ac monasteriis et locis Ordinis praemissis exercendum inter ceteros non mediocriter idoneum reputavit. Idcirco sibi debita cum humilitate et reverentia supplicandum decrevit, quatinus onus istud seu officium visitationis et reformationis in omnibus et singulis monasteriis et locis quibuslibet Ordinis utriusque sexus, necnon collegiis in tota italica natione, ac aliis transalpinis partibus consistentibus, quamprimum sibi fuerit possibile, assumere seu exercere dignetur in plenissima ipsius Ordinis qua utitur auctoritate et potestate ; ipsum insuper instantius rogat, ut si fieri commode poterit, ad S. D. N. Papam pro rebus Ordinis accedens, suae Sanctitati ac reverendissimis dominis cardinalibus piam filiorum Ordinis devotionem ad Sanctam Sedem Ordinisque reformationem, necnon permaximas totius Ordinis per commendas et alias multiplices vexationes et necessitates plenius declarando suggerat et modis omnibus requirat et impetrare dignetur quaecumque et prout iuxta mentem generalis Capituli noverit et viderit suggerenda, requirenda et impetranda. Et quoniam talia nonnisi cum maximis impensis seu expensis fieri possunt, Ordo autem pro praesenti communibus caret pecuniis, promittit idem generale Capitulum eidem R. D. Cisterciensi fideliter solvere

omnia et singula, quae in praemissis exposuerit fideliterque et integraliter solvere banchariis omnes pecuniarum summas, quas pro praemissis et ea tangentibus ab eis acceperit cum lucro seu interesse mercatorum, et aliis expensis, portareque ipsum et monasterium suum Cistercii matrem omnium nostrum indemnem seu indemne in praemissis. Quamobrem omnibus et singulis abbatibus, abbatissis, commendatariis, prioribus, cellerariis, ceterisque quibuscumque eorumdem monasteriorum utriusque sexus, collegiorumque ac quorumlibet Ordinis locorum praesidentibus et personis tam regularibus quam saecularibus universis transalpinis et in via existentibus, dictum generale Capitulum in virtute salutaris obedientiae, ac sub poenis et censuris per praefatum reverendissimum patrem taxandis et declarandis mandat et praecipit, quatinus ipsum tamquam Ordinis patrem supremum cum debita reverentia suscipiant, eidemque per omnia obediant, sibique et toti eius familiae decenter occurrant, de expensis eundo, stando et redeundo iuxta Ordinis formam, necnon de sufficienti salvoconductu et securitate, ceterisque necessitatibus studiose provideant, ac sibi aut deputatis suis annuales contributiones et subsidia charitativa cum restis fideliter et integraliter persolvant.

17. Abbatibus de Lutzella Basileensis et de Villario Metensis dioecesium, ac eorum cuilibet in solidum committit praesens generale Capitulum, ut si debita informatione praehabita, bona aliqua mobilia vel immobilia, utpote calices, libros, ornamenta ecclesiastica, utensilia domus, cartas, litteras, registra, certas grangias, vineas, agros, prata, sylvas, nemora, iura, libertates, decimas, census, reditus, aut quaevis alia huiusmodi ad monasterium de Pomerio alias Bongart, Argentinensis dioecesis, pertinentia, per quoscumque abbates, priores, monasteria aut loca regularia seu personas regulares Ordinis iniuste occupari invenerint, vel alter eorum invenerit, occupatores huiusmodi ad illico restituendum praefato monasterio de Pomerio bona, sicut praefertur, iniuste occupata, iustitia mediante, per censuras Ordinis compellant, vel alter eorum compellat, aut si contractus aliquos illicitos contra statuta Ordinis et privilegia seu etiam contra iuramenta per abbates novos in sua creatione praestari solita inter abbatem et conventum dicti monasterii de Pomerio, et quaslibet alias personas Ordinis initos et passatos repererint, illos omnes et singulos cum omnibus inde secutis, cassent, irritent

et annullent ; datque dictum Capitulum dictis abbatibus et eorum cuilibet in solidum auctoritatem et plenum posse quascumque causas litis aut controversiae inter ipsum abbatem suumque conventum, alios abbates, priores, conventus aut personas Ordinis motas et movendas audiendi, et prout ordo iuris ac iustitiae requirit, tractandi et fine debito concludendi et terminandi, invocandique ad praemissa omnia, si opus fuerit, auxilium brachii saecularis ; et nihilominus ut monasterium ipsum de Pomerio alias Bongart in spiritualibus et temporalibus a multis annis citra non mediocriter dissipatum ac desolatum aliqualiter restaurari valeat et reformari, eisdem abbatibus et eorum cuilibet in solidum in virtute salutaris obedientiae praecipit et mandat idem generale Capitulum, ut quamprimum commode possint, ad ipsum monasterium iam dictum de Pomerio ipsi omnes vel duo eorum personaliter accedant, vel si hoc non possint, saltem unus eorum accedat, ibidem visitando, reformando, corrigendo, instituendo et destituendo, in spiritualibus et temporalibus, in capitibus et in membris, quaecumque iuxta Ordinis nostri instituta regularia invenerint, vel unus eorum invenerit visitanda, reformanda, corrigenda, instituenda et destituenda. Datque auctoritatem dictum generale Capitulum eisdem abbatibus et eorum cuilibet resignationem abbatis moderni ibidem si sponte cedere voluerit, acceptandi, ipsique monasterio de alio abbate, qui pro reparatione eiusdem monasterii fienda magis fuerit repertus sufficiens et idoneus auctoritate totius Ordinis providendi, cum praefatus abbas modernus ibidem propter multas causas rationabiles, quas allegavit, a R. D. N. Cisterciensi, ceterisque Diffinitoribus iam gratiose obtinuerit licentiam dignitatem abbatialem suam et administrationem quam habet in eodem monasterio resignandi. Et generaliter dat dictum Capitulum abbatibus praedictis et eorum cuilibet auctoritatem et plenum posse in praemissis omnibus et ea concernentibus, aut ad debitam reformationem dicti monasterii necessariis et opportunis agendi, faciendi et exercendi omnia et singula, quae agere facere et exercere possent patres visitatores ordinarii aut reformatores generales Ordinis, ipsius generalis Capituli plenaria auctoritate fungentes, si ibidem praesentes essent, in plenaria Ordinis potestate.

18. Frater Ioannes, abbas Cistercii in Cabilonensi dioecesi, totius nostri Cisterciensis Ordinis et Capituli generalis plenaria

fungens potestate, venerabilibus in Christo nobis percharissimis coabbatibus nostris monasteriorum de Luzella, Basileensis dioecesis, et de Villario, Metensis dioecesis, salutem in Domino et in commissis diligentiam cum discretione fidelem. Quamquam nuper ad decidendam et terminandam quamdam causam appellationis motam et agitatam inter venerabiles coabbates nostros de Novocastro suumque conventum appellantes ex una, et de Pomerio alias Bongart conventumque ibidem appellatos partibus ex altera, per nostrum generale Capitulum sint iudices deputati, quia tamen, ut intelleximus, uterque vestrum nonnunquam solet infirmitate gravi laborare, ita ut a locis vestris longius abscedere non possitis ; quapropter pro parte venerabilis coabbatis nostri de Pomerio supradicti suique conventus nobis fuit humiliter supplicatum, ut super his de remedio opportuno taliter providere dignaremur, quod infirmitates huiusmodi, vel alia quaelibet incommoda, quae interim vobis aut vestrum alteri possent accidere, vos aut vestrum alterum non impediant aut morentur, quominus dictam causam per debitae iustitiae complementum, quantocius terminare valeatis, praesertim cum nimia huiusmodi causae protractio in magnum vergeret dictorum supplicantium detrimentum. Nos igitur considerantes dictam supplicationem fore iustam et consonam rationi, auctoritate totius Ordinis et Capituli generalis, qua fungimur, plenaria vobis ac vestrum cuilibet facultatem concedimus ac mandatum damus speciale, ut si quamprimum pro executione commissionis vobis a generali Capitulo factae a dictis partibus aut earum altera fueritis requisiti, impedimentum aliquod vobis aut alteri vestrum intervenerit quominus ad executionem huiusmodi intendere valeatis, aut alter vestrum valeat, unusquisque vestrum sic impeditus abbatem alium Ordinis neutri partium suspectum, et qui ad praemissa melius intendere possit, loco sui subrogare valeat et debeat cum simili iudicandi et dictam causam, iustitia mediante, terminandi potestate, aut si forsitan in dicta causa debite terminanda inter vos concordare non possetis, damus vobis facultatem eadem auctoritate qua supra unum tertium abbatem Ordinis de consensu tamen partium ad vos assumendi, quem sic assumptum similem vobiscum habere volumus iudicandi potestatem.

19. Committit praesens generale Capitulum abbatibus de Sancta Cruce in Austria et de Runa, et eorum cuilibet in soli-

dum, quatinus quamprimum poterint, personaliter ad monasterium de Victoria se transferant, vel alter eorum se transferat, diligenterque informent super depositione fratris Ioannis a dignitate abbatiali dicti monasterii per abbatem de Novo monte certosque alios suos assessores facta, necnon electione et institutione fratris Ioannis... in novum abbatem eiusdem monasterii, et si dicta omnia rite et canonice iuxta Ordinis statuta facta repererint, eadem approbent, ratificent et confirment, in plenaria Ordinis potestate ; sin autem tam dicto deposito abbate quam suis adversariis auditis hinc inde partibus, plenum iustitiae complementum administrent.

20. Abbatibus de Sithiz et de Zedelitz benigne committendo mandat praesens generale Capitulum, quatinus accedentes monasterium Saar ibidem se diligenter informent de causis et modis destitutionis et incarcerationis fratris Leonardii, dudum abbatis ibidem, necnon de modis electionis, institutionis et promotionis, fratris Viti in abbatem eiusdem monasterii de novo promoti ; et si omnia illa secundum Ordinis instituta rite ac canonice facta invenerint, eadem approbent, ratificent et confirment ; sin autem, prout iuxta eadem instituta Ordinis faciendum viderint, plenum iustitiae complementum administrent in plenaria Ordinis potestate, et nihilominus regiam maiestatem debita cum reverentia accedendo dictum destitutum et incarceratum ob honorem Ordinis sibi dimitti humiliter petant, ipsum sub bona cautione, ne tam contra regiam maiestatem, quam contra Ordinem nostrum aut eius monasteria ac personas quidquam de cetero attentare praesumat, et ad aliquod Ordinis monasterium ubi Domino Deo vota sua deinceps reddere valeat, transmittant.

21. Abbatibus de Claratumba et de Lubens et cuilibet eorum mandat et praecipit praesens generale Capitulum, quatinus diffinitionem anno novissime praeterito in generali Capitulo pro tuitione et defensione iurium, libertatum et privilegiorum Ordinis editam, et eis specialiter directam, et praesenti diffinitioni annexam omnino secundum sui formam et tenorem prosequantur et exsequantur, in plenaria Ordinis potestate.

22. Domino abbati de Firmitate et abbati de Caroliloco, s. th. pr., et cuilibet eorum committit praesens generale Capitulum, quatinus se debite, diligenter et sufficienter informent super contentis in litteris tractatus initi, facti et passati inter abbatem

et conventum de Vallibus Sernay ex una, et Ioannem Challone Parcheminier de quibusdam terris, plenius in dictis litteris contentis et expressis ac praesenti diffinitioni annexis. Et si dictum tractatum eidem monasterio perutilem invenerint, illum cum omnibus et singulis suis clausulis approbent, ratificent et confirment, in plenaria Ordinis potestate.

23. Ad idem, eisdem abbatibus et cuilibet eorum ad se informandum super contentis in litteris tractatus, praesenti diffinitioni annexis, initi, facti et passati inter abbatem et conventum eiusdem monasterii de Vallibus Sernay ex una, et honorabilem virum magistrum Ioannem de la Planche, advocatum in Parlamento parisiensi partibus ex altera, de quadam domo sita Parisiis in vico Fini, ubi pendet intersignum crucis.

24. Gravi cum cordis amaritudine, insolentias, flagitia et maleficia, criminaque enormia abbatis et conventus monasterii Bardonarum suscipiens generale Capitulum, qui prout eidem generali Capitulo expositum extitit, in armis, habitibusque dissolutis, et ab Ordine reprobatis quandoque incedunt, multaque enormia committunt, et quod deterius est, citra paucos dies in fratrem Deodatum Blanchi monachum de Ardorello, Ordinis nuntium et certarum litterarum abbatis de Ardorello, Ordinis commissarium executorem insurrexerunt, et ipsum, ut fertur, submerserunt, in grave Ordinis dedecus et vituperium, populique christiani scandalum non modicum. Quibus malis obviare cupiens Capitulum generale et de remedio opportuno providere, et talia impunita minime relinquere volens, abbati de Caduino committit, quatinus assumpto secum aliquo abbate Ordinis ad idem monasterium de Bardonis, seu ad alia loca ad infrascripta peragenda prout iudicaverit aptiora accedat, visisque informationibus et litteris eidem generali Capitulo exhibitis, de et super praemissis, ac ab eis dependentibus se debite, diligenter et sufficienter informet, factisque debitis informationibus, citatis citandis, et auditis audientis, si abbatem et quempiam religiosorum eiusdem monasterii Bardonarum in praemissis aut aliquo praemissorum culpabiles invenerit, sive per depositionem seu incarcerationem aut personalem ad generale Capitulum proximum citationem, aut alias secundum casuum exigentiam et statutorum Ordinis tenorem et formam taliter eos puniat et corrigat, quod ceteris transeat in exemplum et terrorem. Quo in casu depositionis abbatis eiusdem monasterii, eidem abbati de Caduino dat

auctoritatem praesens generale Capitulum et potestatem ipsi monasterio de novo pastore sufficiente et idoneo, electione canonica, aut auctoritate Ordinis providendi, personamque electam sive promotam instituendi et installandi, ac in realem et actualem possessionem eiusdem monasterii ponendi et inducendi, in plenaria Ordinis potestate, invocato ad praemissa et ea tangentia, si opus sit, quorumcumque dominorum principum, iudicum, potentum ecclesiasticorum et saecularium auxilio, consilio et favore ; omnibus igitur et singulis personis Ordinis cuiuscumque status, sexus, conditionis existant, firmiter dat in mandatis praesens generale Capitulum in virtute sanctae obedientiae et sub poenis et censuris Ordinis, quatinus Ordinis commissario in omnibus super omnia pareant et obediant.

25. Cum propter nimiam loci distantiam, viarumque discrimina ac linguae disparitatem, abbas monasterii de Paradiso visitationem et reformationem monasterii monialium de Obentzko, monasterio de Lubens immediate subiecti, prout sibi anno praeterito per generale Capitulum iniunctum fuerat, commode visitare non possit, ne dictum monasterium propter defectum debitae visitationis et reformationis aliqua patiatur detrimenta, abbati de Suleiovia, Gneznensis dioecesis, visitationem et reformationem ac omnimodam eiusdem monasterii monialium dispositionem et paternitatem, in spiritualibus et temporalibus, committit in plenaria Ordinis potestate, districte sibi mandans et praecipiens, quatinus huiusmodi visitationis et reformationis ac paternitatis officia debite exerceat et faciat, donec et quousque per generale Capitulum aliter fuerit dispositum.

26. Dominis abbatibus de Firmitate, de Claravalle, de Caroliloco et de Bonoportu, ac duobus eorum, generale Capitulum committendo mandat et praecipit, quatinus se debite, diligenter et sufficienter informent de et super contentis in litteris transactionis seu appunctuamenti initi, facti et passati inter abbatem et conventum monasterii de Ursicampo ex una et nobilem et potentem dominum de Margny et Thomate, baillivum et capitaneum Silvanectensem partibus ex altera, super quadam recompensa data eisdem abbati et conventui pro 17 flor. et 10 scut., per quam ex annuo et perpetuo redditu, abbas et conventus praefati levare debent, et quae sibi adiudicatae fuerant super traverso dominae et domini de Thourrette, prout in litteris praefatis praeesnti diffinitioni annexis plenius continetur, informationi-

busque debitis de et super praemissis ac ab eis quomodolibet dependentibus, necnon super commodo vel incommodo eiusdem monasterii factis, illas per scriptum authenticum redactas cum instrumentis suis futuro proximo generali Capitulo afferat seu transmittat.

27. Ad audientiam praesentis Capituli generalis fide dignorum relatu pervenit, quod in monasterio de Albaripa per abbatem et conventum eiusdem monasterii a 30 annis citra quidam tractatus illiciti ac indebiti de quibusdam grangiis, molendinis, terris seu membris eiusdem monasterii contra papalia et Ordinis statuta et diffinitiones, initi, facti et passati sunt et fuerunt in maximum damnum, gravamen et praeiudicium eiusdem monasterii, super quibus praesens generale Capitulum obviare et de remedio providere cupiens, domino abbati de Claravalle, s. th. pr., de Longovado, de Theoloco et de Belloloco Lingonensis dioecesis, et cuilibet eorum committendo districtissime mandat et praecipit, quatinus quamcitius commode fieri poterit, ad praedictum monasterium de Albaripa, seu ad aliqua aptiora loca se transferant, ibidemque diligenter et sufficienter se informent, aut alter eorum se informet, super huiusmodi illicitis tractatibus, et si debita informatione dictos tractatus esse in praeiudicium, gravamen et damnum eiusdem monasterii contra formam *Benedictinae* et statutum Domini Pauli Papae II in favorem totius cleri concessum, invenerint, illos et quemlibet illorum cassent, irritent et annullent, ac nullius vigoris et efficaciae esse declarent, in plenaria Ordinis potestate.

28. Abbatibus de Ardorello et de Caduino, et cuilibet eorum committit praesens generale Capitulum, quatinus quamcitius commode poterunt, ad monasterium de Bellapertica, vel ad alia loca aptiora, si ibidem tutus non pateat accessus, accedant, atque de et super controversiis, litibus et querelis inter venerabilem priorem dominum Ioannem de Cardalhiaco, se pro commendatario eiusdem monasterii Bellaeperticae gerentem, ex una et fratrem Ioannem de Luco et nonnullos alios religiosos eiusdem monasterii partibus ex altera subortis, se debite diligenter et sufficienter informent, debitisque informationibus peractis, citatis citandis et auditis audiendis, dictas querelas, controversias et lites per debitum iustitiae complementum decidant, in plenaria Ordinis potestate.

29. Abbati de Ardorello committit praesens generale Capi-

tulum, quatinus debite, diligenter et sufficienter se informet super transactione seu tractatu facto, inito et passato inter abbatem et conventum monasterii de Fontefrigido ex una, et colonos quosdam de quodam castro vocato de Sancto Valerio, et si dictam transactionem seu tractatum eidem monasterio perutilem invenerit, illum cum omnibus et singulis suis clausulis approbet, ratificet et confirmet ; sin alias, infirmet et revocet, et nullius valoris et efficaciae declaret, in plenaria Ordinis potestate.

30. Praesenti generali Capitulo per suas litteras conquestus est abbas Fullennis asserendo dominum abbatem Morimundi ad dictum monasterium accessisse et quasdam terras et possessiones dicti monasterii, quibus per ducentos annos sine contradictione quacumque possederant, et illis pacifice et quiete usi fuerant, monasterio Bonifontis tradidisse et liberasse in magnum praeiudicium, gravamen et damnum illius monasterii Fullennis, dicti Capituli generalis provisionem desuper praemissis humiliter implorando. Quapropter idem generale Capitulum abbatibus de Ardorello et de Elnis, et cuilibet eorum in solidum committendo mandat et praecipit, quatinus quamcitius commode fieri poterit, ad dictum monasterium de Fullennis, seu ad alia loca aptiora accedant, ac de et super praemissis, et ab eis dependentibus, debite, diligenter et sufficienter se informent, et si dictas terras seu territorium dicto monasterio de Fullennis pertinere invenerint, ad manus eiusdem monasterii reponant, seu reponi procurent, compellendo ad hoc compellendos, in plenaria Ordinis potestate.

31. Abbatibus monasteriorum de Schonauvia et de Uterina valle, et cuilibet eorum praesens generale Capitulum committit, quatinus si eis de emendatione fratris Ioannis Fabri, bursarii et professi monasterii de Mulbronn legitime constiterit, ipsum a sententiis et casibus generali Capitulo reservatis, ac a carceribus quibus detinetur, eumdem absolvant et liberent, praestita tamen sufficienti cautione per eumdem casu quo ad vomitum rediret, aut monasterium vel Ordinem in aliquo in futurum gravaret, in plenaria Ordinis potestate.

32. Generale Capitulum, visa quadam promotoris causarum Ordinis supplicatione, eidem Capitulo super nonnullis fratrum Petri Iuhos, Ioannis Challes, Guillemi Dubois Barrengensis, Ioannis Rolant, Mathei Riveri, Ioannis Flèche et Iacobi le Maçon, monasterii de Pietate Dei professorum, gravibus insolentiis et

apostasiis in statutorum Ordinis vilipendium, et animarum suarum detrimentum commissis, ad iudicem saecularem Cenomanensem pro factis Ordinis recurrendo, ova sibi pro pitantia conventuali iuxta monasterii facultatem ministrata ipsi iudici derisorie deferendo, et quod carnes ipsis in Septuagesima, quod absurdum est, non ministrarentur abusive conquerendo, ab ipso quoque monasterio spreta superiorum auctoritate illicentiati exeundo, et extra ipsum in apostasia pernoctando, abbatibus de Claritate, de Campania, de Tironello et de Vallibus Sernay, et eorum cuilibet districte praecipit atque mandat, quatinus ad ipsum monasterium quantocius accedant, aut eorum alter accedat, ac super praemissis, et eorum dependentiis fideliter et diligenter se informent, vel informet, et praemissorum delictorum et excessuum culpabiles per verberum et carcerum inflictionem, et per perpetuam ab ipso monasterio expulsionem, aut alias iuxta casus exigentiam et Ordinis instituta taliter puniant et corrigant, quod ipsis ad emendationem, ceteris vero ad cautelam transeat et terrorem, talia deinceps nullatenus praesumendi.

33. Abbatibus de Tribus fontibus, de Vallibus in Ornesio, de Villario Metensi et de Insula Barrensi, et cuilibet eorum, generale Capitulum committit, quatinus de et super certis delictis perpetratis et commissis per fratrem Claudium Destain, religiosum professum de Sancto Bernardo [c], se debite et fideliter informent, et si dictum fratrem in praemissis delictis culpabilem invenerint, illum secundum casuum ac demeritorum exigentiam et Ordinis formam taliter puniant et corrigant, quod ceteris transeat in exemplum et terrorem, in plenaria Ordinis potestate.

34. Ad aures Capituli generalis dolenter pervenit reverendos in Christo patres dominos archiepiscopos Eboracensem et Cantuariensem certas bullas a Sancta Sede impetrasse et obtinuisse, quibus monasteria et personas Ordinis per regnum Angliae inclitissimum existentia contra formam et tenores privilegiorum Ordinis infestare et suis ditionibus subiugare plurimasque novitates suscitare, dictaque privilegia infringere moliuntur in maximum dicti Ordinis damnum, praeiudicium et gravamen. Quibus malis obviare et de remedio opportuno providere cupiens idem generale Capitulum, decernit procuratorium ad abbates de Fontibus in Anglia... *(locus vacuus)*... ; quibus et cuilibet eorum

---

[c] *leg. forsan* Benedicto in Vepria.

districtissime mandat et praecipit, quatinus viis et mediis possibilibus dictis dominis archiepiscopis et bullis praefatis viriliter sive oppositiones et appellationes ad Sanctam Sedem, aut alias prout iuris et rationis fuerit, resistant et obvient.

35. Abbatibus de Caroliloco, s. th. pr., de Claromonte et de Valledulci, et cuilibet eorum committit praesens generale Capitulum, quatinus per omnes iuris et iustitiae vias ac per ecclesiasticas censuras, oppositione aut appellatione non obstantibus, viriliter et indissimulanter astringant et compellant abbatem de Vallibus Sernay, qui nunc est et qui pro tempore fuerit, necnon omnes et singulos eiusdem monasterii officiarios ad integraliter annis singulis et statutis terminis solvendum et deliberandum fratri Ioanni Panmard, olim eiusdem monasterii de Vallibus Sernay abbati, pensionem 20 scutorum auri regiorum, sibi per R. D. N. Cisterciensem assignatam et per Capitulum generale confirmatam, prout in litteris praesenti diffinitioni annexis plenius continetur, in plenaria Ordinis potestate, invocato ad praemissa et ea tangentia, si opus fuerit, brachii saecularis auxilio, consilio et favore. Omnibus autem et singulis totius Ordinis regularibus personis maxime in sacro presbyteratus ordine constitutis, firmiter in virtute salutaris obedientiae, et sub poenis et censuris latius per executorem praesentis diffinitionis taxandis et declarandis dat in mandatis praesens generale Capitulum quatinus eidem abbatibus et cuilibet eorum pareant et obediant.

36. Cum retroactis annis frater Antonius de Boscorotundo, olim abbas Morimundi, et nunc prior cuiusdam prioratus Ordinis sancti Benedicti, auctoritate certarum commissionum, tam a R. D. N. Cisterciensi quam generali Capitulo emanatarum, magnas pecuniarum summas tam contributionum quam subsidiorum Ordinis, tam per Allemanniam quam Lotharingiam, Barrum, Alverniam et alias mundi regiones levaverit et perceperit, de quibus nullas fecerit aut Ordini tenuerit restitutiones aut computationes, in maximum damnum et gravamen ipsius Ordinis; quibus malis obviare et praedictas pecunias recuperare volens generale Capitulum, suum et totius Ordinis fecit, curavit et constituit procuratorem sindicum yconomum et negotiorum gestorem, abbatem videlicet de Caroliloco, s. th. pr., cui dat idem generale Capitulum auctoritatem, potestatem et plenum posse per se vel substitutum suum, aut substitutos petendi, requirendi,

levandi et exigendi per omnes iuris et iustitiae vias universas et singulas pecuniarum summas per dictum fratrem Antonium de Boisredon, pro et nomine Ordinis, tam ex contributionibus quam subsidiis charitativis, ac alias quomodolibet a diversis Ordinis monasteriis, abbatibus et officiariis receptas et per ipsum Ordinem debitas, ipsumque fratrem Antonium coram quibuscumque iudicibus tam ecclesiasticis quam saecularibus citandi seu citari faciendi et conveniendi, locaque et iudices eligendi et nuntiandi, et si necesse fuerit, recusandi, adnotandi, forum et iudicium declinandi, libellum, etc., et generaliter de receptis quoque quittantias validas et sufficientes sub signeto suo manuali aut sigillo vel alias expediendi et dandi, et generaliter, etc.

[DIFFINITIONES] SPECIALES

37. Comparentibus personaliter coram dominis Diffinitoribus praesentis Capituli generalis fratribus Ioanne Parny, se pro abbate monasterii de Altofonte gerente, appellante ab abbatibus de Ellantio et de Monasteriis in Argona, et requirente reintegrationem eiusdem monasterii ex una, et fratre Witerio de Bassy, similiter se gerente pro abbate eiusdem monasterii contra defendente, contendentibus super dignitate abbatiali eiusdem monasterii Altifontis partibus ex altera, coram quibus dominis Diffinitoribus praesentis Capituli generalis per venerabilem curiam Parlamenti Parisiis remissi fuerunt, dictae partes sic comparentes sponte, libere et voluntarie iudicio Ordinis et Capituli generalis, tam super dicta appellatione et reintegratione, quam super principali et quibusdam aliis processum tangentibus se submiserunt, et quaelibet earumdem partium se submittit, promittentes tenere et observare id quod per generale Capitulum, aut deputatos ab eodem, in hac materia actum, conclusum esset et diffinitum.

38. Abbati de Ardorello praesens generale Capitulum committit, quatinus se debite et diligenter informet super causis appellationis novissime per abbatissam de Goiono a certis gravaminibus sibi, ut asserit, ab abbate de Loco Dei illatis, necnon super pluribus querelis et controversiis inter abbatissam et abbatem praefatos subortis, informationibusque debite factis, citatis citandis, et auditis audiendis, dictas causas, querelas et controversias debite decidat et terminet, in plenaria Ordinis potestate.

39. Paci et tranquillitati personarum et monasteriorum Ordinis intendens generale Capitulum abbatibus de Charitate, de Balerna et de Sancto Sulpitio et duobus eorum committit, quatinus debite, diligenter et sufficienter videant et examinent omnem processum, productionesque partium illius processus nuper in venerabili curia Parlamenti Parisiis moti et pendentis inter fratres Ioannem Parny se pro abbate monasterii de Altofonte gerentem appellantem ab abbatibus de Ellantio et de Monasteriis in Argona Ordinis commissariis, et requirentem reintegrationem ipsius monasterii ex una, et Witerium de Bassy similiter pro abbate eiusdem monasterii Altifontis gerentem defensorem, partibus ex altera, super dignitate abbatiali eiusdem monasterii contendentes ; quaequidem partes per eamdem venerabilem curiam Parlamenti ad praesens generale Capitulum remissae fuerunt. Omnibus et singulis productionibus, processibus et aliis visis, debiteque ac fideliter attentis et consideratis, auditisque hinc inde partibus, dictam causam tam super appellationibus quam aliis quibuscumque dictum processum tangentibus, omnino iuxta tenorem et formam arresti eiusdem venerabilis curiae et submissionis dictarum partium decidant, iudicent et terminent in plenaria Ordinis potestate, dictis partibus et earum singulis in virtute sanctae obedientiae, et sub excommunicationis latae sententiae ac perditionis causae poenis, inhibendo ne una alteram alibi quam coram dominis commissariis Ordinis occasione de qua lis est trahere aut tractare praesumant.

40. Generale Capitulum monasterium de Mulbrunna multis et maximis debitis involutum, ac usurarum voragine multum oppressum et damnificatum suscipiens, ac ex ore abbatis eiusdem a talibus incommodis ipsum monasterium liberare cupiens, abbatibus de Schonauvia et de Uterina valle mandat et praecipit, quatinus quamcitius et commodius poterint, ad dictum monasterium Mulbrunnense seu ad aliqua loca, quae aptiora iudicaverint, accedant, ac de et super praemissis debitis et usuris quomodo, qualiter, cum quibus et propter quid dicta debita contracta fuerint, necnon ipsum super modo exonerandi et liberandi dictum monasterium a praedictis debitis et usuris, sive per aliquorum membrorum eiusdem monasterii venditionem, impignorationem aut alias, se debite, diligenter et sufficienter informent, et quidquid in praemissis aut aliquo praemissorum, ac ab eis dependentibus invenerint, cum instrumentis suis, sequenti futuro

proximo generali Capitulo per scripta sua authentica afferant seu transmittant.

41. Ad instantiam abbatis de Campo principum, s. th. pr., generale Capitulum in protectionem Ordinis suscipit capellam sancti Leonardi in Iuchenhoffen, Augustensis dioecesis, quae auctoritate apostolica eidem monasterio, ut fertur, incorporata, vultque idem generale Capitulum ut dicta capella, quamdiu Ordini incorporata extiterit, gaudeat et fruatur talibus gratiis, privilegiis et indulgentiis, sicut alia membra et loca Ordinis gaudent et fruuntur.

42. Generale Capitulum certis iustis et rationabilibus causis motum benigne et misericorditer dispensat cum fratre Ioanne Montfort, s. th. pr., priore monasterii de Fonte frigido, eidemque licentiam dat et facultatem, ut cum dicto officio prioris possit tenere et regere quamdam grangiam sibi per admodiationem ad certos annos dimissam de Monte Laurentio vocatam, dummodo pro maiori parte temporis in dicto monasterio, exercendo dictum officium resideat.

43. Cum frater Richardus de Bosco, baccalaureus formatus in theologia, et actu studens in collegio Sancti Bernardi Parisiis, de proximo sit licentiandus, nec valeat suos actus sine magnis sumptibus adimplere, quos tamen monasterium de Mortuomari, ubi professus est, vix sine magno gravamine sustinere posset, volens idem generale Capitulum necessitatibus eiusdem studentis providere, abbatibus de Valle Richerii, de Brolio Benedicti, de Noa et de Strata, et cuilibet eorum in virtute sanctae obedientiae et sub poenis et censuris Ordinis latius per executorem praesentis diffinitionis taxandis et declarandis mandat et praecipit, quatinus per subventionem eiusdem scolaris, et ut actus praedictos commode exercere valeat et adimplere, taxas sibi impositas et subscriptas dehinc ad triennium eidem scolari, vel eius legitimo procuratori infallibiliter dent, mittant aut solvant, videlicet de Valle Richerii decem libras turonenses, de Brolio Benedicti octo, de Noa octo francos, et de Strata sex francos ; executionem praesentis diffinitionis primo abbati super hoc requirendo committendo, in plenaria Ordinis potestate.

44. Abbati de Vetericella Capitulum committendo dat auctoritatem et potestatem quamdam monialem quae in monasterio monialium Morgenstein simoniace intrasse dicitur, a praedicta simonia, necnon ab omnibus casibus, sententiis, criminibus et

delictis generali Capitulo specialiter reservatis, salutari mediante poenitentia absolvendi, ac cum ea dispensandi, ut praemissis non obstantibus ad omnes Ordinis actus legitimos, voces, gradus, officia, beneficia et dignitates promoveri possit et admitti, in plenaria Ordinis potestate.

45. Rationabilibus ex causis praesens generale Capitulum diffinitionem anno praeterito factam de eo quod monasterium de Polplin a commissione Polonorum perpetuo esset supportatum, ac commissioni Stagnalium subiectum, approbat, ratificat et confirmat, datque facultatem abbati ibidem omnes sibi subditas personas regulares semel per se vel alium absolvendi ab omnibus casibus generali Capitulo reservatis, eligendique per se confessorem Ordinis, qui eum a similibus casibus absolvat.

46. Ad humilem instantiam egregii s. th. pr. magistri Ioannis de Prussia, praesens generale Capitulum specialem gratiam facere cupiens monasterio de Polplin, sive etiam paupertati compatiens gratiose concedit abbati et conventui ibidem, ut scolarem aliquem honestum ac bene disciplinatum mittere valeat ad Heidelbergense studium ad ibidem in domo dicti magistri Ioannis manendum, et studiis litterarum insistendum per biennium, ita tamen quod iuxta Ordinis nostri statuta sub regulari observantia religiose et honeste vivat.

47. Attenta paupertate monasterii de Polplin, praesens generale Capitulum gratiose concedit abbati et conventui ibidem, ut magistrum aliquem bene doctum et honestum, sive saecularem sive regularem, in monasterio suo habere possint, qui fratres suos in primitivis scientiis et liberalibus artibus instituat, ipsique fratres omnes et singulae lectiones artium liberalium et philosophiae sub eodem magistro audiant usque ad gradum determinaturae audiri solitas et consuetas, quibus finitis, etiam gradum determinaturae in generali aliquo studio, si per examen solitum sufficientes reperti fuerint, valeant adipisci.

48. Damnis maximis, quae ex hostili incursu certarum grangiarum incineratione incurrit monasterium de Dobran ex affectu compatiens praesens generale Capitulum, abbati de Hilda Ordinis commissario concedit ut a solutione contributionum dictum abbatem usque post annum proxime futurum supportatum habeat, ita tamen quod illo termino finito integraliter huiusmodi contributiones persolvat.

49. Cum viri religiosi sic litterarum studiis insistere debeant,

ut tamen non negligant sanctae religionis observantiam ac morum disciplinam, praesens generale Capitulum abbati Vallis Sancti Aegidii, alias Buch, in virtute salutaris obedientiae mandat et praecipit, ut in studio Belgerensi, quod pro iuvenibus in primitivis scientiis fundandis ordinatum est, aliquem de suis fratribus virum maturum, honestum ac providum et sanctae religionis zelatorem, in priorem, non tamen perpetuum, sed ad nutum suum amovibilem instituat, qui scolaribus ibidem studentibus praesit, eosque sub regulari Ordinis disciplina servet et custodiat, statuitque idem Capitulum generale hoc edito perpetuo, ut scolares ipsi horas canonicas, praefinitis in sancta regula temporibus, pulsu semper praemisso, in capella ad hoc deputata, secundum modum in directorio collegii designatum devote complendo persolvant. Quodque lectio mensae fratrum nunquam desit, sed unus ex eis usque ad finem refectionis, quod aedificat legat ; silentium quoque et ieiunium regulare, ceterasque Ordinis observantias per omnia prosequantur, nihil penitus laxando, nisi quantum ad profectum studii, discretioni prioris pro tempore conducere videbitur. Qui prior pro emendandis excessibus quotidie capitulum teneat breviter tamen, ne tempus pro lectionibus aliisque exercitiis scolasticis necessarium propter hoc impediatur ; sitque ingressus mulierum etiam consanguinearum ibidem penitus interdictus ; de lectionibus autem ac disputationibus, ceterisque exercitiis scolasticis suis horis habendis abbas ita disponat, ut nullum tempus transeat sine fructu, aliaque omnia et singula necessaria et opportuna sic ordinet, ut ipsi scolares et in scientiarum litteris proficiant, et in disciplina morum profectuque virtutum nutriantur et crescant.

50. Abbatibus de Mulbrunna et de Villerio Metensi, ac eorum cuilibet in solidum, committit praesens generale Capitulum, quatinus accedendo, quo accedendum est, citent coram se abbatem de Otterburg modernum et fratrem Ioannem Slich dudum abbatem ibidem, auditisque et examinatis diligenter causis querelarum ac controversiae eos dudum exortis, eas prout iustum et aequum viderint, decidant et componant, in plenaria Ordinis potestate ; ipsas partes, quaecumque per eos aut eorum alterum decisa fuerint et pronuntiata, per censuras Ordinis firmiter observare compellendo ; datque facultatem dictum Capitulum fratres ipsius monasterii, qui dudum monasterium sine superioris licen-

tia exierunt, brachiumque saeculare contra suum abbatem invocaverunt, debita punitione praemissa, rehabilitandi.

51. Abbati de Eberbaco gratiose concedit praesens generale Capitulum, ut omnes et singulas personas regulares sibi subiectas per se vel alium seu alios confessorem vel confessores Ordinis infra anni spatium semel absolvere valeat ab omnibus casibus, sententiis et delictis generali Capitulo reservatis, ipseque abbas similiter eligere possit confessorem Ordinis qui eum ab eisdem casibus, sententiis et delictis absolvat.

52. Consideratis mole corporis et gravi infirmitate abbatis de Uterina valle, generale Capitulum per biennium a via veniendi ad idem Capitulum gratiose supportat, datque sibi facultatem eligendi confessorem Ordinis idoneum qui semel anno quolibet eum absolvat ab omnibus casibus generali Capitulo reservatis, quodque ipse abbas per se vel alium seu alios omnes sibi subiectas personas regulares a similibus casibus absolvere possit.

53. Auditis querelis abbatis Sancti Urbani contra et adversus abbatem de Pomerio super hoc, quod idem de Sancto Urbano dudum quasdam pecuniarum summas in magna necessitate mutuo concessit iam dicto de Pomerio, ad certum tempus praefixum solvendas, prout in litteris obligatoriis quibus praesentes annectuntur plenius continetur, praesens generale Capitulum dictam obligationem confirmando, mandat et praecipit dicto abbati de Pomerio suoque conventui, in virtute salutaris obedientiae ac sub censuris Ordinis, quatinus infra festum sancti Ioannis Baptistae proxime futurum dicto abbati Sancti Urbani aut suo procuratori satisfacere non postponat.

54. Abbatibus de Speciosa valle et de Sconauvia committit praesens generale Capitulum, quatinus se diligenter informent de quadam permutatione quam facere intendunt abbas et conventus in Brunbach cum generoso et magnifico domino comite de Westheim de villagiis Ebenach et Nassau vulgariter nuncupatis, pro quibus praefatus dominus comes se daturum offert alia quaedam bona aequivalentis valoris. Et si dictam permutationem ad utilitatem monasterii cedere viderint per sua scripta authentica R. D. N. Cistercii significent una cum omnibus circumstantiis quas repererint, quibus intellectis ipse R. D. Cistercii permutationem huiusmodi, si sibi visum fuerit, expedire, ratificet et confirmet in plenaria Ordinis potestate.

55. Ad terminandum et decidendum litis pendentiam inter

fratres Guillermum de Muncello et Robertum Valée super dignitate abbatiali monasterii de Fulcardimonte, abbatibus de Caroliloco et de Bonoportu, s. th. pr., ac abbati de Bellobecco, et eorum cuilibet in solidum committit praesens generale Capitulum, quatinus diligenter visis et examinatis iam praedictis coram Diffinitoribus ac aliis quibuscumque ad hoc concernentibus et necessariis, accedendo quo propterea accedendum est, vocatis coram se partibus, ipsis diligenter auditis super huiusmodi litis pendentia, plenum iustitiae complementum administrent, illum declarando abbatem cui ius potius competere viderint, mandando et praecipiendo religiosis dicti monasterii in virtute salutaris obedientiae, et sub excommunicationis et eiectionis a monasterio proprio poenis, quatinus illum abbatem suum indubitatum recipiant, qui per dictos commissarios vel eorum duos aut unum ex eis fuerit adiudicatus ; datque generale Capitulum dictis commissariis auctoritatem invocandi ad praemissa, si opus fuerit, auxilium brachii saecularis, aut quorumcumque dominorum principum aut potentum consilium, auxilium et favorem.

56. Ad audientiam praesentis Capituli generalis pervenit quod monasterium Gradis monachorum propter occupationem quorumdam violenter, ac minus iuste occupantium ad multos annos vacavit, abbatisque solatio fuit destitutum, cupiens igitur ipsum Capitulum ut dictum monasterium e manibus huiusmodi occupantium eripiatur, et pro augmento cultus divini Ordini restituatur, abbati de Ozzeck pie committendo mandat, quatinus aliquem probum ac bonum Ordinis monachum, auctoritate totius Ordinis et Capituli generalis illic praeficiat in abbatem, qui pro recuperatione ipsius monasterii membrorumque eius diligenter elaboret ac conventum monachorum, divinum servitium devote persolventium ac sub regulari Ordinis observantia viventium ibidem instituat ; datque ipsum Capitulum generale tam dicto abbati de Ozzeck commissario quam abbati de novo instituendo ibidem, facultatem invocandi ad praemissa quorumcumque dominorum iudicum et potentum auxilium, consilium et favorem, rogando omnes et singulos dominos ac potentes illius provinciae, ut ad Dei laudem et in favorem nostri Ordinis consilium et auxilium ad praemissa dictis abbatibus impendere non omittant.

57. Cum ad audientiam praesentis Capituli generalis pervenit, quod abbas de Ozzeck nonnulla sui monasterii iura, libertates

aliquorum circumductus sinistra machinatione permisit alienari, quod tamen nec debebat nec poterat, praesens generale Capitulum cupiens, ut monasterium ipsum in suis iuribus et libertatibus conservetur, amissa si quae fuerint recuperentur, abbati de Ozzeck, priori et cellerario, omnibusque aliis et singulis conventualibus ibidem, in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis poena mandat et praecipit ut unusquisque eorum quantum in se fuerit, pro recuperandis huiusmodi iuribus et libertatibus elaboret, regiae etiam potestatis praesidium et aliorum quorumcumque dominorum iudicum et potentum consilium et auxilium invocando, cassatque et annullat ipsum generale Capitulum omnes et singulos contractus, aut conventiones qui contra Ordinis statuta et privilegia initos quomodolibet et attentatos.

58. Quia abbas de Ozzeck Ordinis commissarius in partibus Bohemiae suam diligentiam in executione commissionis sibi datae iuxta quod fieri potuit, fecit, et pro omnibus abbatibus in illis partibus in generali Capitulo comparuit et pro eis excusationem obtinuit, mandat generale Capitulum universis et singulis dictarum partium abbatibus sub sua commissione comprehensis, sub censuris Ordinis quatinus expensas eundo ad generale Capitulum et redeundo ab eodem, necnon in prosequendo alia negotia Ordinis, per eum factas, iuxta verum computum suum inter se taxent, sibique integraliter exsolvant, cum nullus teneatur propriis stipendiis militare.

IUDICES

59. Nos, frater Ioannes, Cistercii abbas, in Cabilonensi dioecesi, ceterique Diffinitores Capituli generalis Cisterciensis Ordinis, notum facimus universis quod in eodem, etc., facta fuit quaedam diffinitio cuius tenor sequitur et est talis : Quia per venerabilem curiam Parlamenti regii Parisiis ad hoc generale Capitulum remissa est materia controversiae et dissensionis dudum mota et ventilata inter reverendum patrem dominum abbatem Claraevallis, et procuratorem generalem regis in curia Parlamenti Parisiis, quosdamque suos adhaerentes ex una, et R. D. N. Cistercii, suumque conventum cisterciensem, procuratoremque generalem Ordinis partibus ex altera, ratione quorumdam reddituum, qui ab aliquibus Cistercio, ab aliis vero toti Ordini pertinere dicuntur, ipsum generale Capitulum pacem, concordiam

et tanquillitatis quietem inter patres Ordinis totis affectibus ponere et nutrire desiderans, et nihilominus per debitum iustitiae complementum volens unicuique quod suum est tribuere iuxta tenorem et formam arresti dictae venerabilis curiae Parlamenti ex parte totius Ordinis suos commissarios iudices et compositores dictae litis nominavit, constituit, creavit et fecit reverendos patres dominos abbates de Firmitate, de Pontigniaco, de Morimundo, de Caroliloco, s. th. pr., et de Charitate, quas praefatus R. P. D. N. Cistercii acceptavit, et in eos tamquam sufficientes et idoneos consensit, et nihilominus pro se suoque conventu Cistercii commissarios ac iudices nominavit et constituit reverendos patres dominos abbates de Firmitate et de Pontigniaco iam dictos, necnon dominos abbates de Bonoportu, s. th. pr., de Balerna et de Ellantio, quos similiter praesens generale Capitulum acceptavit, et in eos tamquam sufficientes et idoneos consensit ; quo facto idem generale Capitulum dedit et concessit, ac tenore praesentium dat et concedit illis octo abbatibus sic pro utraque parte productis et producendis, plenum iustitiae complementum ministrent, ita quod si forsitan omnes octo simul intendere non possent, septem eorum similem habeant potestatem, rogando omnes octo iam nominatos ut omnes illud assumerent, quod si fecerint consenserintque et potestatem eis a dictis Diffinitoribus in hac parte traditam acceptaverint et iuxta dicti arresti formam, praedicti domini nominati poterunt etiam vocare ad se aliquos notabiles iurisperitos neutri partium suspectos, quorum consiliis freti et suffulti omnes et singulas dictae controversiae rationes dictorum reddituum materias et causas summarie et de plano, prout iuris et iustitiae ordo requirit, totaliter terminabunt infra tempus in dicto arresto praefixo, vel si hoc fieri non poterit, de beneplacito curiae praedictae super hoc requirendo tempus iam dictum ulterius prorogandum habeant facultatem, promiseruntque tam dictus R. D. Cistercii quam R. D. Claraevallis stare velle omnibus et singulis, quae per dictos dominos nominatos aut eorum in eadem causa fuerint decisa, vel quomodolibet conclusa et iudicata.

60. Pro Cistercio, de Firmitate, de Maceriis, de Charitate et de Balerna.

61. Pro Pontigniaco, de Firmitate et de Caroliloco, s. th. pr.

62. Pro Claravalle, de Caroliloco, s. th. pr., de Longovado et de Pomerio.

63. Pro Morimundo, de Pontigniaco et de Claravalle, s. th. pr.

64. Pro Caroliloco, de Regalimonte et de Vallibus Sernay ; pro Bellavalle, de Charitate.

[COMMISSIONES]

65. Abbatibus de Bellabrancha et de Buxeria Andegavensi, et cuilibet eorum, committit generale Capitulum, quatinus se debite, diligenter et sufficienter informent de et super contentis in certis litteris transactionis seu appunctuamenti initi, facti et passati inter abbatem et conventum monaterii de Claritate Dei ex una, et potentem ac nobilem dominum Ioannem de Bueil militem Sacricesaris comitem, dominum de Sancto Christoforo in Turonia partibus ex altera, super quibusdam summis pecuniarum tam ex redditu annuo et perpetuo quam arreragiorum per dictum comitem abbati et conventui praefatis debitis, prout in dictis litteris praesenti diffinitioni annexis, plenius declaratur et specificatur ; et si per debitam informationem dictam transactionem seu appunctuamentum praefatum ad utilitatem monasterii dicti invenerint, illam cum omnibus suis clausulis, circumstantiis et dependentiis approbent, ratificent et confirment, in plenaria Ordinis potestate.

66. Abbati de Firmitate praesens generale Capitulum committit, quatinus si invenerit abbatem et conventum monasterii de Monte Sanctae Mariae, seu quascumque alias Ordinis personas iuste et debite teneri et obligari seniori abbati de Bullione in aliquibus pecuniarum seu quarumcumque rerum summis, ad ipsi seniori abbati seu eius procuratori solvendum et integraliter satisfaciendum per omnes iuris et iustitias vias et censuras ecclesiasticas compellat et astringat, in plenaria Ordinis potestate.

67. In causa appellationis mota inter abbatem et conventum de Novocastro appellantes ex una, et abbatem et conventum de Pomerio, alias Bongart, appellatos partibus ex altera, praesens generale Capitulum iudices ordinat et constituit abbates de Luzella Basileensis, de Villerio Metensis dioecesis, mandando eis ut accedendo simul ad aliquem locum competentem, citatisque coram ipsis utrisque partibus cum omnibus suis munimentis dictam causam diligenter audiant, examinent, decidant in plenaria Ordinis potestate, inhibendo ipsis partibus sub poenis et censuris Ordinis, quatinus dictam causam nullibi nisi coram

patribus Ordinis iuxta apostolica statuta deinceps prosequantur.

68. Abbati de Campoprincipum, s. th. pr., committit praesens generale Capitulum, quatinus se debite, diligenter et fideliter informet de et super recto feodo monasterii monialium de Vallefelici pertinenti, quem vendere volunt abbatissa et conventus eiusdem monasterii ; et si informatione debita dictum feodum eodem monasterio inutilem et fore vendendum seu commutandum invenerit, eidem abbatissae det licentiam et facultatem ipsum vendendi, alienandi seu commutandi, dummodo pecuniae ex eo receptae in emptione aliorum reddituum pro eodem monasterio convertantur.

69. Abbatibus de Bellavalle et de Balerna, et cuilibet eorum committitur, quatinus se debite, diligenter et fideliter informent de et super quodam tractatu inito, facto et passato ad certum tempus inter abbatem et conventum de Charitate Bisuntinensis dioecesis, ex una, et dominos laycos partibus ex altera, de quibusdam grangiis, quarum una vocatur de Montanis, aliaque de Lizey, plenius in litteris desuper praemissis confectis, contentis et expressis ; et si eumdem tractatum eidem monasterio perutilem invenerint, eumdem cum omnibus et singulis suis clausulis approbent, ratificent et confirment, in plenaria Ordinis potestate.

70. Item, eisdem abbatibus et cuilibet eorum committit praesens generale Capitulum, quatinus debite, diligenter et fideliter se informent de et super quodam tractatu inito, facto et passato inter abbatem et conventum de Charitate ex una et progenitum Mailly de Serano partibus ex altera, de quibusdam terris in territorio de Praechapellot situatis ; et si dictum tractatum fore utilem dicto monasterio invenerint, illum cum omnibus et singulis suis clausulis approbent, ratificent et confirment, in plenaria Ordinis potestate.

71. Abbatibus de Ozzeck et de Buch et cuilibet eorum committit praesens generale Capitulum, quatinus debite, diligenter et sufficienter se informent super certis praediis, dominiis in regno Bohemiae sitis et monasterio de Vetericella pertinentibus, et eidem monasterio, ut fertur, inutilibus, propter quod ipsum de Vetericella licentiam illas vendendi et de pecuniis receptis alias sibi propinquiores et utiliores terras acquirendi licentiam petierunt, debitisque informationibus super hoc, necnon super commodo vel incommodo eiusdem monasterii, si dictae terrae

venderentur, peractis, illas cum advisamentis suis sequenti proximo Capitulo generali transmittant.

72. Domino abbati de Firmitate, necnon abbatibus de Caroliloco, de Regalimonte, s. th. pr., et de Valledulci et cuilibet eorum, committit presens generale Capitulum, quatinus omnes et singulas Ordinis personas cuiuscumque sexus, status aut conditionis existant, quas per testes fide dignos, litteras seu schedulas obligatorias aut alia sufficientia documenta debite teneri aut obligari collegio Sancti Bernardi Parisiis, bursario, cellerario aut quibuscumque personis regularibus eiusdem collegii, in aliquibus pecuniarum seu quarumcumque rerum summis invenerint, seu alter eorum invenerit, ad eisdem et cuilibet eorum integraliter solvendum et satisfaciendum debite per omnes iuris et iustitiae vias, et ecclesiasticas censuras, oppositione seu appellatione non obstante, astringant et compellant, in plenaria Ordinis potestate. Omnibus et singulis Ordinis personis in sacro presbyteratus ordine constitutis districte in virtute sancta obedientiae et sub poenis et censuris Ordinis mandans et praecipiens idem Capitulum generale, quatinus dum requisitae per eosdem abbates aut alterum ipsorum fuerint, citent communiter coram dictis abbatibus aut altero ipsorum dictas Ordinis personas ad certos et competentes diem et locum sibi per praefatum collegium aut personis regularibus eiusdem, seu earum et cuiuslibet ipsarum procuratorem obiiciendis responsuras, et ultra processuras prout iuris fuerit et rationis.

73. Ad idem, pro abbate de Gratia Dei, abbatibus de Balerna et de Bullione, et cuilibet eorum.

74. Ad idem, pro abbate de Ellantio, abbatibus de Igniaco, de Valle clara, et cuilibet eorum.

75. Ad idem, pro abbate de Valle regis abbatibus de Ursicampo et de Ellantio.

76. Ad idem, pro domino Caroliloci, s. th. pr., abbatibus de Regalimonte et de Vallibus Sernay.

CONTUMACES

77. Fratres Anthonium de Bies, priorem monasterii de Bonacumba et Hugonem Masnon monachum eiusdem monasterii ad secundam diem praesentis Capituli generalis per abbatem de Ardorello, Ordinis commissarium citatos, debiteque expecta-

tos ac vocatos et non comparentes, nec per se nec per alios, idem generale Capitulum contumaces, rebelles et excommunicatos reputat et declarat, mandans omnibus et singulis personis Ordinis in sacro sacerdotali ordine constitutis, necnon dominos presbyteros, curatos vel non curatos, notarios publicos rogans, quatinus dum requisiti fuerint, ipsos fratres sive per affixionem aut alias in locis publicis et consuetis, contumaces, rebelles et excommunicatos denuntient et declarent.

78. Ad idem, contra fratrem Ioannem de Luco, professum monasterii de Bellapertica, per praedictum abbatem de Ardorello, Ordinis commissarium, citatum et non comparentem.

79. Quia frater Ioannes Regis, monachus monasterii de Septem fontibus citatus ad praesens generale Capitulum et sufficienter expectatus atque vocatus, non comparuit neque per se neque per alium, ipsum generale Capitulum contumacem eum reputat, ac propter hoc sententiam excommunicationis incurrisse declarat.

REHABILITATIONES

80. Ad instantiam abbatis de Brunbach praesens generale Capitulum gratiose agere volens, cum sorore Elisabeth de Steten, moniali Vallis dominarum, eam rehabilitat, ut non obstante inhabilitate quam ex transgessione voti continentiae, puerperio inde secuto, incurrit, ad omnes Ordinis honores, gradus, voces et actus legitimos, necnon officia et dignitates valeat admitti.

81. Ad idem, pro sorore Anna de Ridern, moniali monasterii Fontis virginum, ad instantiam abbatis in Lanckheim.

82. Ad idem, pro sorore Barbara Chenklein, professa in Cœli corona.

83. Ad idem, pro fratre Petro de Sancto Thoma, professo monasterii de Himmerode, qui propter certum furtum, cui consensisse dicitur, inhabilitatem incurrit.

84. Ad idem, pro fratre Ioanne Egli, de transgressione voti continentiae, puerperio inde secuto, ad instantiam abbatis de Sancto Urbano.

85. Ad idem, pro fratre Ioanne Seydenachs, monasterii in Polplin professo, de apostasia et contagio carnali, ad instantiam abbatis ibidem.

86. Ad idem, pro fratre Ioanne Brunnet, religioso monasterii

Sancti Andreae in Goufferno, qui inhabilitatem contraxit fractione voti continentiae, de qua convictus fuit propter prolem sibi donatam, ad instantiam abbatis ibidem.

87. Ad instantiam abbatis Caroliloci, s. th. pr., conceditur rehabilitatio Ioannae de le Ronet, et Iacquelinae Collière, religiosis de Parco dominarum, ut non obstante carnis contagio, puerperio inde secuto, ad omnes Ordinis actus legitimos, voces, gradus, officia, beneficia et dignitates, abbatiali etiam dignitate inclusa, promoveri possint et admitti.

88. Ad idem, ad instantiam abbatis Claraevallis, s. th. pr., pro sororibus Ioanna de Lamnie [d] et Maria de Theurive, monasterii de Parco dominarum professis, pro carnali contagio, puerperiis subsecutis, etc., ad omnes gradus et dignitates, etc.

89. Ad idem, ad instantiam abbatis de Lanneyo pro fratre Ludovico Goim, eiusdem monasterii professo, non obstante apostasia per 12 dierum spatium, habitu regulari minime dimisso.

90. Ad idem, ad instantiam ipsius de Lanneyo pro fratre Eustachio Lostellière, eiusdem monasterii professo, ut non obstante apostatia per spatium 5 mensium, habitu religionis minime dimisso.

91. Ad idem, ad instantiam abbatis de Longovillari pro fratre Ioanne de Gommeville eius professo, ut non obstante contagio carnis, puerperio inde secuto, et apostasia per 6 aut 7 mensium spatium, habitu religionis dimisso, etc.

92. Ad idem, ad instantiam abbatis Longivadi pro fratre Egidio pro fratre Egidio du Jonchen, ut non obstante carnis contagio, puerperio inde secuto, etc.

93. Ad idem, ad instantiam abbatis de Fonte Danielis pro fratribus Bastiano Baloton et Guidone Binaut, professis eiusdem monasterii, ut non obstante apostasia et carnis contagio, etc.

SUFFRAGIA

94. Universis christifidelibus, cuiuscumque fuerint excellentiae, dignitatis, status aut honoris, ecclesiasticae aut saecularis, has praesentes visuris et audituris, frater Ioannes, abbas Cistercii, totusque coetus abbatum Cisterciensis Ordinis in hoc Capitulo generali congregatorum totum Cisterciensem Ordinem repraе-

[d] Camme : P^2.

sentantes, debitis cum honore et reverentia, orationum in Domino suffragium salutare. Gloriosissimam Dei genitricem semper virginem Mariam, templum Domini, sacrarium Spiritus Sancti, Ordinis patronam singularissimam, et si congruis laudibus nemo mortalium digne efferre sufficiat, quantum tamen humana sinit fragilitas, tanto attentius eam possibilibus laudum praeconiis extollere, atque ad extollendum alios provocare dignum reputavimus, quanto ampliora ipsius intervenientibus meritis et precibus coelestium donorum carismata nos adepturos speramus. Sane sicut venerabilis confratris nostri domini Nicolai Wydenbosch de Brino, abbatis Beatae Mariae de Pomerio, alias Bongart, nostri Cisterciensis Ordinis, Argentinensis dioecesis, relatione didicimus, nonnullae eiusdem sanctissimae Virginis amatrices, ac in Domino Deo devotae personae ecclesiasticae et saeculares utriusque sexus in insigni oppido Bernensi, Lausannensis dioecesis, quamdam mutuam inter se confraternitatem dudum inierunt, qua se ad laudem et gloriam eiusdem gloriossisimae virginis Mariae, suaeque sanctissimae conceptionis venerationem astrinxerunt annis singulis devotius recolendam. Nos considerantes eiusdem beatissimae Virginis conceptionem sacratissimam humanae salutis primum fuisse exordium, quo mundo multis annorum millibus densissimis peccatorum et ignorantiae tenebris caliganti, velut aurora rutilans, solem iustitiae praeveniens iubar novi splendoris illuxit, ut singuli christifideles ad huiusmodi conceptionis festum devotius celebrandum, dictaeque fraternitati se libentius adscribendum et associandum amplius animentur, ut si nos ipsi tantorum bonorum quae in dicta fraternitate fieri possunt participes esse mereamur. Dicti venerabilis coabbatis nostri de Pomerio, qui se iam pridem eidem confraternitati fuisse associatum asseruit, devotis precibus inclinati omnibus et singulis christifidelibus utriusque sexus, qui iam in eamdem confraternitatem assumpti fuerunt, vel etiam qui per immediate sequens quinquennium in ipsam erunt, auctoritate totius Ordinis nostri qua fungimur, brevi tenore praesentium plenariam conferimus participationem omnium bonorum spiritualium, videlicet missarum, vigiliarum, orationum, suffragiorum, abstinentiarum, ieiuniorum, disciplinarum, lectionum, sermonum, eleemosinarum, hospitalitatum, laborum, ceterorumque divini cultus officiorum, quae fiunt, et Domino favente de cetero fient in toto Ordine nostro, in vita eorum pariter et in morte, ita quod cum obitus eorum, utinam felices in Domino!

nostro fuerint generali Capitulo nuntiati, ibidem sicut unus nostrum absolvemini, omniumque missarum in Ordine quas pro fratribus et sororibus nostris defunctis annis singulis iniungere consuevimus participes erunt pariter et consortes. Datum, etc.

95. *Suffragium pro ecclesia B. M. de Dola.* Universis et singulis christifidelibus has praesentes litteras visuris et audituris, frater Ioannes, abbas Cistercii totusque coetus abbatum Cisterciensis Ordinis in hoc generali Capitulo congregatorum, salutem, et per divinae pietatis opera promissionem vitae, quae nunc est et futurae, feliciter adipisci. Quamquam ad subveniendum omnibus necessitatem patientibus, ac subsidium petentibus omnes christifideles divinae charitatis lege sint astricti, dicente Scriptura, omni petenti te tribue ; illis tamen potissime succurrendum esse videtur, qui in bonis ac rebus ad divinum cultum pertinentibus, et sine quibus divinus cultus perfici non potest, casu aliquo miserabili iacturam ac detrimentum sunt perpessi. Cum ergo, sicut omnibus constat intuentibus, ecclesia collegiata B. M. V. in Dola, Bisuntinensis dioecesis, dudum, quod dolenter referimus, saevissimo hostium cursu villa capta et destructa pene tota cum calicibus, libris, ornamentis ecclesiasticis et aliis ad divinium cultum necessariis concremata fuerit et incinerata taliterque destructa et dissipata, ut nisi christifideles manu suffragentur amplius restaurari non possit, sicque divinus cultus penitus ibidem cessabit. Nos, abbates praedicti, ruinae tam lamentabili dictae ecclesiae ex affectu compatientes, cupientesque ad eidem pie subveniendum cunctos christifideles invitare, auctoritate totius nostri Ordinis Cisterciensis qua fungimur, omnibus et singulis sanctae matris Ecclesiae catholicae alumnis, qui iuxta facultates sibi concessas a Domino, pro restauratione praedictorum hinc infra immediate sequens... *(locus vacuus)* manus porrexerint adiutrices tenore praesentium conferimus plenariam participationem omnium bonorum spiritualium, videlicet... *etc. ut in n° pearcedenti.* Datum, etc., sub appensione sigilli Diffininitorum dicti Capituli generalis, die 14 mensis septembris anno Domini M. CCCC. LXXX VIII.

96. Universis christifidelibus, cuiuscumque fuerint excellentiae, dignitatis, status aut conditionis ecclesiasticae vel saecularis has praesentes visuris et audituris, frater Ioannes, abbas Cistercii, totusque coetus abbatum Cisterciensis Ordinis in hoc generali Capitulo congregatorum, totum Ordinem Cisterciensem repraesentantes, debitis cum honore et reverentia, orationum

in Domino suffragium salutare. Quamquam generaliter intercedere pro omnibus sanctae matris Ecclesiae alumnis tum praecepto charitatis divinae, tum singulari nostrae professionis obligatione simus astricti, his tamen familiarius orationum nostrarum suffragia impertiri consuevimus, qui nobis ac nostro Ordini personisque ac locis eiusdem ampliori charitatis vinculo astricti dignoscuntur. Exigente igitur piae devotionis affectu quem religiosus et honorabilis dominus Amedeus François, insignis ecclesiae beati protomartyris Stephani, ecclesiae beati Medardi parochialis apud Divionem curatus, ad nos et Ordinem nostrum habere comprobatur, instantissimis eius precibus condescendere volentes, omnibus et singulis eius parochianis praesentibus et futuris, necnon universis christifidelibus utriusque sexus, qui durante vita praefati domini curati, ipsi ecclesiae parochiali iam dictae ad suas structuras aliasque necessitates suas manus porrexerint adiutrices, plenariam participationem omnium bonorum spiritualium, videlicet missarum, etc. Ita quod cum obitus eorum, etc. Datum, ut supra, etc.

97. Ad instantissimam supplicationem domini Claraevallis conceditur suffragium Ordinis in primis venerabili viro domino Gerardo Seneschalli presbytero.

98. Item, notabili viro Hugoni de Domum scutifero, domino de Capella in Brabantia, et domicellae Ioannae eius consorti, cum liberis, etc.

99. Item, domicellae Margarethae de Lasteyie ; item, domino Ioanni de Pompadono scutifero. Item, domicellae Philippae Daultefers eius uxori. Item, Petro Pompadono eorum filio. Item, magistro Philippo de Pompadono, archidiacono et canonico de Podio. Item, Iacobo de Pompadono, curato de Charnait.

100. Item, Ioanni Flibois et Iacquelinae eius uxori, Fiers commorantibus.

101. Item, Ioanni Bardin et Ludovicae eiux consorti cum liberis, Lugduni commorantibus.

102. Ad instantiam abbatis Ozzeck in Bohemia fiat suffragium pro serenissimo domino rege Bohemiae.

103. Ad instantiam domini de Fontesalutis pro egregio doctore legum, magistro Ioanne Phaulem, illustrissimi principis domini marchionis Brandeburgensis consiliario.

104. Ad instantiam domini de Bebenhusen, pro domino Ernesto sacerdote in Schlingen ; fratribus et sororibus suis.

105. Item, pro honorabili et scutifero viro magistro Ioanne Pelliene, regis consiliario et domino in Parlamento parisiensi.

106. Item, pro magistro Iacobo Braesle, licentiato et advocato in Parlamento parisiensi ac pro eius uxore.

107. Item, pro Guillelmo Regnart.

108. Item, pro Petro Guyenet et Hugoneta eius uxore.

109. Item, pro Iacobo Grand et Ioanneta eius uxore.

110. Item, pro Ioanne Marsoti et Stephanata eius uxore.

111. Item, pro venerabili patre domino Henrico Blanichoti, priore Sancti Loci de Divione, Ordinis Vallis caulium, pro patre et matre eius.

112. Item, pro honorabili et scutifero viro magistro Philiberto de Puteo, rectore iustitiae Cistercii.

113. Item, pro honesta muliere Hugeta Blanchote.

114. Item, pro honorabili et circumspecto viro magistro Ioanne Renardi, licentiato domini nostri regis consiliario, ac pro eius uxore et liberis.

115. Pro Guillelmo Adam et domino Philippo Chamboz presbytero, etc.

116. Item, pro Hugeneta Bichote vidua.

117. Item, pro honesto viro Petro Thirrici, notario divionensi, et eius consorti et liberis, etc.

118. Item, pro domino Guillermo de Furno, presbytero curato Sancti Leodegarii ac Sancti Ioannis divionensis capellano.

119. Item, pro domina Beatrice de Chandieu, domina de Chrésille et eius liberis, etc.

120. Cum multae et diversae materiae in hoc generali Capitulo tractandae, propter brevitatem temporis non potuerunt in hoc eodem generali Capitulo terminari, R. D. N. Cistercii idem Capitulum gratiose committit, quatinus assumptis secum reverendis dominis quatuor primis et aliis dominis Diffinitoribus, quos voluerit in Divione cum dictis dominis Diffinitoribus audiat omnes et singulas materias tam generales Ordinis quam speciales, quae iam expediri non poterant, quibus idem Capitulum dat auctoritatem et plenum posse diffiniendi, iudicandi, decidendi et concludendi omnes et singulas materias iam dictas, etiam in romana Curia et alibi expediendas, in plenaria Ordinis potestate.

1489

Inedita, ut videtur, sequens bulla AD SACRUM APOSTOLATUS *legitur tantum apud* L^5, *et istius voluminis transcriptor, nempe Benedictus Schindler, Cistercio non invenit nisi transumptum bullae, mense septembris anni* 1602 *exaratum a notario apostolico. Omnia fideliter transcripsit Schindler, sicut et nos hic transcripsimus, cum notis tum dicti notarii tum ipsius Schindler.*

COPIA UNIONIS MONASTERII CLARAEVALLIS MONASTERIO CISTERCII, ANNO 1489.

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Ad sacrum apostolatus ministerium, divina disponente clementia, meritis quamvis insufficientibus, evocati, de monasteriorum omnium curae nostrae divinitus commissorum statu feliciter conservando et salubriter dirigendo, prout ex suscepti officii debito astringimur, sollicite cogitamus nonnulla ex eis interdum ex rationabilibus causis uniendo ac unitum illis abbatem praeficiendo, praesertim dum ex monasteriorum eorumdem unione utilitas et commoda in spiritualibus et temporalibus, ac totius Ordinis illorum quies, conservatio et augmentum proveniunt, et scandalis, quae retroactis temporibus occasione dictorum monasteriorum inter se de superioritate dissidentium, non sine maximo illorum et totius Ordinis eiusdem dispendio suscitata fuerunt, via praecluditur, ac rerum et temporum qualitate pensata id in Domino conspicimus salubriter expedire. Sane sicut accepimus et ad plenum iam dudum certiores effecti fuimus, licet abbas monasterii Cistercii, romanae Ecclesiae immediate subiecti, Cabilonensis dioecesis, pro tempore existens omnium aliorum monasteriorum Cisterciensis Ordinis, et dicti Ordinis tam ex primaeva ipsius Ordinis institutione, ac regularibus institutis illius, necnon privilegiis et indultis apostolicis eidem

1489. *Fontes* : L^5 : 1-145 ; *M abbrev.* 15, 146 ; P^2 *abbrev.* 15, 68, 71, 75, 97, 146.

Ordini concessis semper fuerit et sit eiusdem Ordinis caput et origo, ac quondam Stephanus dicti monasterii Cistercii tertius abbas divina inspiratione quamplures viros etiam ex nobili et clara prosapia trahentes originem in dicto monasterio Cistercii in novitios, ac deinde in monachos illius receperit ac ab eis regularem professionem per monachos dicti Ordinis emitti solitam admiserint, qui postmodum adeo virtutum meritis, doctrina, religionis observantia et vitae sanctimonia sicut astrum cœlo floruerint, ut aliquis eorum, inter quos fuit sanctus Bernardus, quem praefatus Stephanus abbas monasterio Claraevallis dicti Ordinis, Lingonensis dioecesis, ab eodem Stephano abbate fundato, iuxta dicti Ordinis instituta regularia, praefecit in abbatem, sanctorum numero meruerint aggregari ; quia tamen tempore praecedente multa monasteria ob reverentiam et devotionem ipsius sancti Bernardi dicto Ordine fundata et instituta fuerunt ab ipso monasterio Claraevallis, iuxta gratiam et facultatem a patre Stephano concessam, dependentia, et sub ipsius monasterii Claraevallis filiatione consistentia, ex quo ab aliquibus vulgaribus post dicti sancti Bernardi obitum in nonnullis partibus ipse Cisterciensis Ordo sancti Bernardi Ordo, contra tamen sacrorum canonum et ipsius Ordinis instituta ac romanorum Pontificum, praedecessorum nostrorum privilegia, nuncupatum fuit, dictumque monasterium Claraevallis in redditibus satis abundat, diversi abbates dicti monasterii Claraevallis non advertentes quod ipse sanctus Bernardus, dum dicto monasterio Claraevallis praefuit, abbatibus dicti monasterii Cistercii tunc vicissim existentibus, debitam obedientiam semper praestitit, erecta cervice, nulla ratione suadente, de pari et quandoque de maiori adversus dictum monasterium Cistercii eiusque abbatem contenderunt, multasque divisiones, querelas, controversias, seditiones et dissensiones in dicto Ordine suscitarunt, totumque Ordinem non mediocriter perturbarunt, quasi ponentes in dicto Ordine duo capita et duos illi praesidentes, quae quidem dissensiones maxima damna, graves et intolerabiles expensas dicto Ordini, proh dolor ! saepius attulerunt, et quamvis per diversos romanos Pontifices praedecessores nostros desuper pluries debite provisum et declaratum fuerit dictum monasterium Cistercii esse ipsum Ordinis caput et fundamentum, prout revera existit et semper fuit, tamen saepissime dissensiones huiusmodi viguerunt, prout etiam tempore moderni abbatis dicti monasterii Clarae-

vallis, non sine maximo ipsius Ordinis praeiudicio et detrimento, factum fuit.

Verum si dicta duo monasteria Cistercii et Claraevallis, qua certis considerationibus principaliora dicti Ordinis creduntur monasteria, licet ipsius Claraevallis monasterium filia sit subiecta monasterio Cistercii insimul perpetuo unirentur, annecterentur et incorporarentur, ita ut postquam unio, annexio et incorporatio praedictae effectum sortitae forent, unicus abbas dumtaxat monasteriis praedictis praeesset, qui abbas monasterii Cistercii Claraevallis nuncuparetur, ac monachi unius etiam alterius monasterii essent, cum ipsa duo monasteria sic simul unita unum monasterium efficiant et sint, profecto is qui pro tempore praeficeretur eisdem abbas onera dictorum monasteriorum melius et facilius perferre ac plures monachos dicti Ordinis in dictis monasteriis tenere, illosque in regularibus institutis Ordinis eiusdem instruere, et deinde ad alia dicti Ordinis monasteria pro illorum reformatione et conservatione, et divini cultus inibi augmento destinare valeret, obviareturque seditionibus, et dissensionibus huiusmodi, succederetque omnis pax et vera unio ac uniformitas in toto Ordine praedicto. Nos igitur, qui ad Ordinem ipsum singularem semper gessimus et gerimus devotionis affectum, illiusque conservationem, quietem et augmentum, nostris potissimum temporibus supremis desiderans affectibus, quique dudum inter alia volumus, quod semper in unionibus commissio fieret ad partes vocatis quorum interest ad felicem et prosperum statum monasteriorum et Ordinis praedictorum salubriter intendentes, illorumque ac eis annexorum omnium fructuum, reddituum, proventuum veros annuos valores praesentibus pro expressis habentes, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, matura desuper deliberatione praehabita, Cistercii et Claraevallis monasteria praedicta, cum omnibus annexis ac iuribus et pertinentiis sint insimul perpetuo absque tamen modernorum illorum abbatum quoad vixerint praeiudicio, auctoritate apostolica tenore praesentium unimus, annectimus et incorporamus, ac cedente vel decendente altero ipsorum duorum abbatum seu monasterii cui praeest regimen et administrationem alio quomodolibet dimittente et illo quovismodo vacante, superstitem et illum qui non dimiserit ex eisdem illi ex monasteriis huiusmodi,

cui tunc cedens vel decedens seu dimittens praeerat, in abbatem ex nunc prout ex tunc, et ex tunc prout ex nunc, motu, auctoritate, scientia et potestatis plenitudine similibus praeficimus et praefectum esse decernimus, curam, regimen et administrationem monasterii huiusmodi sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, ita quod liceat ex tunc eidem superstiti per se vel alium seu alios possessionem vel quasi regiminis et administratione monasterii, cui cedens, decedens, vel dimittens praeerat et annexorum huiusmodi propria auctoritate libere apprehendere ac perpetuo retinere, illorumque fructum redditus et proventus in dictorum monasteriorum et annexorum usus utilitatemque convertere, cuiusvis licentia super hoc minime requisita, statuentes pariter et ordinantes quod ex tunc deinceps perpetuis futuris temporibus dicta duo monasteria nuncupentur monasterium Cistercium Claraevallis et unum corpus constituant, ac monachi, conversi, donati et alii familiares unius, etiam monachi, conversi, donati et familiares existent, ac per priores, subpriores, cellerarios, bursarios et alios officiarios secundum regularia dicti Ordinis instituta, iuxta dispositionem et ordinationem huiusmodi abbatis monasterii Cistercii Claraevallis pro tempore existentis gubernentur, ac cedente vel decedente praefato superstite seu monasteria huiusmodi, alio quomodolibet dimittente, etiam unus dumtaxat utrique abbas praeficiatur et ambo monasteria praedicta unum, ut praemissum est, facta ex tunc et deinceps perpetuo per unum eumdem abbatem regantur et gubernentur, et occurrente dictorum monasteriorum vacatione electio abbatis futuri, prout hactenus fieri consuevit de abbate dicti monastarii Cistercii, fiat in ipso monasterio Cistercii, ad quam faciendam monachi Claraevallis de choro prioris existentes ad nteressendum dictae electioni cum monachis ipsius monasterii Cistercii ad dictum monasterium Cistercii vocentur seu mittantur, et deinde, facta electione huiusmodi, dictae electioni praesidentes aut aliam partem conventus monasterii Claraevallis ad Cistercium convocent, aut se ad Claraevallem transferant ad recipiendum vota ipsius alterius medietatis dilectorum filiorum conventus dicti monasterii Claraevallis, et omnibus votis huiusmodi receptis, electionis huiusmodi negotium concluandatur, prout fieri consuevit in electione abbatis dicti monasterii Cistercii pro tempore electi ; et ne occasione dictae unionis praesertim circa primas quatuor filias dicti Ordinis, qui in Capitulo generali Ordinis

eiusdem et in electione abbatis monasterii Cistercii pro tempore existentis habent intervenire, aliqua inordinatio subsequatur, motu et scientia ac potestatis plenitudine similibus volumus et ordinamus, quod loco dicti monasterii Claraevallis, de Morimundo tertia et de Prulliaco dicti Ordinis monasteria, Lingonensis et Senonensis dioecesium, quarta filia existent et esse censeantur, citra tamen quarumlibet aliarum rerum mutationem, districtiusque abbati monasterii Cistercii Claraevallis pro tempore existenti, ac omnibus et singulis monachis et personis eorumdem monasteriorum, ne clenodia et alia bona mobilia pretiosa unire ex monasteriis pertinentia ad aliud ex eisdem monasteriis transferre, ac sub excommunicationis necnon inhabilitatis ad dignitates, administrationes et officia quaecumque, latae sententiae poenis, quas eo ipso singuli eorum contrafacientes incurrant conventibus monasteriorum Cistercii et Claraevallis huiusmodi ne, occurrente hac prima vacatione, alteras ex ipsis duobus monasteriis ad aliquam electionem seu postulationem procedere et alias se contra praemissa directe vel indirecte intromittere aut attentare praesumat, quod si secus fecerint, electionem et postulationem ac omnia per eos attentata irrita et inania nulliusque roboris vel momenti fuise et esse, motu, scientia, auctoritate et potestatis plenitudine similibus ex nunc prout ex tunc et e converso declaramus. Quocirca venerabili fratri nostro episcopo Cabilonensi et dilectis filiis abbati monasterii Sancti Stephani Divionensis, ac decano ecclesiae collegiatae Beatae Mariae Belnensis, Lingonensis et Eduensis dioecesium, motu et scientia similibus mandamus, quatinus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, abbati superstiti praefato in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, ac praemissa omnia et singula ubi et quando expedierit, fuerintque desuper requisiti, solemniter publicantes faciant auctoritate nostra eumdem abbatem superstitem facultate apprehendendi possessionem huiusmodi pacifice gaudere, sibique a dilectis filiis conventus monasterii tunc vacantis ac annexorum illius et membrorum ab eo dependentium, obedientiam et reverentiam congruentes, necnon a vasallis et aliis subditis illorum consueta servitia et iura sibi ab eis debita, prout Nos etiam eis sub poenis supradictis quas eo ipso, si contrafecerint, incurrant, per praesentes in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandamus integre exhiberi, non permittentes eum per ipsos conventus vasallos et subditos

ac alios quoscumque etiam cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis et conditionis fuerint, desuper indebite molestari, contradictores, molestatores quoslibet et rebelles per censuras ecclesiasticas et alia iuris opportuna remedia, appellatione postposita, compescendo cum illorum aggravatione et reaggravatione, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, non obstantibus nostra praedicta ac aliis institutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam quibus caveretur quos de monasteriis valorem annuum ducentorum ducatorum auri communi aestimatione excedentibus consistorialiter provideri deberet, et alias et illis etiam per Sedem praedictam factae provisiones seu quaevis aliae dispositiones nullius essent roboris vel momenti, necnon felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, de uno et duobus dictis in concilio generali editis statutis quoque et consuetudinibus monasteriorum et Ordinis praedictorum iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque et indultis apostolicis dicto Ordini concessis, quibus omnibus etiam si de illis eorumque totis tenoribus pro illorum sufficienti derogatione specialis, specifica et expressa individua ac de verbo ad verbum, non autem per generales clausulas id importantes, mentio habenda forte tenores huiusmodi praesentibus pro sufficiente expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat, motu et scientia ac plenitudine potestatis similibus specialiter et expresse derogamus ac derogatum esse volumus, contrariis quibuscumque, aut si conventibus, vasallis et subditis praefatis vel quibusvis aliis, communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi et excommunicari non possint per litteras apostolicas facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus quorumcumque tenorum existant, per quae praesentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Volumus autem quod propter unionem, annexionem et incorporationem praedictam in dictis monasteriis divinus cultus ac solitus monachorum et ministrorum numerus nullatenus minuatur, sed eorum ac conventuum eorumdem congrue supportentur onera

consueta, quodque unio, annexio et incorporatio praedictae ex nunc omnimodum effectum sortiantur et sortitae censeantur quoad hoc, ut in quibusvis revocationibus unionum, annexionum et incorporationum effectum non sortitarum quae in futurum per Nos vel Sedem praedictam fierent, et iam cum quibuscumque derogatoriarum derogatoriis clausulis, utpote effectum iam sortitae non includantur, sed illis non obstantibus in suis robore et efficacia permaneant, sicque nostrae intentionis incommutabiles esse ac per quoscumque iudices et commissarios, etiam causarum palatii apostolici auditores, in quacumque instantia sublata eis et cuilibet eorum quavis alia interpretandi facultate sententiari, diffiniri et iudicari debere. Et insuper ex nunc irritum decernimus et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Ceterum quia difficile foret praesentes litteras ad singula quaeque loca, in quibus expediens fuerit, deferre, volumus ac motu et scientia similibus decernimus, quod illarum transumptis manu publici notarii inde rogati, subscriptis et sigillo abbatis dicti monasterii Cistercii vel alicuius praelati aut personae in dignitate ecclesiastica constitutae seu curiae ecclesiasticae munitis, ea prorsus in iudicio et extra ac alias ubilibet fides adhibeatur quae praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae unionis, annexionis, incorporationis, praefectionis, constitutionis, statuti, ordinationis, inhibitionis, declarationis, mandati, derogationis, voluntatis et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quadringentesimo octuagesimo nono, quinto idus aprilis, pontificatus nostri anno quinto.

Ita signatum Hie. Balbanus.

* * *

Haec praesens supradicta copia extracta fuit a suo vero originali integro et sine littura in pergameno existenti authentice expedito, collationata fuit de verbo ad verbum per me Thomam Lambertum, presbiterum Lingonensis dioecesis, publicum auctoritate apostolica notarium, Divione commorantem et imma-

triculatum. Acta fuerunt haec Divione in aedibus Cisterciensibus die tertia decima mensis septembris anno Domini millesimo sexcentesimo secundo, hora octava ante meridiem, praesentibus ibidem dominis Benigno de Vault et Nicolao Grapin, clericis Divione commorantibus, testibus ad hoc vocatis et subsignatis.

B. de Vault, *avec paraphe*. N. Grapin, *avec paraphe*. Lambert, *avec paraphe*, notarius apostolicus.

* * *

Ita signati sunt in copia authentica in archiviis Cistercii reservata. Originale autem a longo iam tempore perditum est, aut nequiter distratum latet. Hanc copiam scripsit F[rater] B[enedictus] S[chindler] P[rior] S[ancti] U[rbani] et reverendissimi domini nostri abbatis generalis capellanus et secretarius, 1736, 15 aprilis.

* * *

Die quinto augusti huiusce anni, directa fuit ad capitulum cisterciense epistola Innocenti VIII ACCEPIMUS LITTERAS VESTRAS, *cuius textus habetur apud Henriquez,* REGULA, CONSTITUTIONES ET PRIVILEGIA ORD. CISTERC., *Antverpiae,* 1630, *p.* 199, *et apud* PRIVILEGIA ORD. CISTERC. *Divione,* 1491, *opera et impensa Ioannis de Cireyo, Cistercii abbatis, qui etiam summarium dictae epistolae sic refert.*

Breve sub annulo piscatoris per quod ad instantiam abbatis Cistercii, quem ordinis generale nominat, pro securitate conscientiarum, declarat sententias et poenas positas in bulla praecedenti super reformatione ordinis, non ligare nisi negligentes et rebelles et reformationem impedientes aut retardantes. Et nihilominus praecipit capitulo generali, quod singulis annis deputet visitatores et reformatores monasteriorum viros doctos in statutis, et ceremoniis ordinis instructos, qui per se officium exercere sciant ut omnia uniformiter observentur sicut in Cistercio, et de omnibus informent sequens capitulum generale, sic prudenter providendo quod neque ipsi visitatores neque visitati propterea graventur. Quomodo capitulum generale per vicinos et remotos abbates frequentari debeat. Quod abbates non ducant comitivam per quam ordo in expensis gravetur, sed solum secundum formam ordinis, ubi *Benedictina* esset videnda. Quod ordinis debita

solvantur. Quod credant dicendis per abbatem Cistercii ex parte sua multa beneficia promittentem. Quod collegia studentibus multiplicentur et scholares idonei usque ad gradum interteneantur, valde benigne hortando ut haec omnia observentur. Et si praedicta non adimpleant, quod abbas Cistercii etiam apostolica auctoritate haec omnia ordinare praecipere et mandare poterit et debeat. Vide textum multum pregnantem, quod sufficienter in summario explicari non posset, et tamen plurimum ordini servit.

* * *

STATUTA EIUSDEM ANNI

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo octogesimo nono, in generali Capitulo apud Cistercium, statuta et diffinita sunt quae sequuntur.

ORATIONES

1. Pro sanctissimo... *etc. ut in anno* 1484.
2. Praeterea pro serenissimo... *etc. ut in anno* 1449.
3. Insuper pro burgensibus... *etc. ut in anno* 1449.
4. Ceterum pro pace... *etc. ut in anno* 1449.
5. Demum pro felicis... *etc. ut in anno* 1470.

[DIFFINITIONES] GENERALES

6. Cum Ordo noster... de antiquo debito, ac etiam in summa 6027 francorum, 7 grossorum, 3 alborum de resta ultimorum computorum de et pro tempore praeterito... *etc.* contributionem novem millium florenorum... *etc. ut in anno* 1449.

7. Generale Capitulum certa et explorata cognitione intelligens honestam religiosam et secundum sacri Ordinis nostri instituta, regularis observantiae monasticam vitam religiosorum ac dilectorum in Christo fratrum ac filiorum priorum et conventuum partium Hollandiae, Flandriae et circumadiacentium provinciarum, monasterio Campensi mediate vel immediate pro maiori parte subiectorum, omnipotenti Deo, a quo omne bonum

[a] *Titulus apud* L^5 *tant.*

in cordibus suorum fidelium emanat, devotas Altissimo gratiarum actiones et agit et habet, dictorumque priorum fervorem et zelum ad sacri Ordinis nostri regularem observantiam, obedientiam et uniformitatem laudavit et comprobavit, adhortans eos quatinus in vitae puritate et sancta reformatione semper patrum nostrorum vestigia insequentes persistant. Verum cum dicti priores asserant se multas ob causas in provinciis suis regularem observantiam, in qua nunc stare videntur, integre diu conservare non posse, nisi quaedam instituta ab eis excogitata et hactenus observata a nobis confirmarentur et rata haberentur; quae quidem instituta de verbo ad verbum hic sunt inserta. *Primo,* ut habeant abbatem Campensem pro patre abbate suo mediato sive immediato, ac pro visitatore, attamen abbatis Cistercii et Capituli generalis nutu amovibilem, sicut hactenus habuerunt iuxta singulorum prioratuum incorporationem, et quod ipsi priores et conventus eorumdem possint et valeant inter se habere religiosam confraternitatem et societatem, sicut hactenus habuerunt, salvis omnibus Ordinis institutis.

Secundo, ut omnes priores in parte vel in toto possint semel omni anno religiosam inter se habere congregationem, convenireque in loco Ordinis ab eis deputando, ad tractandum de mutua visitatione, reformatione et aliis rebus ad sacram religionis observantiam et conservationem dictorum prioratuum pertinentibus, et quotiens viderint expedire eorum religiosae conversationi aliqua fore necessaria, ea aut domino Cistercii aut generali Capitulo denuntient, ut per eos ordinentur et instituantur.

Tertio, ut dicti prioratus perpetuo sic ut sunt prioratus permaneant, atque ut de consensu et commissione abbatis Campensis valeant tres principaliores priores, scilicet de Yselstein, Ziebekelo et de Warmonda iuxta modum et formam Ordinis et consuetudinem ab eis hactenus observatam se mutuo visitare, et singuli singulas suas filias per filiationem seu commissionem ipsis subiectas sive commissas ita dumtaxat, ut nihil in ipsis visitationibus constituant aut imponant, quod sit contra Ordinis institutiones et ordinationes.

Quarto, ut prior sic visitans habeat plenariam auctoritatem visitandi, corrigendi, instituendi et destituendi, tam in capite quam in membris, quae ordinanda et destituenda secundum Ordinis formam invenerit, et quotiens opus et expediens fuerit, electiones priorum iuxta morem Ordinis celebrandi, quas abbas

Campensis paterna et Capituli generalis auctoritate poterit confirmare, secundum formam Ordinis et consuetudinem hactenus observatam.

Quinto, ut ipsi priores habeant auctoritatem suos subditos absolvendi ab omnibus casibus et criminibus, a quibus possunt abbates Ordinis nostri suos subditos absolvere, quodque possint et valeant exercere omnes actus Ordinis qui de iure spectant ad abbatem, dempto baculo pastorali, tonsura clericali et aliis similibus eminentiam dignitatis abbatialis necessario concernentibus.

Sexto, ut quaedam monasteria dictorum prioratuum propter vicinitatem et magnarum civitatum circumcircaiacentium inclusa sic ut cogantur inclusa permanere, propter iuramentum voluntarium desuper emissum et professionem factam.

Septimo, ut fratres laici caputiati prioratuum praefatorum recipiantur ad gratiam et privilegia Ordinis, ita quod facientes professionem conversorum dicantur donati, ceteri vero in simplici habitu honesto obedientiam, castitatem et paupertatem religiose absque professione desuper emissa servantes, dicantur et sint familiares, gaudeantque privilegiis et libertatibus Ordinis ; verumtamen laudabile erit pro reverentia Ordinis, etiam statum conversorum, quantum commode fieri poterit, intervenire sicut fieri solet et debet, iuxta Ordinis instituta.

— Praefatos omnes et singulos articulos praesens generale Capitulum maturius examinans et pensans, quamquam praeter communem Ordinis formam quaedam in se continere videantur, tamen quia ob necessitatem ratione patriae aliter faciendo, regularem observantiam non possent ut ceperunt conservare, eos omnes articulos recipit, acceptat, probat, et usque ad ipsius Capituli generalis revocationem semper observandos ab omnibus et singulis dictorum prioratuum regularibus personis confirmat ; nihilominus tamen dictorum monasteriorum prioribus pro tempore existentibus in virtute salutaris obedientiae, et sub excommunicationis latae sententiae poena districtius inhibendo, ipsum Capitulum mandat et praecipit, ne deinceps quidquam novitatis, quod in *Usibus* Ordinis aut *Diffinitionibus* non contineatur audeant aut praesumant quomodolibet instituere, aut institutum servare vel tenere, nisi de speciali et expressa domini abbatis Cisterciensis aut Capituli generalis licentia et auctoritate.

8. Ut autem dicti prioratus et personae ibidem Deo servientes sub sacri Ordinis nostri obedientia perpetuo firmiter maneant, dictum generale Capitulum praefatis omnibus et singulis prioribus nunc vel pro tempore existentibus ordinat, praecipit, et sub dictis obedientia et censuris mandat, quatinus ea quae inter se tractabunt aut servanda instituent, fideliter in scriptis redacta et per unum aut duos ipsorum priorum, vel aliorum suorum fratrum ab ipsis eligendorum, semel de biennio in biennium domino abbati Cistercii vel Capitulo generali confirmanda et ratificanda, aut certe refutanda et improbanda praesentent et exhibeant, stabuntque per omnia iudicio, monitionibus, inhibitionibus vel iussionibus ipsius domini Cistercii vel Capituli generalis. Insuper taxam contributionum cuilibet dictorum prioratuum per generale Capitulum impositam vel imponendam infallibiliter sub poenis et censuris in statutis, diffinitionibus et privilegiis Ordinis contentis et expressis contra non solventes et non venientes ad idem Capitulum generale inflictis et promulgatis, per se vel per manus abbatis Campensis annis singulis generali Capitulo aut domino Cistercii transmittent et persolvent, venientque et conversabuntur in omnibus secundum formam Ordinis nostri ; et pro ampliori rerum elucidatione hic inseritur dictarum contributionum taxa per generale Capitulum consilio abbatis Campensis facta.

9. Cum instantia et supplicatione generalis Capituli novissime anno praeterito celebrati reverendissimus dominus noster Cisterciensis pro bono, utilitate et reformatione monasteriorum utriusque sexus et locorum regularium in partibus transalpinis sitorum, necnon pro rebus Ordinis maxime pro gratiis et privilegiis impetrandis ad Sanctissimum dominum nostrum, dominum Innocentium, Pontificem maximum, viam labore maximo peregerit, et cuncta sibi a dicto generali Capitulo et ab Ordine multis rogationibus et precibus iniuncta, tam in dicta reformatione quam in impetratione multarum et quasi inestimabilium gratiarum, privilegiorum et indultorum a Sanctissimo domino nostro per eumdem favorabiliter obtentorum fructuosissime et ad honorem profectumque Ordinis peregerit, pro quorum impetratione, redemptione et expensis Ordo ad banchum in sex millium ducatorum, vel eo circa, obligatus existat, et pro qua summa ipse R. D. N. Cisterciensis cum ipso Ordine obligatus permaneat et manet, idem Capitulum generale praemissis providere et pro eis

multas gratias possibiles apud eumdem R. D. nostrum habendo, et conformiter ad diffinitionem anno praecedenti editam, quam idem praesens generale Capitulum approbando confirmat, dat eidem R. D. nostro Cisterciensi auctoritatem, potestatem et facultatem in forma camerae seu alio meliori et tutiori modo, via et forma, quibus poterit, obligandi Ordinem ad dictum banchum seu ad banchos, seu mutuum contrahendi, ut citius Ordo a praedictis debitis liberetur, in plenaria Ordinis potestate.

10. Nos, frater Ioannes, etc. Quia iuxta beati Benedicti regulam summa cura de infirmis fratribus ante omnia et super omnia haberi debet, et dudum R. D. Cistercii, sicut et antea dominus Claraevallis, s. th. pr. monasterium B. M. de Grandisylva domino episcopo Montisalbani commendato visitando rationabiliter ordinaverint, et in suis visitationum cartis posuerunt, ut certae terrae incultae, excultae et terrae, prata in circuitu monasterii existentia, et cum in nostro Capitulo hactenus extiterit ordinatum, ut omnia et singula bona mobilia et utensilia per decessum quorumcumque religiosorum nostri Ordinis ex aliqua sibi commissa administratione aut alias reperta ad unum infirmitorii, pro ipsis infirmis, et non alibi, neque alio modo applicarentur, quod tamen tam salubre et pium statutum nonnulli eiusdem domini commendatarii impedire nituntur, volentes contra sacras Ordinis constitutiones talia bona tamquam spolia ad usum et utilitatem suam praefati domini commendatarii convertere et exponere, praesens generale Capitulum praedictam ordinationem praefatorum Cistercii et Claraevallis dominorum abbatum pro ipso de Grandisylva monasterio, quam etiam generaliter pro omnibus aliis monasteriis totius nostri Ordinis, quibuscumque praelatis aut aliis personis cuiuscumque status, gradus seu praeeminentiae existant, commendatis, approbat, ratificat et confirmat, in virtute salutaris obedientiae et sub censuris Ordinis praecipiendo, ut omnia huiusmodi bona et utensilia ad praefatum infirmitorii usum et infirmorum necessitatem quandocumque casus contigerit, et non ad aliud applicentur et attribuantur. Executionem huius diffinitionis, quoad ipsum de Grandisylva monasterium, ac etiam alia sibi commissa abbati de Candelio in plenaria Ordinis potestate committendo.

11. Cum secunda dies Capituli generalis hoc anno cecidit in diem dominicam, in qua non licet agere causas litigiosas, idcirco praesens generale Capitulum omnes et singulas assignationes

factas ad praedictam diem secundam Capituli ad agendum causas huiusmodi remittit ad proximam diem feriatam apud Divionem decidendas.

12. Quia multae et variae in hoc generali Capitulo causae tam generales quam particulares monasteriorum et personarum Ordinis motae fuerunt ac ventilatae, quae propter brevitatem temporis hucusque terminari non potuerunt, praesens generale Capitulum eadem causas omnes et singulas, tam motas quam adhuc movendas, R. D. N. Cistercii ac reverendis patribus et dominis quatuor primis ceterisque Diffinitoribus per eosdem assumendis in Divione decidendas et terminandas remittit, in plenaria Ordinis potestate, pariformi ac si in Cistercio durante Capitulo ipso decisae fuissent et terminatae.

13. Quia reverendissimus pater noster dominus Ioannes, abbas Cistercii, s. th. pr., tamquam totius Ordinis nostri verus zelator et amator, ad instantiam et humilem requisitionem Capituli generalis, ut patet per diffinitionem anno superiore editam, non obstantibus senili aetate et aliis variis impedimentis, labores sumpsit visitandi et reformandi, quantum sibi possibile fuit, monasteria Ordinis utriusque sexus transalpina, ubi non modicum fructificavit, impetravitque et obtinuit amplissimam a Sanctissimo domino nostro, domino Innocentio Papa VIII privilegia, quasi totius religionis nostrae pereuntis reparativa et restaurativa, illaque ad longum in hoc praesenti diffinitorio, praesentibus et audientibus universis Diffinitoribus et officiariis abbatibus publice legi fecit, praesens generale Capitulum pro tantis laboribus debitas agens gratias eidem reverendissimo patri, privilegia ipsa omnia et singula in omnibus suis punctis et clausulis acceptat, laudat et recipit, ac etiam omnia per ipsum in dicta legatione facta, grata habet, volens, cupiens et orans ea deinceps integra et inconcussa permanere et a personis Ordinis recipi absque quacumque contradictione ; iubet etiam dictum generale Capitulum expensas universas pro dictorum privilegiorum impetratione, et in hac fructuosa legatione factas ex denariis communibus Ordinis persolvi, tam in bancho quam alibi.

14. Maximae benevolentiae, immensisque beneficiis a Sanctissimo in Christo patre et domino nostro, domino Innocentio Papa moderno, nostri Cisterciensis Ordinis zelatore, reformatore, restauratore et defensore clementissimo, eidem Ordini nostro

Cisterciensi multipliciter exhibitis in variis gratiis, libertatibus et privilegiis ipsi Ordini fructuosissimis gratiose et liberaliter concessis, pro suo modulo debitam gratitudinem rependere cupiens, simulque mentis oculos dirigens ad arduissima negotia, oneraque gravissima ex parte sanctae matris Ecclesiae catholicae, his temporibus per hostiles incursus heu ! plurimum turbatae, suae Sanctitatis humeris ad praesens prementia, quibus tamquam super unici patris benignissimique sui benefactoris afflictione compatiens, quia temporali auxilio succurrere non valet, saltem spirituali et quo sibi fuerit possibile obsequio subvenire satagens, ultra psalmum *Laetatus sum*, quem cum certis collectis infra actionem in omnibus missis conventualibus, pro submovendis adversitatibus sanctae matris Ecclesiae dici iam dudum constituit, praesens generale Capitulum universis et singulis abbatibus, prioribus, subprioribusque, cantoribus, confessoribus monialium, ceterisque sacerdotibus ac personis regularibus Ordinis utriusque sexus quibuscumque ubilibet constitutis, in virtute salutaris obedientiae et sub censuris Ordinis districte mandat et praecipit, quatinus in omnibus et singulis monasteriis et locis conventualibus Ordinis, deinceps in missa conventuali quotidie post collectam *Ecclesiae* quae pro felici statu Ecclesiae catholicae ab antiquo semper in Ordine dici consuevit, dicatur collecta *Deus fidelium omnium pastor*, pro salute et prosperitate conservationeque eiusdem Sanctissimi domini nostri solemniter ; et nihilominus in missis privatis ab omnibus et singulis sacerdotibus, dum sacra missarum celebraverint officia, specialis fiat memoria seu oratio pro eodem ; non sacerdotes autem et moniales quolibet anno semel ad minus totum psalterium davidicum persolvant suisque devotis orationibus privatis iugiter intercedant pro saepefato Sanctissimo domino nostro, quamdiu vitam duxerit in humanis, quam pro Ecclesiae suae sanctae catholicae felici regimine Altissimus longaeve conservare dignetur.

15. Semper obedire volens et humiliter parere praesens generale Capitulum paternis monitis ac mandatis Sanctissimi domini nostri Papae super reformatione Ordinis, ut tenetur, omnes et singulos commissarios per diversas mundi provincias pro visitatione et reformatione monasteriorum Ordinis utriusque sexus in generali Capitulo anno Domini M. CCCC. LXXXVII apud Cistercium celebrato deputatos, adhuc pro isto anno continuat,

omnes litteras commissionum eis datae secundum omnia sua puncta confirmat, et adhuc per annum istum usque ad proximum generale Capitulum in suo robore manere declarat, istis dumtaxat exceptis, qui in certis regnis et provinciis instituti fuerunt, ubi iam per generale Capitulum de aliis commissariis de novo est provisum, in virtute salutaris obedientiae et sub censuris Ordinis omnibus et singulis commissariis praedictis, quatinus commissiones sibi factas debite exsequantur, aliis vero abbatibus, abbatissis, prioribus, priorissis, ceterisque personis regularibus illarum partium ut dictis commissariis devote obediant districte praecipiendo.

16. Quia Ordinis statutis et diffinitionibus inhibetur omnibus et singulis abbatibus, abbatissis, aliisque monasteriorum Ordinis regimini praesidentibus utriusque sexus, ne personas aliquas, quae de legitimo matrimonio non fuerint procreatae in suis monasteriis ad professionem regularem recipiant seu admittant; et insuper ne reliquias aliquas sanctorum sine licentia Sanctae Sedis apostolicae, aut Capituli generalis, a suis monasteriis et locis alienent, praesens generale Capitulum conformiter ad antiquas diffinitiones et statuta Ordinis inhibet abbati de Vetericampo, suoque conventui sub censuris Ordinis et aliis poenis in huiusmodi statutis contentis, ne deinceps aliquam personam extra legitimum matrimonium natam in suo monasterio ad regularem professionem recipiant, neque alicui reliquias sanctorum de suo monasterio tradant, sine Sanctae Sedis apostolicae aut Capituli generalis speciali licentia.

17. Quia propter dissolutam vitam quorumdam monachorum girovagorum honor Ordinis in regno Bohemiae plurimum denigratur, in virtute salutaris obedientiae et sub censuris Ordinis, mandat et praecipit praesens generale Capitulum omnibus et singulis abbatibus, et praesertim commissariis Ordinis in illis partibus, quatinus omnes tales ubicumque reperti fuerint de partibus illis expellant, et ad sua monasteria redire faciant. Similiter ut ipsi abbates suos monachos vagabundos ad ipsa revocent, neque permittant aliquos de suis monachis stare extra monasteria, sive curam regere animarum, aut alia officia eis non licita exercere, nisi forte monasteria habeant ecclesias aliquas parochiales, seu etiam capellas et grangias sibi incorporatas, quas per suos monachos regere possint; tunc enim monachos ibidem de licentia suorum abbatum manentes, Ordinis commissarii stare

permittant, quamdiu vitam duxerint religiosam et honestam.

18. Grave ferens generale Capitulum diversos abusus enormitatesque, et a communibus Ordinis statutis et diffinitionibus deviantes, quae in nonnullis monasteriis germanicae nationis et prasertim regni Poloniae introducti seu introductae dicuntur, in eo potissime in monasteriis Dobra, Vangrowitz et Lynda sub visitatione abbatis de Paradiso in regno Poloniae, quoddam statutum seu consuetudo quaedam habetur, ut nulli nisi de civitate Coloniensi nati ibidem recipiantur ad professionem Ordinis, unde nonnunquam contingit ut, quia alii de dicta civitate oriundi ibidem ad professionem regularem admitti petentes non inveniuntur, spurios, bastardos aut aliunde inhabiles et defectuosos, seu ad statum monasticum minus idoneos ibidem recipere oporteat, in grave tam ipsorum monasteriorum, quam etiam totius Ordinis scandalum, et honoris, famae ac spiritualis et temporalis status detrimentum. Quibus omnibus obviare cupiens idem Capitulum, statutum praedictum, si tamen sit aut habeatur, tamquam contra communia instituta Ordinis, imo et contra tam divinae quam humanae legis edictum et naturalem aequitatem militans, cum non sit acceptio personarum apud Deum, et de omni natione mundi quae sub coelo est populum acceptabilem Deo, ac divini cultus observatores, colligere possumus et debemus, praefatamque consuetudinem vel potius corruptelam reprobans, cassans, irritans, et de medio prorsus tollendo et deinceps obmittendo et recipiendo declarans abbatibus, prioribus, ceterisque personis regularibus dictorum monasteriorum, in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis poena districte prohibet, ne deinceps in statuto praedicto, seu dicta consuetudine de non recipiendis personis ad professionem Ordinis nisi de Colonia natis, si quovismodo occupent aut impediant, sed de quacumque natione oriundos, quos Spiritu Sancto ad statum monasticum suscipiendum ductos verisimiliter agnoverint, et quos aliunde ad Ordinis observantiam regularem et cultum divinum perficiendum dispositos invenerint, indifferenter recipiant, bastardos, spurios seu illegitime natos, vel aliunde defectuosos et minus idoneos undecumque fuerint penitus respuendo et refutando ; publicationem et executionem huius diffinitionis abbati de Paradiso committendo, cui in virtute salutaris obedientiae et sub censuris Ordinis praecipit idem Capitulum, ut tam in dictis monasteriis quam aliis quibuscumque suae

commissionis, tam dictum abusum quam omnes alios a communibus Ordinis statutis deviantes, tam in divino servitio, quam alias a quibuscumque introductos prorsus extirpet, omnes et singulas dictarum partium personas regulares ad se conformandum communibus Ordinis et sanctorum patrum decretis viriliter compellat, in plenaria Ordinis potestate.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

19. Electionem, promotionem, institutionem et installationem fratris Nicolai de Soppia ad dignitatem abbatialem monasterii de Igniaco rite et legitime secundum Ordinis formam per dominum abbatem Claraevallis, s. th. pr., eiusdem monasterii patrem abbatem, post cessionem et resignationem fratris Nicolai novissimi eiusdem monasterii Igniacensis abbatis, factas et celebratas... generale Capitulum approbat... *etc.*

20. Ad idem, pro fratre Bartholomeo Porro, professo monasterii Claraevallis, Mediolanensis dioecesis, ad dignitatem abbatialem monasterii Beatae Mariae de Ligno, Rosanensis dioecesis, per provisionem seu collationem eidem per abbatem Sancti Galgani, auctoritate Ordinis, rite... *etc.*

21. Electionem, promotionem, institutionem et installationem fratris Michaelis Sitz de Malcerdringen ad dignitatem abbatialem monasterii de Porta coeli, alias Tennenbach, Constantiensis dioecesis, post resignationem fratris Conradi eiusdem monasterii Portae cœli nuper abbatis, per abbatem de Salem, eiusdem monasterii patrem abbatem, rite... *etc.*

22. Item, electionem, promotionem, institutionem et installationem fratris Conradi ad dignitatem abbatialem monasterii de Villerio Metensi, rite et secundum Ordinis formam per abbatem Pontistheffridi et priorem Morimundi, auctoritate domini Morimundi eiusdem monasterii patris abbatis, factas... *etc.*

23. Promotionem et provisionem de persona fratris Ioannis Liborel, s. th. pr., et provisoris collegii Sancti Bernardi Parisiis, ad dignitatem abbatialem monasterii de Bithania, Bisuntinensis dioecesis, per cessionem et resignationem fratris Ioannis de Salinis, tunc eiusdem monasterii abbatis, pure et simpliciter factam, rite et secundum Ordinis formam, per reverendissimum dominum nostrum Cisterciensem, sua totius Ordinis et Capituli generalis auctoritate acceptatam, factas et celebratas, *etc.*

24. Electionem, promotionem, etc. de persona fratris Arnoldi Sebruerg ad dignitatem abbatialem monasterii de Iardineto R. D. N. Cisterciensi immediate subiecti per abbates de Sancto Remigio et de Molinis, auctoritate eiusdem R. D. N. Cisterciensis, rite factas, *etc.*

25. Ad idem, de persona fratris Nicolai Crafft ad dignitatem monasterii de Volkoldrode, Maguntinensis dioecesis, per abbatem de Riddageshusen, auctoritate abbatis Veteris campi, eiusdem monasterii patris abbatis, factas, *etc.*

26. Ad idem, de persona fratris Nicolai Angeli ad dignitatem abbatialem monasterii Ebracensis, Herbipolensis dioecesis, rite et legitime per abbates de Fontesalutis et de Lanckheim, auctoritate Ordinis factas, *etc.*

27. Electionem, promotionem, creationem, institutionem et installationem de persona sororis Catherinae de Turre ad dignitatem monasterii monialium de Elnonenca, Vabriensis dioecesis, per abbatem de Ardorello, auctoritate R. D. N. Cisterciensis et totius Ordinis, rite et legitime factas, *etc.*

28. Promotionem, provisionem et institutionem fratris Michaelis Buffereau, professi monasterii de Vallibus Sernay, ad dignitatem abbatialem monasterii de Oratorio, per dominum abbatem Firmitatis post admissionem et acceptationem cessionis, resignationis iuris, quod frater Ioannes Lechevrier abbas de Vallibus Sernay habebat et praetendebat in dicto monasterio, rite et secundum Ordinis formam, auctoritate R. D. N. Cisterciensis et totius Ordinis, factas, *etc.*

29. Ad idem, pro electione, promotione, institutione et installatione de persona fratris Ioannis, professi monasterii de Victoria, Salzburgensis dioecesis, ad dignitatem abbatialem eiusdem monasterii per abbatem de Novomonte, auctoritate Ordinis factis, *etc.*

30. De sufficientia, probitate et idoneitate abbatis de Laude confidens generale Capitulum dat eidem auctoritatem, facultatem et plenum posse approbandi, ratificandi et confirmandi electiones, promotiones, institutiones et installationes abbatissarum de Braella et de Vivario, Attrebatensis dioecesis, si eas approbandas, ratificandas et confirmandas, in plenaria Ordinis potestate, etc.

31. Cum monasterium de Regali Maioricarum per Sanctissimum dominum nostrum Papam iam dudum in commendam

fuerit concessum magistro Iacobo Roys, s. th. pr., monacho monasterii de Populeto expresse professo, ipse vero magister Iacobus commendam huiusmodi in manus praesentis generalis Capituli resignaverit, idem generale Capitulum tum auctoritate apostolica qua fungitur in hac parte, tum etiam totius Ordinis potestate, eumdem magistrum Iacobum in verum abbatem dicti monasterii de Regali tenore praesentium creat et instituit, mandans ac praecipiens omnibus et singulis eiusdem monasterii regularibus personis, quatinus ipsum tamquam verum et indubitatum eorum abbatem suscipiant eidemque professionem faciant.

32. Visis ac diligenter examinatis litteris patentibus abbatis Herivadi super institutione fratris Tiro, petiti in abbatem monasterii de Insula Dei, et abbatum de Esrom et Sora commissariorum Ordinis super confirmatione institutionis praefatae nostro diffinitorio in quodam instrumento transumpto, cui praesentes annectuntur, praesentatis, praesens generale Capitulum omnia et singula praemissa rite et canonice facta reputans,ea approbat, ratificat et confirmat, supplendo omnes et singulos defectus, si qui forsitan intervenerint in eisdem.

33. Nos, frater Ioannes, etc., ceterique Diffinitores, etc., cuius tenor sequitur et est talis : Promotionem et provisionem de persona fratris Nicolai Martini, monachi professi et procuratoris monasterii Cisterciensis, ad dignitatem abbatialem monasterii Sanctae Mariae de Florano, Auxitanensis dioecesis, per abbatem de Morimundo eiusdem monasterii patrem abbatem, rite, *etc.*

34. Inspecto et diligenter examinato decreto depositionis sororis Ioannae de Monte canuto dudum abbatissae monasterii de Spina, alias Brion, ac institutionis sororis Georgetae de Provana in novam abbatissam eiusdem monasterii, per R. D. N. Cisterciensem factarum et celebratarum tamquam rite et canonice, *etc.*

[ALIAE DIFFINITIONES]

35. Grave ferens generale Capitulum inobedientiam et rebellionem quorumdam fratrum de conventu monasterii Caraevallis, Mediolanensis dioecesis, qui cartam visitationis eis per R. D. N. Cisterciensem derelictam respuerunt, et secundum eam se regere

contempserunt, et quia nonnulli ex Diffinitoribus ad hoc per generale Capitulum deputati copiam eiusdem cartae eidem generali Capitulo praesentatae in omnibus suis punctis diligenter viderunt et examinaverunt, retuleruntque omnia et singula in eadem carta contenta fore et esse facta et ordinata iuxta communia statuta Ordinis et laudabiles consuetudines hactenus in Ordine ubilibet observatas, nihilque ibidem esse positum, quod aliquibus Ordinis personis in aliquo grave videri possit, seu de quo se excusandi causam aliquam habeant rationabilem ; idcirco idem generale Capitulum eamdem cartam in omnibus suis punctis et clausulis tenore praesentium, auctoritate totius Ordinis approbat, laudat, ratificat et confirmat, in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis et aliarum censurarum Ordinis poenis districte mandans et praecipiens omnibus et singulis dicti monasterii de Caravalle personis regularibus cuiuscumque status, conditionis, officii aut dignitatis fuerint, quatinus eamdem cartam et omnia in ea contenta, prout unumquemque concernit, firmiter et inviolabiliter observent, omni contradictione et appellatione remotis. Executionem huius diffinitionis omnibus et singulis commissariis ac etiam abbatibus dicti Ordinis super hoc requirendis committendo in plenaria Ordinis potestate.

36. Visis et diligenter examinatis omnibus et singulis contentis in carta visitationis novissime per R. D. N. Cisterciensem in sua visitatione per Italias in monasterio Caraevallis, Mediolanensis dioecesis, derelictis, et inveniens omnia et singula in dicta carta contenta et expressa esse sancta, bene ordinata, et statutis, diffinitionibus et ordinationibus conformia fore, idcirco Capitulum generale omnia et singula contenta et expressa in dicta carta visitationis approbat, ratificat et confirmat, mandando omnibus et singulis personis et subditis eiusdem monasterii regularibus, in virute sanctae obedientiae et sub poenis et censuris Ordinis, quatinus praemissam cartam visitationis de puncto in punctum per omnia diligenter et infallibiliter observent et compleant.

PROCURATIONES, ET REVOCATIO PROCURATORUM, ET PROCURATIONUM

37. Praesens generale Capitulum certis, iustis ac rationabilibus

de causis et rationibus motum, maxime propter multos et notorios abusus per quosdam procuratores a generali Capitulo dudum constitutos, in praeiudicium, gravamen et confusionem Ordinis perpetratos et commissos, omnes et singulas procurationes seu instrumenta procuratoria ac procuratores in eisdem conscriptos et nominatos hactenus per idem Capitulum generale aut per R. D. N. Cisterciensem auctoritate Ordinis creatos et institutos revocat, cassat et annullat, illis dumtaxat exceptis, qui iam in aliquibus causis Ordinis, coram quibuscumque iudicibus actu pendentibus et indecisis se occupaverunt, et tamquam Ordinis et Capituli generalis procuratores occupant usque ad finalem dictarum causarum decisionem.

38. Ad audientiam praesentis Capituli generalis multorum notabilium patrum Ordinis et aliorum fide dignorum relatibus deductum est, a viginti annis citra plures tractatus per abbatissam et conventum monasterii de Lilio prope Meledunum, R. D. N. Cisterciensi immediate subiecti, fuisse et esse contra formam Ordinis et privilegiorum tenores cum pluribus contractos, in maximum praeiudicium, gravamen et damnum eiusdem monasterii ; quibus incommodis, gravaminibus et damnis occurrere et de remedio providere cupiens praesens generale Capitulum, omnes et singulos tales contractus sive tractatus sic, ut praemissum est, per abbatissam et conventum dicti monasterii, sive per earum procuratorem vel procuratores, cum quibuscumque et quovismodo contractos, initos, factos et passatos, dummodo aliqua confirmatio auctoritate Ordinis desuper facta non existat, revocat, cassat et annullat, illosque revocatos, cassatos et annullatos declarat et denuntiat, in plenaria Ordinis potestate.

COMMISSIONES

39. Abbati de Alba dominorum praesens generale Capitulum committendo praecipit et mandat, quatinus ex parte ipsius Capituli generalis ad reverendum in Christo patrem dominum episcopum et apud dominos cives civitatis Argentinensis accedat, eisque causas et rationes propter quas prioratus Sancti Bernardi Argentinensis nostro Ordini, etiam ex eorum consensu et instantia per Summum Pontificem incorporatus et unitus remonstrent humiliter, eisdem supplicando ut litteras testimoniales authenticas ad Summum Pontificem, quomodo dictus prioratus, ut prae-

missum est, eorum voluntate et instantia incorporatus fuit et unitus, expedire et dare dignentur, ne infractibus processuum et litium tumultibus omnis religionis disciplina in eodem prioratu pereat, et ex consequenti in utroque statu desoletur. Datum, etc.

40. Nos, frater Ioannes, etc., ceterique Diffinitores, etc., ut supra. Quia propter impetrationem necessariam diversorum privilegiorum, libertatum, exemptionum toti Ordini plurimum utilium et fructuosorum, necnon confirmationem antiquorum privilegiorum a Sancta Sede apostolica per reverendissimum in Christo patrem dominum nostrum Cisterciensem iuxta Capituli generalis intentionem noviter obtentam, ac etiam propter alia gravissima et multiplicia agenda ac diversas necessitates pro statu communi Ordinis in diversis mundi partibus manutenendo et conservando hac tempestate ipsum Ordinem prementes, maximae pecuniarum summae praeter solitas et ordinarias expensas eidem Ordini ad praesens sunt necessariae, ultra illas quae iam annis proxime effluxis fuerunt levatae, de quibus qualiter ad utilitatem Ordinis expositae fuerunt ipsum generale Capitulum per rationabilem computum satis informatum extitit, ita quod in prosequendis Ordinis negotiis communibus in romana Curia et alibi huiusmodi pecuniae nedum totaliter fuerunt consumptae, sed et Ordo ipse adhuc apud banchärios in magnis debitis obligatus remansit, quae nisi citius solvantur maximum Ordo ipse propter hoc incurrere posset detrimentum honorisque et famae non modicam iacturam. Quibus omnibus per patres Ordinis mature consideratis et digestis, praesens generale Capitulum deliberatione magna praehabita, ut huiusmodi necessitatibus succurratur, communi omnium decreto subsidium charitativum gratiosum adhuc pro ista vice dumtaxat solvendum, ipsi toti Ordini omnibusque monasteriis et locis eius regularibus utriusque sexus imposuit, et tenore praesentium imponit per commissarios Ordinis a R. D. N. Cistercii et ceteris aliis patribus secum deputatis ordinandos iuxta taxam ab eodem R. D. Cistercii et iam dictis secum deputatis taxandam ac infra terminos ab eisdem limitandos ab omnibus et singulis Ordinis monasteriis et locis regularibus utriusque sexus levandum et recipiendum, affectuosius hortando ac monendo omnes et singulos praefati Ordinis monasteriorum abbates, abbatissas, priores, priorissas, ceterosque locorum Ordinis regimini praesidentes et conventus eorum,

quatinus ad tam pium et necessarium opus se benivolos reddant, nihilominus ipsis et eorum cuilibet necnon commendatariis, cellerariis, bursariis, receptoribus, procuratoribus seu yconomos dictorum monasteriorum aut locorum regularium cuiuscumque status, conditionis, dignitatisve fuerint, aut quocumque nomine censeantur, in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis poena, aliisque censuris Ordinis in *Benedictina, Piina, Sixtina,* aliisque statutis Ordinis papalibus centenţis, tam auctoritate totius dicti Ordinis, quam etiam apostolica, qua ipsum generale Capitulum fungitur in hac parte, districte praecipiendo quatinus commissariis per dictum R. D. Cistercii et sibi condeputatis ordinatis, aut eorum nuntiis certis in singulis provinciis, regnis et dominiis, taxam suis monasteriis et locis impositam infra terminum eis praefixum indilate persolvant, ostendantque quittantias, qualiter subsidium annis paulo antea elapsis impositum solverunt. Quod si adhuc minime solverunt, una cum subsidio supradicto etiam satisfaciant de eodem. Executionem praesentis diffinitionis... committendo abbati... *(locus vacuus)* sub eisdem censuris et poenis districte praecipiendo eidem, quatinus ad omnia et singula monasteria seu loca regularia Ordinis utriusque sexus hinc inferius nominatim espressa, ac alia quaecumque in dictis partibus sita, si quae forsitan hic fuerint obmissa per se aut certos suos nuntios hinc infra quatuor menses proximos... *(locus vacuus)* se transferant, ibidem dictum subsidium gratiosum iuxta taxam singulis monasteriis assignatam seu hic inferius expressam, petat, exigat, levet et recipiat, ac etiam quittantias, qualiter proxime impositum subsidium solverunt sibi monstrari faciat, et si quid de eodem subsidio proxime imposito solvi restet, illud etiam petat, exigat, levet et recipat, de solutis quittantias sufficientes sub eius sigillo seu contrasigillo solventibus dando; rebelles vero solvere seu quittantias, ut dictum est, monstrare recusantes aut differentes, per dictas censuras et poenas compellendo in plenaria ipsius Ordinis potestate. Quiquidem commissarius sub eisdem poenis et censuris infra... *(locus vacuus)* teneatur mittere ad R. D. N. Cistercii per suum certum et securum nuntium totam summam huiusmodi subsidii per eum receptam cum declarationibus per scriptum, quid et quantum, a quolibet monasterio vel loco Ordinis receperit, ut Capitulum generale de singulis plenam possit habere

notitiam, et fidelem a receptoribus audire rationem. Datum, etc.

41. Visitationem et reformationem omnium et singulorum monasteriorum et locorum regularium utriusque sexus, necnon Militiarum Calatraviae, Montesiae et Avis, in regnis et dominiis totius Hispaniae, Navarrae et Portugalliae situatorum cum clausulis per R. D. N. Cisterciensem addendis, praesens generale Capitulum domino abbati Claraevallis, s. th. pr., committit in plenaria Ordinis potestate.

42. Visitationem et reformationem omnium et singulorum monasteriorum et locorum regularium utriusque sexus in partibus transalpinis situatorum, generale Capitulum abbati de Reigniaco committit in plenaria Ordinis potestate, cum clausulis per R. D. N. Cisterciensem addendis.

43. Cum ad audientiam praesentis Capituli generalis nonnullorum venerabilium patrum Ordinis scriptis authenticis et relatibus sit deductum, plura monasteria in regnis et dominiis Angliae, Walliae, Hiberniae et Scotiae, tam inordinato regimine quam sanctae religionis vulgata transgressione, adeo esse deformata et desolata, ut nisi citius de remedio provideatur opportuno, tota in eis religionis disciplina peribit, et ex consequenti in utroque statu desolabuntur ; quibus malis occurrere, et de remedio providere cupiens praesens generale Capitulum cum omni reverentia et humilitate R. D. N. Cisterciensi supplicat, quatinus onus visitationis et reformationis super omnia et singula utriusque sexus monasteria, collegia et loca regularia in dictis regnis et dominiis situata suscipere velit et dignetur, omnes et singulas inordinationes et transgressiones praedictas in spiritualibus et temporalibus, in capitibus et in membris, ibidem corrigendo et in melius reformando, in plenaria sui et Ordinis potestate. Omnibus igitur et singulis dictorum monasteriorum abbatibus, abbatissis, prioribus, priorissis, ceterisque regimini tam collegiorum quam aliorum locorum regularium praesidentibus, aliisque personis regularibus in dictis regno et provinciis commorantibus, in virtute salutaris obedientiae, et sub censuris Ordinis mandat et praecipit idem Capitulum, quatinus praefato R. D. N. Cistercii tam in dictis visitationibus et reformationibus, quam etiam ratiocinatione et computationibus, ac quibuscumque aliis statum Ordinis concernentibus, humiliter obediant et devote pareant, omni contradictione et appellatione remotis.

44. Domino abbati Firmitatis praesens generale Capitulum committit, quatinus se debite et diligenter informet de et super tractatu inito, facto et passato inter abbatem et conventum monasterii de Maceriis ex una, et Philibertum Lasne de Sivreyo partibus ex altera de quibusdam vineis, prout in litteris tractatus praesenti diffinitioni annexis, plenius constat, et si dictum tractatum ad utilitatem et commodum eiusdem monasterii invenerit, illum cum omnibus clausulis suis approbet, ratificet et confirmet in plenaria Ordinis potestate.

45. Abbatibus de Salem, Eberbaco et Uterina valle mandando committit praesens generale Capitulum, quatinus quam citius commode fieri poterit, ante diem sancti Lucae evangelistae, ad monasterium Mulbrunnense personaliter accedant, ibidemque visitent, reforment, corrigant et emendent, instituant et destituant, in capite et in membris, in spiritualibus et temporalibus, omnia et singula quae secundum Deum et nostrae religionis instituta invenerint visitanda, reformanda, corrigenda, emendanda, instituenda et destituenda, abbatemque et officiarios, si sua exigant demerita, deponant et destituant, corrigant et puniant, cessionemque seu resignationem abbatis eiusdem monasterii, si iustam et rationabilem invenerint, recipiant et admittant, ipsique monasterio vacanti de novo abbate sufficiente et idoneo canonice provideant, instituant et installent, ac in realem et actualem possessionem vel quasi bonorum spiritualium et temporalium eiusdem monasterii inducant et imponant, et generaliter, etc.

46. Committitur abbati de Reigniaco, s. th. pr., et abbati de Balerna generali Ordinis promotori, quatinus omnia et singula litem seu controversiam inter abbatem Loci Dei et abbatissam de Goiono, necnon abbatem de Ardorello tangentia, audiant, omnibusque et singulis auditis, praesenti generali Capitulo cum advisamentis suis referant ut, partibus auditis, debitae iustitiae complementum ministretur.

47. Domino abbati de Pontigniaco praesens generale Capitulum committit, quatinus se debite, diligenter et sufficienter informet de et super tractatu inito, facto et passato inter abbatem et conventum monasterii Bellaeaquae ex una, et fratrem Guillermum eiusdem monasterii professum partibus ex altera, de assignatione eiusdem domus eidem fratri facta, prout in litteris tractatus praesenti diffinitioni annexis plenius continetur, et si

debita informatione dictum tractatum ad utilitatem eiusdem monasterii esse invenerit, illum cum omnibus suis clausulis approbet, ratificet et confirmet ; sin alias, infirmet, casset et annullet, in plenaria Ordinis potestate.

48. Abbati de Veteri campo, Coloniensis dioecesis, generale Capitulum committit, quatinus quam citius commode poterit, personaliter ad monasterium seu prioratum noviter per strenuum ac Deo devotum militem dominum Henricum de Naeldebye ac generosam dominam Mathildem de Raoxeist eius coniugem fundatum et dotatum, et si locum ad nostrae sanctae religionis regulares institutiones observandas aptum et dispositum in aedificiis et aliis necessariis invenerit, illum cum omnibus suis membris, bonis, dotationibus Ordini nostro incorporet et uniat, in plenaria Ordinis potestate.

49. Ad aures praesentis Capituli generalis deductum est, modernum abbatem monasterii de Walkenreide, Maguntinensis dioecesis, antequam promoveretur in abbatem propter plures et diversos casus et abusus per eum perpetratos, et ad dictam dignitatem suscipiendam et obtinendam insufficientem inhabilemque fore, fuisseque simoniace et per compromissa inter eumdem et nonnullos eiusdem monasterii fratres, eum in abbatem eligendo, promotum et institutum, esseque dilapidatorem bonorum eiusdem monasterii, ac pluribus vitiis et casibus infectum et accusatum, adeo quod nisi de celeri remedio provideatur dictum monasterium finalem ruinam reportabit. Quibus malis occurrere, et de remedio opportuno providere cupiens praesens generale Capitulum, abbati de Veteri campo committendo mandat et praecipit, quatinus quantocitius commode fieri poterit, vocato secum aliquo abbate Ordinis ad dictum monasterium, seu ad alia loca quae aptiora ad subscripta iudicaverit, accedat, seque super praemissis, necnon vita et conversatione eiusdem abbatis de Walkenreide debite, diligenter et sufficienter informet ; et si, informatione debita, dictum abbatem in praemissis seu aliquo praemissorum culpabilem invenerit, ipsum per privationem, depositionem et destitutionem a dignitate abbatiali, sive alias secundum casuum exigentiam, puniat et corrigat, ipsi monasterio, si contingat, de novo abbate provideri de persona sufficiente et idonea canonice providendo, faciendoque in praemissis et singulis praemissorum et ea tangentibus omnia et singula quae generale Capitulum faceret, si praesens adesset, invocato ad praemissa,

etc. Omnibus igitur et singulis nostri Cisterciensis Ordinis regularibus personis dando in mandatis in virtute sanctae obedientiae, et sub poenis et censuris Ordinis latius per dictum abbatem Campensem taxandis et declarandis, quatinus quantum ad omnium et singulorum et ea tangentium executionem, eidem abbati Campensi pareant, et tamquam eidem generali Capitulo obediant et assistant.

50. Cum possibilibus honore et reverentia breve Sanctissimi domini nostri Innocentii Papae VIII sub annulo piscatoris expeditum suscipiens praesens Capitulum generale, cuius tenor sequitur et est talis, etc. quo ipse Sanctissimus dominus noster causam seu litem inter sorores Ioannam de Monte canuto et Georgetam super dignitate abbatiali monasterii monialium de Briono, Taurinensis dioecesis, contendentes et coram sua Sanctitate pendentem et ventilatam ad Ordinis et Capituli generalis iudicium debite fuit diffiniendum remittebat et committebat. Verum quia auctoritate praefati brevis susceptionem, iam idem generale Capitulum confirmationem provisionis de persona sororis Georgetae de Provana in monasterio de Briono per R. D. N. Cisterciensem novissime factam concluserat et expediverat, nihilominus mandatis eiusdem Sanctissimi domini nostri obedire, et ea ad effectum deducere cupiens, abbati de Sancto Sulpitio praesens generale Capitulum committit, dando sibi plenariam potestatem et auctoritatem quamcitius commode fieri poterit, ad dictum monasterium monialium de Briono, seu ad alia loca aptiora per se vel alium ad subscripta idoneum accedat, seque debite diligenter et sufficienter super meritis dictae causae informet, et citatis citandis, auditisque partibus et audiendis ac consideratis considerandis, dictam causam per debitum iustitiae complementum debite sententiet et diffiniat, in plenaria Ordinis potestate.

51. Frater Ioannes, plenaria, etc., omnibus et singulis nostri Ordinis Cisterciensis abbatibus, abbatissis, prioribus, priorissis, ceterisque officiariis regularibus personis in sacro presbyteratus ordine constitutis, ad quos nostrae praesentes devenerint, salutem in Domino, et nostris imo verius totius Ordinis nostri parere mandatis. Cum in nostro generali Capitulo apud Cistercium novissime hoc anno celebrato, quaedam diffinitio subreptive, et quasi furtive et improvise, nonnullorum religiosorum de Buch, ut dicitur, aut aliorum occulta adinventione et importunitate

mendaciter ab aliquibus notariis Capituli generalis, prout nobis constitit, exorta fuerit, sitque eadem diffinitio in praeiudicium et gravamen totius Ordinis et dicti Capituli generalis non modicum scandalum, non tamen ex defectu aut culpa dominorum Diffinitorum aut dictorum notariorum, sed, ut praemissum est, ex importunitate religiosorum praefatorum, cuius quidem diffinitionis tenor sequitur et est talis. Ut collegium, etc. Nos, de consilio et voluntate dominorum Diffinitorum dictos abusus sufferre non valentes, sicut nec merito debemus, illam eamdem diffinitionem, si tamen diffinitio dici debeat, tamquam subreptitiam et sub falso impetratam et a notariis praefatis extortam, nostra totius Ordinis ac Capituli generalis auctoritate nullam et cassam declaramus, praesertim quoad commissariorum assignationem, illamque tamquam contra patrum Ordinis intentionem subdole confectam cassamus et revocamus nulliusque momenti aut efficaciae declaramus, vobis et cuilibet vestrum mandando in virtute sanctae obedientiae praecipientes, quatinus quam citius commode poteritis dictas cassationem et revocationem eiusdem diffinitionis, cui, quibus et ubi oportebit significetis et publicetis. Verum ne dictum collegium maneat improvisum, venerabilibus et in Christo nobis carissimis coabbatibus nostris monasteriorum de Riddageshusen et de Porta, et cuilibet eorum dictae commissionis executionem per omnia in singulis punctis et dependentibus nostra et Ordinis auctoritate, praesentium tenore, committimus districtius in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae poena inhibendo venerabili coabbati nostro de Vetericella, ne in aliquo ad praefatae diffinitionis executionem procedere praesumat, sed praefatis coabbatibus nostris in hac re cedat, et eos gratiose iuxta patrum Ordinis intentionem agere sinat, salvo tamen iure paternitatis, quod in eodem collegio monasteriorum Veteriscellae praetendere dicitur, cui in nullo per hoc derogare intendimus, invocato, etc. Omnibus etc., ut vobis obediant, et in nullo contra dictae diffinitionis materiam praefatum abbatem de Vetericella audiant, etc. Datum, etc.

52. Abbatibus de Balerna, de Charitate et de Monte Sanctae Mariae et cuilibet eorum committit praesens generale Capitulum, quatinus se debite diligenter et sufficienter informent super litteris tractatus initi, facti et passati inter abbatem et conventum monasterii de Miratorio ex una, et honorabilem virum Himber-

tum Guyot de Fleria partibus ex altera, super franchisia et liberatione eiusdem Himberti, prout in dictis litteris praesenti diffinitioni annexis plenius constat ; et si dictum tractatum eidem monasterio perutilem invenerint, illum cum omnibus et singulis clausulis suis approbent, ratificent et confirment, in plenaria Ordinis potestate. Datum, etc.

53. Ad eisdem abbatibus et cuilibet eorum ad se informandum ut supra, et litteras tractatus initi, facti et passati inter abbatem et conventum praefati monasterii de Miratorio et honorabilem virum Himbertum Guyot, de quibusdam possessionibus ad censum et alias per eumdem acceptis, prout plenius in dictis litteris praesenti diffinitioni annexis continetur, specificatur et declaratur.

54. Abbatibus de Straffordia et de Fontibus committit praesens generale Capitulum visitationem et reformationem omnium et singulorum monasteriorum utriusque sexus in provinciis Cantuariensi, Eboracensi totaque terra Angliae ubilibet constitutorum et collegii Oxoniensis, cum clausulis opportunis et consuetis.

55. Committitur abbati de Bebenhusen, quatinus redeundo ad patriam transeat per monasterium de Novocastro ad insinuandum dicti monasterii abbati et conventui, qualiter patres Ordinis et domini Diffinitores in pacem et concordiam monasterii de Pomerio et suum et habitantium in eis ac etiam suspitio usurae penitus inde reiiciatur, ordinaverunt, ut dictus dominus de Novocastro sese benignum in debito recipiendo a domino de Pomerio suoque monasterio efficiat, sic ut dictus de Pomerio singulis annis aliqualem solutionem iuxta suam possibilitatem in maioris summae deductionem faciat ita quod pro minori annis singulis solutionem 25 floren. reddat, quoadusque dictus de Pomerio quittus habeatur et reddatur.

56. Committitur domino abbati Morimundi, quatinus assumptis secum abbatibus de Villerio Metensi et de Ponte thieffridi aut aliquibus aliis abbatibus Ordinis diligenter se informet super quodam contractu olim passato inter abbates et conventus monasteriorum de Belloprato et de Pomerio alias Bongart, in quo propter translationem paternitatis, quam abbas de Belloprato olim habere solebat super dicto monasterio de Pomerio, praefatis abbati et conventui de Belloprato in quatuor plaustris vini annui et perpetui redditus, prout in litteris huiusmodi contractus ple-

nius continetur, informationeque facta, vocatis coram se partibus, et eis hinc inde auditis, prout iustum et aequum fuerit super eodem contractu ac etiam translatione paternitatis componat, in plenaria Ordinis potestate.

57. Committit praesens generale Capitulum abbati de Bebenhusen, ut assumpto secum abbate de Novocastro seu alio vicino abbate, accedendo quo propterea accedendum fuerit, se diligenter informet super quodam contractu venditionis annui cencus 35 florenorum rhenensium super nonnullis bonis ac possessionibus monasterii Pomerii, alias Bongart, pertinentibus, quem facere intendunt abbas et conventus iam dicti monasterii de Bongart, cum valido Petro Museler armigero, cive Argentinensi, iuxta modum et formam in litteris cui praesentes annectuntur plenius expressam ; et si dictum contractum iustum et legalem atque ad utilitatem et commodum dicti monasterii de Bongart cedentem invenerint, ipsum approbent, ratificent et confirment in plenaria Ordinis potestate ; sin autem, cum dicto Petro armigero, sibique in hoc adhaerentibus, seu ad quos spectare videbitur, tractent et componant ; quidquid in his fecerint auctoritate praesentis Capituli generalis et totius Ordinis, qua praesens Capitulum eis et eorum cuilibet fungi concedit, confirmando.

58. Committit praesens generale Capitulum abbatibus de Elnis et de Villalonga et eorum cuilibet in solidum, quatinus se diligenter informent super quadam materia iniuriarum et libello famoso, quem fecisse dicitur soror Gaufrida de Tenlat, priorissa monasterii de Costa Ioannae prope Sanctum Antonium in Ruthinis, citatis partibus coram se, auditisque audiendis, debitum iustitiae complementum administrent in plenaria Ordinis potestate.

59. Abbatibus de Plaaz et de Altovado committit praesens generale Capitulum, ut per censuras Ordinis et omnes iuris et iustitiae vias compellant abbatem de Corona ad satisfaciendum abbati de Sora de quodam debito 80 flor. ungarialium, in quo dictus abbas de Corona eidem abbati de Sora dicitur obligatus ; quod si negare voluerit, auditis hinc inde partibus, debitae iustitiae complementum administrent, in plenaria Ordinis potestate.

60. Cum monasterium olim monialium de Ramosa, nostri Cisterciensis Ordinis, in dioecesi Wormatiensi, contra Ordinis privilegia per reverendissimum in Christo patrem et dominum

dominum episcopum Wormatiensem a Sede apostolicae impetratum sit et obtentum, praesens generale Capitulum totis viribus, omnibusque modis possibilibus sua privilegia defendere ac perdita et alienata membra Ordinis recuperare cupiens, melioribus modo et forma quibus potest et debet suum ac totius Ordinis procuratorem, yconomum negotiorum gestorem et nuntium specialem ad petendum, exigendum ac recuperandum dictum monasterium de Ramosa per omnes iuris et iustitiae vias, sive a dicto R. D. episcopo Wormatiensi, sive a quibuscumque aliis iniuste et contra Ordinis iura et privilegia illud detinentibus et occupantibus facit, creat et constituit abbatem de Eberbaco, mandando ac praecipiendo eidem in virtute salutaris obedientiae, et sub excommunicationis latae sententiae poena, quatinus onus dictae procurationis indilate acceptet, et quamprimum commode poterit diligenter exsequatur, providendo eidem monasterio de Ramosa, postquam recuperatum fuerit, de priore et fratribus, Ordinis honestae et religiosae conversationis, qui ibidem sub regulari Ordinis observantiae vivant, divinumque perficiant cultum iuxta instituta ipsius nostri Cisterciensis Ordinis, in plenaria Ordinis potestate.

61. De litterarum scientia, probitate morum, zelo religionis, ceterisque multiplicibus virtutum insigniis, quibus divina favente clementia praeditus existit venerabilis pater dominus Symon, abbas monasterii de Balerna, ad plenum informatum praesens generale Capitulum, ipsum in procuratorem generalem totius Ordinis Cistercii in romana Curia creat et constituit, dando et conferendo sibi omnes et singulas auctoritates, facultates et potestates cum praerogativis et emolumentis, quibus hactenus gaudere consueverunt procuratores Ordinis in romana Curia, cum clausulis opportunis in suo procuratorio more solito ponendis.

62. Committit praesens generale Capitulum abbatibus de Fonte salutis et de Lankheim quatinus se diligenter informent super causis venditionis villarum Ewrcheim et Mulhausen monasterii de Ebraco pertinentium, quas abbas et conventus iam dicti monasterii in Ebraco vendere et pro earumdem pretio certa alia bona emere intendunt, et si causas huiusmodi rationabiles dictasque venditiones ipsi monasterio in Ebraco utiles et fructuosas invenerint, easdem admittant, ratificent et confirment in plenaria Ordinis potestate ; ita tamen ut pecunia sic

accepta ad emptionem aliorum bonorum dicto monasterio magis utilium, et non ad alios usus, convertatur.

63. Ut monasteria nostri Ordinis, aliaque loca regularia in toto regno Angliae et dominiis Walliae et Hiberniae sita, necnon collegium Oxoniense, in spiritualibus et temporalibus melius dirigi et gubernari, praedictumque collegium aedificari et reparari valeant, omniaque alia et singula honorem et commodum nostri Ordinis Cisterciensis in illis partibus concernentia decentius disponantur, praesens generale Capitulum de zelo religionis, prudentia et discretione abbatum de Stratfordia et de Fontibus sufficienter informatum, visitationem et reformationem omnium et singulorum monasteriorum et locorum regularium in dicto regno et dominiis sitorum, praedictis abbatibus de Stratfordia et de Fontibus committit hinc ad quinquennium in plenaria Ordinis potestate, cum clausulis opportunis in commissione R. D. N. Cisterciensis magis specificandis.

64. Quamquam ad parendum semper, ut tenetur, mandatis paternis Sanctissimi domini nostri Papae super reformatione Ordinis, generale Capitulum continuaverit omnes et singulos commissarios iam duobus annis praeteritis super hoc constitutos commissionesque pristinas in suo vigore durare voluerit. Quia tamen in regno et dominio minoris Poloniae, minor facta est diligentia quam oportebat, praesens generale Capitulum cupiens ut ubique debita reformatio fiat, de probitate, zelo religionis, prudentia et discretione et fideli diligentia abbatis de Paradiso ad plenum confidens eidem committit, ut ad omnia et singula monasteria Ordinis utriusque sexus, tam in maiori quam in minori Polonia sita hinc infra proximum futurum Capitulum generale quotiens opportunum viderit, per se vel per alium abbatem Ordinis ad hoc sufficientem et idoneum cui suas vices committere poterit, ubi per se forsitan intendere non valeret, accedat, ibidemque visitet, reformet, corrigat, instituat et destituat, in spiritualibus et temporalibus, in capitibus et in membris, quaecumque iuxta Ordinis nostri statuta canonica invenerit visitanda, reformanda, corrigenda, instituenda et destituenda, omniaque alia et singula faciat et exerceat, quae in alia sua commissione plenius sunt expressa, quam in suo vigore interim manere voluit idem generale Capitulum, et etiam ad monasteria minoris Poloniae extendi, revocando et cassando commissio-

nem abbati de Comprovincia aut cuicumque alteri in dicta minori Polonia per quoscumque datam seu expeditam.

65. Cum provincia Moraviae terrae Bohemiae sit vicina, et sub regno Bohemiae contineri dicatur, praesens generale Capitulum omnia et singula monasteria iam dictae provinciae Moraviae monasteriis Bohemiae adiungit, ita videlicet ut idem commissarius, qui in regno Bohemiae visitandi et reformandi onus accepit, etiam monasteria in Moraviae partibus visitet et reformet, non obstante commissione alteri super hoc factae, quam idem Capitulum in quantum praesenti diffinitioni praeiudicare videtur, tenore praesentium quoad illam provinciam Moraviae cassat, irritat et annullat. Et quia nemo tenetur propriis stipendiis militare, sub censuris Ordinis mandat et praecipit idem Capitulum omnibus et singulis monasteriorum dicti regni Bohemiae et provinciae Moraviae abbatibus et abbatissis, aliisque regimini ipsorum monasteriorum praesidentibus, ut ipsis visitatoribus et commissariis, dum causa visitationis et reformationis ad eos venerint, de expensis rationabilibus et sufficientibus, quas eundo ad sua monasteria et inde redeundo ad propria, sive etiam eundo seu mittendo ad Cistercium tempore generalis Capituli, aut alias quando necessarium fuerit, ac stando ibidem et inde ad propria revertendo per se vel per suos nuntios fecerint, sibi provideant, easdemque expensas solvant, omni contradictione et appellatione semotis.

66. Ut [b] collegium Ordinis in alma Universitate studii Lipziensis pro honore et commodo Ordinis melius ac decentius manuteneri valeat, feliciaque semper suscipere possit incrementa, committit praesens generale Capitulum abbati de Vetericella, quatinus dictum collegium quotiescumque sibi visum fuerit expediens, personaliter visitet, ibidem reformando, corrigendo, instituendo et destituendo omnia et singula, quae invenerit visitanda, corrigenda, reformanda, instituenda et destituenda, in plenaria Ordinis potestate ; datque idem Capitulum auctoritatem et plenum posse, ac etiam mandatum speciale eidem abbati de Vetericella, per censuras Ordinis compellendi omnes et singulos abbates qui mittere debent ad mittendum suos scolares cum sufficientibus provisionibus ad dictum collegium, ibidemque,

---

[b] *Cf. supra nº 51.*

si proficere videantur, etiam usque ad gradum doctoratus sacrae theologiae inclusive continuandum, omniaque alia et singula in eodem collegio ordinandi, agendi et disponendi quomodolibet opportuna et necessaria videbuntur, in virtute salutaris obedientiae districte praecipiendo provisori, ceterisque abbatibus et officiariis monasteriorum, qui suos scolares mittere debent, ut iam dicto abbati de Vetericella in praemissis omnibus, ac aliis ab eisdem dependentibus tamquam ipsi generali Capitulo humiliter obediant ac devote pareant, omni contradictione et appellatione semotis.

67. Quia monasterium de Esrom, ut dolenter accepit praesens generale Capitulum, in spirituali et temporali regimine plurimum est defectuosum, abbatibus de Sora et Regali curia idem generale Capitulum committit in virtute salutaris obedientiae, eis districte praecipiendo quatinus quamprimum commode poterint ad idem monasterium de Esrom se personaliter transferant, ibidemque visitent, reforment, corrigant, instituant et destituant, in spiritualibus et temporalibus, in capitibus et in membris, quaecumque iuxta eiusdem nostri Ordinis statuta canonica invenerint visitanda, reformanda, corrigenda, instituenda et destituenda, in plenaria Ordinis potestate.

[DIFFINITIONES] SPECIALES

68. Frater Ioannes, plenaria, etc., venerabilibus, etc., de Claravalle, s. th. pr., et de Candelio, salutem et fidelis diligentiae fructus salutares promereri. Litteras Sanctissimi nostri domini domini Innocentii Papae VIII in forma brevis sub annulo Piscatoris, necnon supplicationem quamdam per reverendissimum in Christo patrem dominum [Ardicinum de la Porta] cardinalem Aleriensem, in praesentia Sanctissimi domini nostri signatam, et cum debita et possibili reverentia suscepimus, quorum tenor sequitur et est talis. Dilectis, etc. Verum quia propter multiplicia et gravia Ordinis et monasterii nostri Cisterciensis agenda, necnon propter maximam locorum distantiam huius causae decisioni intendere non possumus, ut vellemus, vobis et cuilibet vestrum, de quorum discretionibus, prudentiis, fidelique diligentia, ad plenum in Domino confidimus, tam apostolica nobis commissa, quam nostra et totius Ordinis et Capituli generalis auctoritate et potestate committendo mandamus et praecipimus,

quatinus quamprimum debite requisiti fueritis, partesque ipsas coram vobis ad debitum locum et diem citari seu vocari faciatis, ipsisque partibus hinc inde ad plenum auditis, consideratisque considerandis, tam super materia spolii in dicta supplicatione sive requesta contenta, et per dictum fratrem Iacobum Roys praetensa, quam super materia petitoria et principali de dicto monasterio secundum Ordinis formam per debitum iustitiae complementum litem huiusmodi decidatis, vel determinatis ac sententietis; si quid autem dubii in praemissis emerserit propter quod fine debito hanc causam terminare ad plenum non possetis, ea quae inveneritis per scriptum fideliter redigatis, et ea ad nos seu generale Capitulum clausa cum advisamentis vestris deferatis seu transmittatis, ut illis visis, nos aut dictum generale Capitulum huic causae et liti finem per debitae iustitiae remedium imponamus, invocato, etc. Omnibus, etc. Datis Divione sub appensione sigilii nostri die 18 septembris, anno M.CCCC.LXXXX.

69. Permutationem factam in collegio Sancti Bernardi super redditu decem francorum perpetui redditus, quem annos singulis dare debebat praefato collegio Sancti Bernardi monasterium de Vallibus Sernay, quem quidem redditum patres Ordinis quittaverunt dicto monasterio de Vallibus Sernay permutatione, quia abbas et monasterium iam dictum quittaverunt dominis decano et capitulo ecclesiae B. M. Parisiensis similem redditum decem francorum sibi debitum, ut dicti dominus decanus et capitulum ecclesiae Parisiensis etiam quittare habeant dicto collegio redditus decem franc. in defalcationem maioris redditus per collegium supradictum saepe dicto decano et capitulo debiti, praesens generale Capitulum approbat, ratificat et confirmat.

70. Generale Capitulum non sine displicentia suscipiens querelas abbatis et conventus monasterii de Otterburg contra et adversus fratrem Ioannem Slich, olim abbatem eiusdem monasterii, qui, ut dicitur, diversis vexationibus etiam coram iudicibus alienis ab Ordine turbat et molestat dictos abbatem et conventum de Otterburg, et iudicibus ab Ordine datis obedire et coram eis super articulis obiectis et obiiciendis respondere recusat, idem generale Capitulum pacem et charitatem nutrire semper cupiens inter personas Ordinis, denuo committit abbatibus de Bebenhusen et de Wernivillerio, et utrique eorum in solidum, quatinus ipsi ambo vel unus eorum, assumpto secum si opus sit altero abbate Ordinis quem voluerint, accedendo quo propterea

accedendum fuerit, inprimis causam controversiae et dissensionis ortam inter praedictas partes, si fieri poterit, amicabiliter componere et concordare attentent, attentaque paupertate monasterii de Otterburg pensionem assignatam domino abbati seniori, prout iustum et aequum viderint moderent. Quod si amicabiliter fieri non poterit, coram se peremptorie citent, seu alter eorum citet ad diem et locum competentem utrasque partes, et auditis hinc inde diligenter omnibus et singulis quae producere ex utraque parte voluerint, debitum iustitiae complementum administrent, pensionem etiam annuam dicto fratri Ioanni Slich seniori abbati super monasterio de Otterburg sibi assignatam, prout iuris aut rationis esse viderint vel omnino cassando vel moderando vel approbando et ratificando, et quidquid in his decreverint, per censuras Ordinis faciant ab utrisque partibus hinc inde firmiter observari. Inhibet idem Capitulum sub censuris Ordinis et aliis poenis formidabilibus in statutis Ordinis contentis, quas eo ipso transgredientes incurrant, quatinus neutra pars aliam ad quamcumque curiam ecclesiasticam vel saecularem extra Ordinem trahat, sed negotium huiusmodi coram patribus Ordinis dumtaxat prosequatur.

71. Cum iuxta Ordinis instituta canonica, omnia et singula monasteria alicuius provinciae sibi mutuo subvenire teneantur ad defendendum Ordinis libertates et privilegia, si forte per aliquos infringantur, praesens generale Capitulum non sine displicentia grandi suscipiens maximam vexationem qua reverendissimus pater dominus archiepiscopus Coloniensis abbates monasteriorum Ordinis in sua dioecesi sitorum contra Ordinis exemptionem turbare et molestare nititur ; ut melius ac virilius per eosdem abbates resisti valeat, in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae poena mandat ac praecipit idem Capitulum omnibus et singulis abbatibus, abbatissis, prioribus, priorissis, cellerariis, bursariis, aliisque monasteriorum Ordinis utriusque sexus in eadem dioecesi Coloniensi sitorum rectoribus seu rectricibus seu praesidentibus in eisdem, quocumque nomine censeantur, ut taxam per Ordinis commissarios eis occasione praemissorum impositam, vel imponendam ad defensionem Ordinis libertatum, indilate contribuant, abbatibus de Veterimonte, s. th. pr., et de Vetericampo executionem praesentis diffinitionis committendo in plenaria Ordinis potestate, utque dicti abbates ad opus huiusmodi melius contribuere va-

leant, idem generale Capitulum omnes et singulos eosdem abbates Coloniensis dioecesis a missione studentium, et via Capituli generalis per immediatum sequens quinquennium gratiose supportat.

72. In nomine Domini, Amen. Per hoc praesens publicum instrumentum cunctis pateat et sit notum quod anno Domini M. CCCC. LXXXIX, indictione pontificatus Sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Innocentii Papae VIII, anno... *(locus vacuus)* in causa appellationis pendente inter abbatem de Loco Dei, Cisterciensis Ordinis, in Ruthenensi dioecesi, appellatam ex una, et abbatissam de Heremo eiusdem Ordinis in Ruthenensi dioecesi appellatam partibus ex altera, citata dicta abbatissa ad requestam praefati abbatis de Loco Dei ad secundam diem Capituli generalis apud Cistercium hinc proxime celebrandi, et quia eadem dies dominica feriata fuerat per dominos Diffinitores eiusdem Capituli, causis omnibus ad diem proxime sequentum apud Divionem remissis, tandem adveniente iam dicta die tertia generalis Capituli, quae erat 14 mensis septembris anni supradicti, coram reverendissimo in Christo patre et domino, domino Ioanne abbate Cistercii, s. th. pr., ceterisque dominis Diffinitoribus comparuerunt dictae partes, videlicet abbas de Loco Dei praefatus in persona propria, dicta vero abbatissa de Heremo per procuratorem suum magistrum Guillelmum Fialis, qui de suo procuratorio fidem fecit, quibus sic comparentibus per eosdem R. D. Cistercii, ceterosque Diffinitores commissum fuit fratribus Ioanni de Reigniaco, s. th. pr., et Symoni de Balerna abbatibus Diffinitoribusque eiusdem Capituli, ut partes hinc inde audirent, et generali Capitulo referrent, et fuit assignatum partibus per iam dictos commissarios, ut die proxima sequente, quae erat dies martis, quinta decima mensis praefati, ad horam octavam de mane, coram eisdem commissariis comparerent et coram ipsis in medium proferrent ; die igitur et hora supradictis advenientibus et comparentibus dictis partibus coram eisdem commissariis pro parte dominae abbatissae de Heremo ac per eumdem Fialis procuratorem suum, productum fuit certum papiri folium, manu dicti Fialis signatum et scriptum, huius qui sequitur tenoris, etc. dicens idem Fialis nihil plus producere velle, ipsisque diligenter auditis in omnibus, quae producere volebant, petierunt ambae partes a R. D. Cistercii ut Diffinitoribus praefatis diffinitivam sententiam eis proferri, petitis

expensis hinc inde, assignata itaque partibus hora prima post meridiem eiusdem diei ad audiendam sententiam praedictam, dictoque abbate Loci Dei eadem hora coram dominis Diffinitoribus comparente, procuratore vero dominae abbatissae absente, fuit expectatus dictus procurator usque ad horam vesperarum eiusdem diei; tandem ipsis ambabus partibus simul comparentibus, quia domini Diffinitores illa hora in aliis Ordinis negotiis arduis occupabantur, assignata fuit hora septima de mane diei immediate sequentis, quae erat feria quarta, sexta decima mensis supradicti. Quibus die et hora advenientibus ipsisque partibus praedictis coram R. D. N. Cistercii in diffinitorio communi, ubi causae huiusmodi tractari solent, comparentibus sententiaque diffinitiva sibi proferri, debita cum instantia requirentibus, demum sedentibus dicto R. D. Cistercii ceterisque Diffinitoribus una cum notario infra nominato, iam dictus R. D. Cistercii quamdam scedulam papiream tenens in manibus suis legit ac protulit sententiam huiusmodi suo ac ceterorum Diffinitorum nomine in hac verborum serie : Christi nomine invocato, visis totius causae appellationis meritis diligenterque inspectis per partes hinc inde exhibitis, praehabito consilio peritorum per hanc sententiam diffinitivam dicimus, sententiamus et pronuntiamus dictum dominum de Ardorello male appunctuasse seu iudicasse sententiam absolutionis in genere dictae dominae abbatissae de Heremo dando, eam absolvendo et dictum dominum abbatem Loci Dei a dicto appunctuamento bene et iuste ad nos et ad auditorium nostrum provocasse et appellasse, dictam sententiam absolutionis in genere ita latam ad nihilum reducendo et per novum iudicium faciendo id quod dictus abbas commissarius de Ardorello facere debebat ; dicimus insuper et pronuntiamus per hanc nostram sententiam diffinitivam, quod monitiones factae excommunicationis et aggravationis latae per dictum appellantem tamquam habentem ad hoc veram a nobis commissionem contra dictam dominam abbatissam de Heremo appellatam, quantum ad charitativum subsidium ex nunc suum sortietur effectum, et insuper sententia lata super materia iniuriae in dicto processu mentionatae per reverendum abbatem de Helnis secundum sui formam et tenorem et omnia quae dehinc fuerunt subsecuta suo marte current, declarando appellationem a dicta sententia factam seu emissam quantum ad expensas per dictam abbatissam de Heremo esse desertam iustis ex causis in processu

declaratis, dominam abbatissam in expensis illius causae appelationis condemnando, et in expensis factis per dictum abbatem de Loco Dei in prosecutionis illius appellationis, taxa domino Cistercii reservata. Sic sign. I. abbas Cistercii.

Qua sententia sic prolata, mox procurator dictae abbatissae de Heremo ab eadem ad Sanctissimam Sedem Apostolicam, vel ad illum seu illos ad quem vel quos de iure pertinet, appellavit, apostolicos quaesivit, cum protestationibus in talibus fieri consuetis. Quibus auditis R. D. Cistercii respondit in haec verba : appellationem vestram tamquam frivolam et inanem et a nullo gravamine interiectam non admittimus, sed refutamus, nisi si et in quantum domini, ad quos appellare nitimini, admittere dignabuntur, vobis assignando terminum quatuor mensium ad appellationem vestram relevandam, et causam appellationis introducendam, de quibus omnibus praedictae partes sibi litteras patentes, seu instrumenta patentia per me notarium subscriptum sibi dari petierunt, quod est concessum.

Acta sunt haec omnia et singula supradicta anno, mense, diebus, horis et locis quibus supra, in quorum omnium robur et firmum testimonium praesentes litterae, sive hoc praesens publicum instrumentum sigillo Diffinitorum dicti Capituli et mei notarii subscripti signo manuali solito et consueto et nomine meis fuerunt munitae.

73. Cum, ut relatione R. D. N. Cistercii certificatum est, praesens generale Capitulum, venerabilis pater dominus Iacobus du Breuquet, nostri totius Ordinis in romana Curia procurator generalis, certis urgentibus causis necessariis inductus pro defensione iurium et libertatum Ordinis, ad prosequendum causas aliquas, tam apud Sanctissimam Sedem Apostolicam, quam erga serenissimum dominum regem Scotiae, ad instantiam fratris Ioannis Hirdman monachi monasterii de Cupro expresse professi, ac procuratoris monasterii de Melros in romana Curia, in bancho se obligavit pro sex millium ducatorum auri ; ne igitur praefatus venerabilis pater dominus Iacobus procurator detrimentum aliquod ex huiusmodi obligatione incurrat, praesens generale Capitulum iudicem super hoc instituit abbatem de Cupro, dando ei facultatem et plenum posse ac mandatum speciale dictum abbatem de Melros suumque conventum per omnes iuris et iustitiae vias et per censuras Ordinis compellendi ad solvendum dictam summam sex millium ducatorum in terminis praefixis,

aut saltem dictum dominum procuratorem Ordinis quittari faciendi cum effectu ab obligatione huiusmodi, datque dictum generale Capitulum facultatem et plenum posse eidem abbati in Cupro ad dandam licentiam abbati et conventui de Melros, si et in quantum opus fuerit, praedictam summam seu partem eius a quibuscumque mutuo recipiendo, ac pro eadem suum monasterium seu eius possessiones, prout opportunum viderit, impignorandi, et si necesse fuerit, aliquod membrun seu possessiones aliquas, redimibiles tamen, aut bona mobilia et immobilia alienandi, etc., in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis poena eidem abbati de Cupro districte praecipiendo, quatinus commissionem huiusmodi indilate ac diligenter exsequatur, in plenaria Ordinis potestate.

74. Gratiam singularem facere volens praesens generale Capitulum abbati de Ozzeck sibi concedit auctoritatem ut viginti personas regulares Ordinis utriusque sexus inhabiles, ad omnes Ordinis gradus, voces, honores et dignitates rehabilitare possit infra unius anni spatium ; quodque in eodem tempore per vel alium confesorem Ordinis idoneum semel absolvere valeat omnes et singulas personas regulares Ordinis sibi subiectas ab omnibus casibus et sententiis generali Capitulo specialiter reservatis.

75. Ad instantiam domini Claraevallis certis et rationabilibus causis motum praesens generale Capitulum concedit licentiam ac facultatem fratri Petro du Vergier, religioso monasterii Trium fontium, nostri Ordinis Cisterci expresse professo, ut de nostro Ordine ad ordinem sancti Benedicti se transferre possit, habitum et professionem regulares eiusdem Ordinis sancti Benedicti assumendo, ipsum pro nunc prout ex tunc a professione in dicto Ordine nostro et praefato monasterio Trium fontium facta absolvens et absolutum fore declarans.

76. Praesens generale Capitulum commoditatibus monasterii de Fonte salutis inservire cupiens, abbati eiusdem loci dat auctoritatem ac plenum posse, ut novitios notabiles et doctos in matura iam aetate constitutos, quotienscumque sibi videbitur opportunum, ante finem anni probationis ad professionem regularem et habitum monachalem suscipere valeat et possit, ita tamen quod novitii huiusmodi residuo temporis renuntient.

77. Quia, ut ad generalis Capituli non sine displicentia magna deductum est notitiam, monasterium monialium de Owentzko in spiritualibus et temporalibus plurimum est deformatum,

multaque scandalosa et nefanda ibidem perpetrantur contra nostri sacri Ordinis instituta canonica, per quae divina Maiestas offenditur, eiusdem sacri Ordinis nostri honor et fama denigratur, praesens generale Capitulum praemissis obviare et quantum cum Deo potest de remedio opportuno providere cupiens, committit abbati de Paradiso, quatinus quamprimum id commode poterit, assumpto secum si necesse sit abbate de Suleow, eiusdem monasterii de Owentzko patre abbate et visitatore immediato, idem monasterium de Owentzko personaliter accedat, ibidem visitando, reformando, corrigendo, instituendo et destituendo, in spiritualibus et temporalibus, in capitibus et in membris, omnia et singula quae secundum Deum et instituta sacri nostri Ordinis invenerit visitanda, reformanda, instituenda et destituenda, et specialiter, ut si quomodolibet possibile fuerit idem monasterium claudi faciat, abbatissamque ac ceteras moniales sub perpetua clausura et Ordinis observantia regulari ibidem deinceps vivere faciant, abbatissam, priorissam ac alias officiales, si forsitan ad praedicta observanda involuntarie aut aliunde minus idoneae fuerint repertae, destituendo et alias in locum earum subrogando, ponendo etiam ibidem moniales de aliquo monasterio Ordinis clauso et reformato, quae Ordinis observantiam alias doceant et informent, et si forsitan aliquae fuerint quae ad praedictam observantiam induci non possint, ne per earum malum exemplum aliae corrumpantur, illas a monasterio eiiciant, et in aliquo alio monasterio Ordinis collocent et reponant, omniaque alia in praemissis agant et faciant quae necessaria et opportuna videbuntur, in plenaria Ordinis potestate, invocato ad hoc si necesse sit, auxilio brachii saecularis.

78. Licet generale Capitulum dudum ad instantiam abbatis de Lubens visitationem et reformationem monasterii monialium in Olobock, praefato monasterio de Lubens ab antiquo subiecti, commiserit abbati de Landa, praefatum abbatem de Lubens ab onere monasterii absolvendo ; quia tamen, ut ad generalis Capituli audientiam pervenit, ipse abbas de Landa propter varias et diversas causas rationabiles hoc facere non potest, neque invenitur alius abbas regni Poloniae ad hoc idoneus generale Capitulum cassando et revocando commissionem abbati de Landa prius factam, visitationem et reformationem praefati monasterii de Olobock praedicto abbati de Lubens iterato committit sub censuris Ordinis, eidem mandans quatinus in

hoc suam faciat diligentiam ne defectu visitationis huiusmodi aliqua scandala ibidem oriantur.

79. Ad generalis Capituli audientiam pervenit plerosque abbates, aliosque regimini monasteriorum praesidentes, in regno Bohemiae ac Moravia nonnullos fecisse contractus illicitos et monasteriis suis praeiudiciabiles contra *Benedictinam* et alia Ordinis statuta et privilegia, sine licentia et confirmatione Capituli generalis, quos omnes praesens generale Capitulum auctoritate totius Ordinis, vel potius apostolica, cassat, irritat et annullat, nulliusque roboris vel momenti declarat.

80. Ob reverentiam Sanctae Sedis Apostolicae necnon serenissimi ac gloriosissimi domini Romanorum regis, illustrissimorumque principum marchionum Brandeburgensium hoc devote requirentium, praesens generale Capitulum gratiose dispensat cum abbate et conventu monasterii de Speciosa valle, Herbipolensis dioecesis, quatinus nobiles ac generosas dominas conthorales legitimas strenuorum ac generosorum dominorum Kiliani militis, ceterorumque de familia seu prosapia Berlingentium, secundorum fundatorum ac singularium benefactorum dicti monasterii de Speciosa valle, habentium sepulturam suam in eodem monasterio, cum duabus vel tribus pedissequis, dumtaxat quotienscumque contigerit fieri seu celebrari exequias funerales, seu etiam anniversaria defunctorum dictae familiae seu prosapiae de Berlingen, intrare ecclesiam minorem dicti monasterii et ibidem defunctorum officiis tam in missis, vigiliis quam vesperis interesse valeant, iuxta tenorem cuiusdam brevis apostolici per praefatum dominum militem impetrati, non obstantibus diffinitionibus generalis Capituli et statutis Ordinis nostri, aliisque contrarium facientibus quibuscumque, ita tamen quod in dicto monasterio de Speciosa valle dictae dominae cum earumdem pedissequis minime pernoctabunt, sed statim finitis officiis exibunt.

81. Omnes et singulos contractus in praeiudicium monasterii monialium de Lilio et contra Ordinis formam per abbatissam novissimam inter quascumque personas factos et passatos, praesens generale Capitulum cassat, irritat et annullat, nulliusque roboris ac momenti declarat.

82. Ad humilem instantiam et supplicationem abbatis de Otterburg, generale Capitulum gratiose agere cupiens cum fratribus Nicolao Diepurg, Wernero de Alteya, Adam de Hesteloch,

Henrico Sobernheyn, Philippo de Iutrea, Ioanne de Lausheyn, Ioanne Iudagnie et Pirunno de Hesleboch, qui de monasterio sine licentia exierunt ad civitatem Lutrestein, pernoctantes dumtaxat in eadem civitate, mane tamen sponte redeuntes, cum eis misericorditer dispensat, ut praemissis non obstantibus ad omnes Ordinis honores, gradus et actus legitimos, necnon voces, officia, dignitates et administrationes assumi valeant et admitti.

83. Ad idem, pro fratribus Henrico Sobrucheym et Ioanne de Lansheym sacerdotibus, qui de monasterio sine licentia exeuntes, et in apostasia per undecim dies perseverantes, tandem vi reducti pœnitentiam eis iniunctam iuxta statuta Ordinis humiliter impleverunt.

84. Attenta obstinatione et ingratitudine, superbia et elatione fratris Conradi de Stalbereck, professi in monasterio de Riddageshusen, olim per generale Capitulum rehabilitati super crimine apostasiae et aliis diversis excessibus, eamdem rehabilitationem cassat, irritat et annullat.

85. Cum inter cetera honorem et decus Ordinis mirifice excellentia potissimum sit doctorum virorum propagatio, quod fieri nequit nisi prius iuvenes in primitivis debite fuerint eruditi, eapropter praesens generale Capitulum plurimum laudans diligentiam abbatis de Riddageshusen, qui studium particulare pro institutione iuvenum suorum in ipso suo monasterio instituit, ipsum studium particulare approbat, ratificat et confirmat, inhibens omnibus et singulis sive eiusdem monasterii sive quibuscumque aliis personis Ordinis, ac etiam visitatoribus universis, ne huiusmodi studium aliquomodo removeant aut impediant, datque idem Capitulum generale facultatem et plenum posse abbati praefato magistro studentium aliqua gratiosa solatia, exemptiones aut praerogativas, prout expediens fuerit, impendendi, in plenaria Ordinis potestate.

86. Ad instantiam et humilem supplicationem abbatis de Veterimonte, s. th. pr., generale Capitulum gratiose agere volens cum fratribus Walthero et Henrico de Colonia, dicti monasterii monachis expresse professis, qui propter apostasiam ac carnis contagionem, per quas incurrerunt inhabilitatis maculam iuxta Ordinis instituta contraxerunt, quia tamen emendam super his iniunctam devote compleverunt, idem Capitulum generale ipsos rehabilitat ac cum eis gratiose dispensat, ut praemissis non obstantibus ad omnes Ordinis honores, voces, gradus et actus

legitimos, necnon dignitates, officia et administrationes assumi valeant et admitti.

87. Abbatibus de Eberbaco et de Castro aquilae et eorum cuilibet in solidum committit praesens generale Capitulum, quatinus se diligenter informent, aut alter eorum informet super causis dissensionis et controversiae inter fratrem Hermannum, professum monasterii de Heyna in Hassia, dudum confessorem monasterii monialium Montis Sancti Georgii, et abbatissam et conventum eiusdem monasterii, et auditis hinc inde partibus plenum iustitiae complementum administrent, in plenaria Ordinis potestate, inhibendo partibus ne dictam causam nisi coram patribus Ordinis deinceps prosequantur.

88. Abbatibus de Lenym, s. th. pr., ac de Vetericella praesens generale Capitulum committit, quatinus se diligenter informent super causis dissensionis et controversiae inter dominum decanum Misnensem et abbatem et conventum de Buch nuper exortae, ipsamque dissensionem et controversiam, si fieri poterit, amicabiliter componant ; sin autem per omnes iuris et iustitiae vias virtute privilegiorum Ordinis abbati et conventui de Buch praedictis assistant, per censuras Ordinis compellendo omnes et singulos abbates, abbatissas, priores, cellerarios, bursarios et alios monasteriorum Ordinis utriusque sexus in provinciis Misniae, Thuringiae, Saxoniae et Marchiae sitorum praesidentibus, ad praedictae causae et iurium ac privilegiorum Ordinis defensionem, prout iuxta Ordinis statuta sint obligati.

89. Nos, frater Ioannes, abbas Cistercii, ceterique Diffinitores Capituli generalis Ordinis Cisterciensis notum facimus universis, quod cum in nostro Capitulo generali novissime anno praeterito celebrato, ad videndum, visitandum, terminandum et decidendum quemdam processum seu litem inter fratres Ioannem Parny ex una, et Utherium Barbier partibus ex altera super dignitate abbatiali monasterii de Altofonte, Catalaunensis dioecesis, contendentes, fuissent commissi et deputati abbates de Balerna et de Charitate, partibusque per eos auditis, et viso processu utrarumque partium, peritorum consilio fulti, dictum fratrem Ioannem Parny sententialiter condemnassent, a qua sententia ipse Parny appellavit, atque in venerabili et suprema Parlamenti curia Parisiis suam appellationem relevavit et prosecutus est suam partem adversam, necnon abbates iudices prosequendo et vexando ; tandem ipse Parny cum dicta causa suae

appellationis praefatae ad praesentis Capituli generalis audientiam per eamdem venerabilem curiam remissus fuit, iudicium et sententiam ipsius Capituli auditurus et subiturus, prout iuris foret et rationis. Nos igitur visis, inspectis et diligenter examinatis partium productionibus et processibus, ipsisque plene auditis et consideratis in hac parte considerandis, pro tribunali sedentes, et solum Deum prae oculis habentes, ut ex eo iudicium nostrum prodeat, et oculi nostri videant aequitatem, dicimus, sententiamus et pronuntiamus per nostram diffinitivam sententiam, dictum fratrem Ioannem Parny male appellasse, quare ipsam suam appellationem frivolam, vanam atque nullam fore iudicamus et decernimus, eidem Parny perpetuum silentium super praemissis imponendo, expensis hinc inde compensatis et ex causa. Quo circa primo abbati Ordinis super hoc requirendo mandat et praecipit idem Capitulum generale in his, quae in praemissis et quolibet praemissorum executionem requirant, debitae executioni demandent in plenaria Ordinis potestate.

90. Generale Capitulum specialem gratiam facere volens magistro Iacobo Roys, dicto abbati de Regali, s. th. pr., ut suis commoditatibus melius inservire valeat, gratiose concedit ut dictus magister Iacobus cum quibuscumque personis honestis in quocumque loco constitutis, ubi sibi placuerit, cum uno vel duobus monachis aut uno converso Ordinis cuiuscumque monasterii Ordinis fuerint, commorari seu moram trahere valeat si possit, statutis Ordinis et Capitulorum generalium diffinitionibus ceterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

91. Cum ad audientiam praesentis Capituli generalis deductum est, quod nonnulli abbates Ordinis in regnis et dominiis Daniae, Sueciae et Norwegiae, licet saepius per commissarios Ordinis moniti fuerint, suas contributiones solvere recusarunt, et adhuc recusant de praesenti, ipsum generale Capitulum omnes et singulos praedictos, qui videlicet requisiti suas contributiones non solverunt, excommunicationis sententiam aliasque poenas in *Benedictina* et in aliis Ordinis statutis contentas incurrisse declarat ; mandans ac praecipiens dictis commissariis ac omnibus personis Ordinis regularibus super hoc requirendis, ut eos et eorum quemlibet dictas sententias et poenas incurrisse ubique publicent et declarent.

92. Nos frater Ioannes, abbas Cistercii, ceterique Diffini-

tores, etc. Quia generali Capitulo conquesta est abbatissa monialium de Clarofonte prope Luxemburgum, dicens se esse et fuisse gravatam et molestatam in laboribus et expensis per quemdam fratrem nomine Gofrinum, professum monasterii de Valle Dei, qui eam citari fecit coram abbate de Villerio Metensi, virtute cuiusdam mandati per eum a reverendissimo in Christo patre domino nostro Cisterciensi impetrati, ad certum et competentem diem, ubi dicta abbatissa per semetipsam comparuit, dicto fratre Gofrino nec per se nec per procuratorem comparente, humillime petit et supplicat ipsa abbatissa relevari et refundi ab expensis quas fecit occasione huiusmodi citationis. Item, quia dictus frater Gofrinus ante multos annos servivit monasterio praedicto de Clarofonte in officio confessoratus et procurationis, ubi impudice et inhoneste valde se habuit et potissimum cum abbatissa defuncta, ut communis vox et fama laborant et laborabant, tunc itaque propter eorum malum regimen et inhonestam vitam dictus frater fuit turpiter deiectus de dicto monasterio monialium per praefatum abbatem de Villerio Metensi tunc commissarium ; quod videns dicta abbatissa defuncta et dolens passavit sibi et fecit litteras obligatorias de summa 24 floren. super monasterium ipsum levandorum et accipiendorum, quas sigillaverunt inter se ut voluerunt, quia ipse et ipsa utraque sigilla penes se habuerunt, quam quidem summam 24 floren. dictus frater repetere hucusque distulit, timens de crimine perpetrato sibi obiiciendo, nunc illam repetere volens et credens, quod longitudo temporis elapsi crimen operuerit, et quae litterae obligatoriae malitiose et in fraudem ipsius monasterii, ut credendum est, factae sunt. Supplicat domina abbatissa praedicta, ut reverendissimae paternitates vestrae super hoc decernant et committant alicui abbati vices suas, qui super hoc decernat et iudicet ; dictum generale Capitulum, nulli quod iustum est denegans, praefato domino abbati de Villerio Metensi mandando et praecipiendo committit, quatinus se debite super praemissis informet, partes coram se conveniendo et vocando, debiteque informatus partibus debitum iustitiae complementum administret, in plenaria Ordinis potestate.

93. Cum per Diffinitores Capituli generalis anni Domini M. CCCC. LXXXV apud Divionem, certis iustis ex causis in litteris desuper hoc confectis plenius expressis et contentis, et praesenti diffinitioni annexis, fuerit pensio 20 librarum super

fructibus et proventibus monasterii de Toroneto fratri Fulconi Planeti assignata et deinde ea post per idem generale Capitulum confirmata, nec vult abbas praefati monasterii eidem fratri, ut asserit, dictam pensionem persolvere, humiliter provisionis opem desuper requirens ; hinc est quod generale Capitulum attendens supplicationem dicti fratris fore iustam et rationi consonam, dictam pensionem 20 libr. approbando, ratificando et confirmando mandat et praecipit dicto abbati moderno et successoribus suis eiusdem monasterii de Toroneto abbatibus, in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae poena, quatinus annis singulis et statutis in dictis litteris terminis dictam pensionem 20 libr. realiter et integraliter eidem fratri Fulconi quoad vixerit persolvant et tradant. Executionem praesentis diffinitionis primo abbatis Ordinis super hoc requirendi committendo in plenaria Ordinis potestate.

94. Multorum fide dignorum, tam patrum et personarum regularium Ordinis nostri quam aliorum proborum relatibus et scriptis generali Capitulo relatum est, abbatem modernum de Vallibus Sernay a paucis annis citra fratrem Michaelem Buffereau eius professum in confessorem monasterii monialium de Thesauro Nostrae Dominae, Rothomagensis dioecesis, auctoritate sua privata et paterna institutisse ; qui quidem frater se minus honeste et pudice in dicto monasterio habuit, quippe qui non solum de incontinentia, verum etiam de furto accusatur turpiter et notatur ; et ne ab abbatissa aut aliis personis eiusdem monasterii propter pecunias in magno numero furtive, ut dicitur, per eumdem fratrem sublatas, et a dicta abbatissa ipse frater prosequeretur, ab eodem monasterio aufugit, et Parisiis cum magnis expensis prosequendo quosdam processus mansit, prout et adhuc manet, et quod deterius est, ipse abbas de Vallibus Sernay praefatus dictam abbatissam compulit dare licentiam cuidam iuveni moniali eiusdem monasterii quam, ut dicitur, idem abbas et frater Michael laxatis sanctae continentiae habenis, eamdem monialem in habitu dissimulato per longos dies tenuerunt, et ea ut dicitur, abusi sunt ; et quia dicta abbatissa tam ex suae monialis quam praefatarum pecuniarum sublatione et perditione aliquas querimonias, attestationes et prosecutiones coram Ordinis patribus de praedicto fratre faciebat, ne praemissa ad Ordinis notitiam et lucem devenirent, idem frater Michael coram conservatore privilegiorum Ordinis citari fecit ac in cau-

sam traxit contra Ordinis statuta et privilegia ; quae omnia cedunt in dedecus et vituperium Ordinis populique christiani scandalum, ac dicti monasterii monialium iacturam non modicam. Quibus malis, abusibus et inconvenientiis obviare et de remedio opportuno providere volens Capitulum generale, abbatibus de Bonoportu, s. th. pr., et de Valledulci et cuilibet eorum per se et in solidum districte mandando et praecipiendo committit, quatinus quam citius fieri poterit ad dictum monasterium monialium seu ad alia loca, quae ad infrascripta aptiora iudicaverint, accedant, ibidemque monasterium visitent, reforment, corrigant, instituant et destituant omnia et singula quaecumque secundum Deum et religionis salutaria instituta invenerint visitanda, etc. Necnon de et super praemissis et aliis vitam et conversationem, regimen et administrationem dictorum abbatis, abbatissae et fratris Michaelis tangentibus debite et diligenter et sufficienter se informent, et si debita informatione abbatem, abbatissam, ac fratrem Michaelem praefatos in praemissis aut aliquo praemissorum culpabilem aut culpabiles repererint, ipsos et quemlibet ipsorum sive per privationem a dignitate abbatiali, suspensionem aut alias secundum formam Ordinis et casuum exigentiam taliter puniant et corrigant, quod monasterio praefato utilitati et honori consulatur, ceterisque in exemplum transeat et terrorem. Praeterea si per praemissa aut alia quomodocumque dicta monasteria, aut alterum ipsorum vacare contingat, generale Capitulum eisdem abbatibus, et cuilibet ipsorum dat auctoritatem et potestatem providendi et disponendi de dictis monasteriis, taliter quod iuxta apostolica privilegia deinceps sanctae religionis observantiae vitaeque puritas observari possit et valeat, in plenaria Ordinis potestate.

95. De probitate, sufficientia et idoneitate ordinisque zelo abbatis de Villerio Metensi ad plenum confidens, praesens generale Capitulum eidem abbati auctoritatem et facultatem dehinc ad triennium visitandi et reformandi monasteria sibi et suo monasterio immediate subiecta, personasque regulares eorumdem in foro conscientiae ab omnibus et singulis peccatis et casibus, criminibus, sententiis et delictis, censuris et poenis, generali Capitulo specialiter reservatis, semel quolibet anno per idem triennium, salutari mediante poenitentia, absolvendi in plenaria Ordinis potestate.

96. Paupertate et tenuitate monasterii de Vallelucenti atten-

tis et consideratis, praesens generale Capitulum pro studente Parisiis tenendo sibi adiungit monasteria de Albis petris et de... *(locus vacuus)*, ita quod quilibet dictorum monasteriorum abbas seu commendatarius sub poenis, sententiis et censuris Ordinis latius contra eos per executorem praesentis diffinitionis declarandis et promulgandis, annuatim summam decem librarum turonensium eidem studenti contribuet, nisi cum proprios studentes Parisiis mittere et tenere voluerit. Executionem praesentis diffinitionis primo abbati, etc.

97. Sententiam diffinitivam latam et pronuntiatam per dominos abbates de Firmitate, de Pontigniaco, de Morimundo, de Caroliloco, de Bonoportu, de Balerna, de Charitate et de Ellantio electos per generale Capitulum pro Ordine, et per R. D. Cistercii, eiusdemque loci conventum commissarios iudices et compositores ad terminandum per sententiam diffinitivam querelam seu processum tunc pendentem in curia Parlamenti Parisiensis, inter abbatem de Claravalle et quosdam sibi adhaerentes ex una, et praefatos dominum Cistercii et conventum eiusdem loci partibus ex altera, occasione quorumdam reddituum sitorum seu assignatorum in nonnullis receptis regalibus et aliis locis, ac super quibusdam aliis rebus et bonis quos et quae dicti de Claravalle et sui adhaerentes dicebant eosdem redditus et bona pertinere et semper pertinuisse monasterio Cistercii, et de ipsis et eorum praedecessores semper pacifice usos fuisse, prout latius patet per dictum processum et per praefatam sententiam datam Parisiis sub sigillis dictorum abbatum die 28 martii anno Domini 1488 ante Pascha, praesens generale Capitulum tamquam iustam, sanam, rationabilem, et de auctoritate praedictae curiae Parlamenti procedentem acceptat, laudat et gratam habet pro omni tempore futuro absque quacumque retractatione, volens expensas dictorum abbatum in prosecutione huius materia factas ex denariis contributionum Ordinis ipsis persolvi, pro quiete Ordinis perpetuum silentium universis personis Ordinis imponendo.

98. Diffinitionem Capituli generalis anno M.CCCC.LXXXV factam, cuius tenor sequitur in hac forma : Praesens generale Capitulum in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis poena praecipit et mandat abbati et conventui Bardonarum, quatinus infra proxime futurum generale Capitulum apportent aut mittent ad Cistercium quoddam privilegium domini Martini quondam Papae V super materia de decimis, quod prae-

dicti de Bardonis apud se habere dicuntur, cum sit generale Ordinis privilegium, ut ad cetera communia Ordinis privilegia in Cistercio reponatur, praesens generale Capitulum confirmat et roborat districtius in virtute salutaris obedientiae, ac sub excommunicationis latae sententiae poena, mandans et praecipiens abbati et priori eiusdem monasterii de Bardonis et cuilibet eorum, quatinus infra duos menses ab intimatione et executione praesentium, dictam bullam, sanam et integram, expensis propriis ad Cistercium transmittant, et R. D. Cisterciensi aut priori eiusdem loci tradant. Executionem praesentis diffinitionis abbati de Ardorello et cuilibet personae Ordinis in sacro sacerdotali ordine constitutae, necnon universis curatis, vicariis, capellanis et notariis publicis committans. Datum, etc.

REHABILITATIONES

99. Ad instantissimam supplicationem abbatis Caroliloci, s. th. pr., generale Capitulum gratiose dispensat cum fratre Ioanne Cornue, professo eiusdem monasterii, quatinus non obstante crimine apostasiae quod bina vice incurrit, ad omnes et singulos Ordinis honores, voces, gradus et actus legitimos, necnon administrationes, officia et dignitates assumi valeat et admitti.

TRACTATUUM CONFIRMATIONES

100. Permutationem factam in collegio Sancti Bernardi Parisiis super redditu decem francorum... *etc. id. ac sub n*º 69 *supra.*

COMMISSIONES

101. Quia honorabilis vir, magister Iacobus du Breuquet decanus Montensis et canonicus Cameracensis, omne ius quod habere praetendit super dignitate abbatiali monasterii de Ursicampo, Capituli generalis Ordinis iudicio submisit, promittens se stare velle sententiae per Ordinis iudices proferendae, praesens generale Capitulum unicuique quod suum est reddere cupiens domino abbatis Firmitatis et abbatibus de Caroliloco, s. th. pr., et de Valledulci, ac duobus eorum committit, quatinus convocatis coram se partibus cum omnibus munimentis suis super eorum iuribus se diligenter informent, et prout invenerint ius-

tum esse et aequum, summarie et de plano causam illam decidant, iudicent et concludant, debitumque iustitiae complementum ministrent.

102. Cum honorabilis vir, magister Iacobus du Breuquet, decanus Montensis et canonicus Cameracensis, totius nostri Cisterciensis Ordinis in romana Curia procurator generalis, a Sanctissimo domino nostro Papa certum obtinuerit indultum seu privilegium pro toto Ordine, ut monasteria Ordinis desolata aliis unire possit et valeat, propter quod in camera apostolica pro solutione annatarum dictorum monasteriorum uniendorum, videlicet illorum quae ante dictam unionem ad annata tenebantur, se nomine Ordinis obligaverit, praesens generale Capitulum dictum indultum seu privilegium gratanter acceptans ac ratum esse cupiens, praedictam obligationem ratam ac firmam in perpetuum tenere promittit, datque auctoritatem et plenum posse dicto magistro Iacobo procuratori nostri totius Ordinis de novo, si opus sit, ad haec et alia opportuna ac necessaria in eisdem se ac totum Ordinem, ut praemittitur, obligandi, promittens rata, grata, accepta et firma habere in perpetuum quaecumque per dictum magistrum Iacobum procuratorem in praemissis fuerint acta, gesta aut quomodolibet procurata.

103. Cum honorabilis vir, magister Iacobus du Breuquet, decanus Montensis et canonicus Cameracensis, totius nostri Ordinis Cisterciensis in romana Curia procurator generalis, certas bullas, maximas gratias, privilegia, libertates et exemptiones Ordini plurimum utiles ac fructuosas a Sanctissima Sede Apostolica nuper ordinatione domini Cistercii impetraverit et obtinuerit, quas tamen ob defectum solutionis debitae, Romae in camera apostolica et alibi in banchis dimisit, praesens generale Capitulum impetrationes praedictas tam factas quam fiendas, ratas, gratas et acceptas habens, desideransque ut bullae huiusmodi tam a camera apostolica quam a banchis illis quam citius extrahantur, nomine totius Ordinis dat auctoritatem, facultatem et plenum posse domino abbati de Firmitate, dicti Cisterciensis Ordinis, Cabilonensis dioecesis, ac dicto magistro Iacobo procuratori, et eorum cuilibet in solidum accipiendi mutuo a quibuscumque bancheriis seu mercatoribus Lugduni, seu in Urbe commorantibus summam duorum millium ducatorum ac de proprio loco et tempore solutionis conveniendi, necnon obligandi se ac totum Ordinem Cisterciensem, omniaque eius monasteria et

membra ubilibet constituta in forma meliori camerae apostolicae aut aliter, prout opportunum viderint dictis banchariis aut mercatoribus, omniaque alia et singula agendi, faciendi et exercendi quae in praemisis necessaria videbuntur sub hypotheca et obligatione omnium mobilium bonorum et immobilium dicti Ordinis, et omnium eius monasteriorum ac membrorum nomine quo supra, ratum, gratum et acceptum habere promittens quidquid per dictos dominum de Firmitate et magistrum Iacobum procuratorem vel eorum alterum in praemissis fuerit actum, factum, gestum aut quomodolibet procuratum.

104. Committit praesens generale Capitulum abbatibus de Caesarea et de Fonte regis, quatinus se diligenter informent super causis venditionis cuiusdam curiae pertinentis monasterio monialium de Zymmern quam vendere praetendunt abbatissa et moniales eiusdem monasterii, et cum pretio eius redimere nonnullas alias pensiones in quibus obligantur, et si invenerint causas huiusmodi rationabiles, dictasque venditionem et redemptionem ipsi monasterio de Zymmern utiles et fructuosas, easdem fieri admittant, factasque ratificent et confirment, in plenaria Ordinis potestate.

SUFFRAGIA

105. Ut monasterium Beatae Mariae de Fonte salutis in regulari Ordinis observantia more solito conservari, atque in spiritualibus et temporalibus felicia semper incrementa reportare valeat, generale Capitulum omnes et singulos christifideles cuiuscumque status, conditionis, praeeminentiae aut dignitatis existant sive fuerint, ad pias manus adiutrices eidem monasterio porrigendum, quibus potest spiritualium donorum allectivis incitare cupiens, omnibus et singulis qui eidem monasterio Fontis salutis in quibuscumque munerum ac eleemosinarum largitionibus subvenerint, dat et concedit plenam participationem omnium bonorum spiritualium, videlicet missarum, vigiliarum, horarum canonicarum, orationum, suffragiorum, ieiuniorum, abstinentiarum, disciplinarum eleemosinarum, laborum, ceterorumque divini cultus obsequiorum, quae fiunt ac favente Domino de cetero fient in toto Ordine nostro, in vita eorum pariter et in morte pollicendo ipsis et eorum cuilibet, quod cum obitus eorum, utinam felices in Domino! nostro fuerint generali Capitulo nuntiati, ibidem sicut unus nostrum absolventur omniumque missarum ac ora-

tionum quas pro fratribus nostris defunctis, annis singulis imponere consuevimus, participes erunt et consortes.

106. Ad idem, pro monasterio de Pomerio alias Bongart, Argentinensis dioecesis, cum clausula ut collapsum restauretur.

107. Cum monasterium sanctimonialium Beatae Mariae de Vivario, Attrebatensis dioecesis, ut dolenter intellexit generale Capitulum, per guerras et alios sinistros eventus ad extremam pene desolationem deductum sit, ipsum generale Capitulum illius monasterii restaurationem summopere desiderans, atque ad eius subventionem christifideles incitare cupiens omnibus et singulis christifidelibus eidem monasterio de bonis sibi a Deo collatis pias manus adiutrices porrigentibus, plenariam concedit participationem omnium bonorum spiritualium, videlicet missarum, etc.

108. Universis et singulis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, frater Ioannes abbas Cistercii, totiusque conventus abbatum Capituli generalis Ordinis Cisterciensis totum ipsum Ordinem repraesentantes, salutem in Domino et orationum suffragiis vitam adipisci sempiternam. Quamquam ad subveniendum omnibus necessitatem patientibus ac subsidium requirentibus lege charitatis divinae cuncti christifideles obligentur, illis tamen magis succurrendum esse censetur, qui in bonis et rebus ad divinum cultum ac sanctae religionis observantiam spectantibus deficiunt. Cum itaque sicut relatu nonnullorum notabilium patrum Ordinis, maxime fratris Theodorici Baudhelle, professi monasterii Campensis, monasterium sanctimonialium de Monte principum, nostri Cisterciensis Ordinis, Coloniensis dioecesis, in honore Sancti Quirini fundatum dudum, quod dolenter referimus tam saevissimis hostium incursibus, quam negligenti regimine eiusdem monasterii, ad tantam in structuris et aedificiis necessariis ruinam devenisse ex iacturam, ut nisi christifidelium larga manus suffragetur, vix ex substantia eiusdem monasterii restaurari et relevari possit ex valeat; nos vero tantae et tam miserabili ruinae ex affectu compatientes, ac tantis ruinis et desolationibus occurrere cupientes, omnibus et singulis christifidelibus utriusque sexus, qui iuxta facultates suas pro restauratione dicti monasterii manus porrexerint adiutrices, praesentium tenore confraternitatem Ordinis ac plenariam participationem omnium bonorum spiritualium conferimus, videlicet horarum canonicarum, missarum, orationum, suffra-

giorum, vigiliarum, eleemosinarum, poenitentiarum, abstinentiarum, hospitalitatum, laborum, ceterorumque divini cultus obsequiorum, quae fiunt, ac Domino concedente fient in dicto Ordine nostro, in vita eorum pariter et in morte. Datum, etc.

109. Conceditur participatio seu suffragium Ordinis Guillelmo Michet mercatori, et civi Bisuntinensi, pro uxore et liberis.

110. Ad idem, Simoni Corgnot mercatori Divionensi et eius consorti.

111. Item, pro Ioanne du Vernay de Villari.

112. Item, pro domino Stephano Tibaudet, presbitero de Loninco, curato de Sernayo.

113. Item, pro Guillelmo de Sains de Divione et eius uxore cum liberis.

114. Item, pro Guillelmo Barbier et eius uxore de Divione.

115. Item, pro Adam Feurret de Barrisdorsans.

116. Item, pro Reginaldo Thurrici, cive Lingonensi, et Agnete uxore eius et eorumdem liberis.

117. Ad instantiam domini Caroliloci, s. th. pr., generoso potentique domino Ioanni de Chambanis comite, inclitaque domina Margareta de Borbonio comitissa eius consorte.

118. Item, pro domino Claudio de Marleyo, et domina Carola de Corcellis eius consorte. Item, pro Stephano Laboquet et Amieta eius uxore cum liberis de Divione.

119. Item, pro Guidone Feurret et Huguetta eius uxore de Barrisdorsans.

120. Universis et singulis christifidelibus has praesentes visuris et audituris frater Ioannes, etc. Etsi cunctae ecclesiae, aliaque pia loca divino cultui dedicata, maxime ubi diversorum sanctorum Christo in cœlis conregnantium sacrae habentur reliquiae, summa sint a christicolis veneratione prosequenda et requirenda cum eorumdem sanctorum meritis et piis precibus copiosa ibidem peccatorum venia adipisci posse credatur, illa tamen potissimum frequentanda omnique devotione recolenda, quae sub gloriosissimi Dei confessoris sancti Medardi titulis sunt dedicata, qui huius mundi contemptis illecebris coronam aeternae beatitudinis promeruit adipisci sempiternam; cupientes autem ut ecclesia in honorem eiusdem Domini nostri Iesu Christi confessoris beatissimi apud Divionem constructa et dedicata a christifidelibus devotius frequentetur, ad instantiam et humilem supplicationem venerabilis ac religiosi patris domini Amedei

François eiusdem ecclesiae curati, omnibus et singulis christifidelibus dictam ecclesiam visitantibus ac de suis facultatibus ad eiusdem ecclesiae manutenentiam pias eleemosinas largientibus, auctoritate totius Ordinis nostri, tenore praesentium confraternitatem Ordinis ipsius ac plenam participationem omnium bonorum praesentibus vero futuris perpetuis temporibus in suo vigore duraturis. Datum, etc.

REHABILITATIONES ET DISPENSATIONES

121. Ad instantissimam supplicationem abbatis de Hemmerode praesens generale Capitulum specialem gratiam facere volens fratri Georgio Schonich, religioso dicti monasterii de Hemmerode expresse professo, ipsum rehabilitat, secumque misericorditer dispensat, ut non obstante transgressione voti castitatis, in quam cecidisse per prolis procreationem convictus est, ad omnes Ordinis honores, voces, gradus et actus legitimos, necnon administrationes, officia et dignitatem assumi valeat et admitti ; datque dictum Capitulum facultatem et plenum posse abbati dicti monasterii cum eidem fratre Georgio super poenitentia Ordinis super hoc sibi iniungenda gratiose dispensandi.

122. Ad idem, pro fratre Ioanne Gilfelt praedicti monasterii de Hemmerode professo, pro eadem causa.

123. Ad instantiam abbatis Caroliloci, s. th. pr., et abbatissae de Paraclito, generale Capitulum misericorditer dispensat cum sorore Iacquelina de Danquant, professa dicti monasterii de Paraclito, ut non obstante defectu natalium, et quod sit illegitio matrimonio procreata, ad omnes Ordinis legitimos actus, gradus, voces, officia, beneficia, administrationes et dignitates promoveri possit et admitti.

124. Ad instantiam abbatis Longipontis Capitulum generale misericorditer dispensat cum fratre Petro Gaudier, presbitero professo dicti monasterii, eumdem ab omni infamiae et inhabilitatis macula relevando, ut non obstante apostasia per mensem vel circiter extra monasterium per saeculum vagando contracta, ad omnes Ordinis gradus promoveri possit et admitti.

125. Ad idem, et ad eiusdem abbatis instantiam misericorditer dispensat cum fratre... *(locus vacuus)* ut non obstante apostasia per biennium extra monasterium per saeculum vagando, regulari habitu dimisso, necnon carnis contagio possit ad omnes, etc.

126. Ad instantiam abbatis de Bebenhusen Capitulum generale dispensat cum fratre Martino, professo in Mulbronne, ut non obstante apostasia, etc.

127. Ad instantiam abbatis de Laude cum sorore Agnete de la Peltetire, professa de Vivario, misericorditer dispensat eam ab omni infamiae nota et inhabilitatis macula relevando et rehabilitando, ut voti castitatis fractione, super quo poenitentiam sibi ab eodem abbate iniunctam humiliter et devote peregit, non obstante possit ad omnes Ordinis gradus et dignitates promoveri et admitti.

128. Generale Capitulum humilibus et devotis supplicationibus fratris Iacobi Briandi, professi monasterii de Mansiade, cum eodem fratre misericorditer dispensat eum ab omni inhabilitatis et infamiae notis et maculis relevando et rehabilitando, ut non obstante quod monasterium praefatum sine licentia exivit, et fere per duos annos per saeculum vagando in apostasia perseveraverit, et quod etiam sacramentum matrimonii pro una vice contra Ordinis statuta administraverit super quibus, ut eidem generali Capitulo assertum est, devote et humiliter poenitentiam sibi iniunctam implevit, ad Ordinis actus et dignitates promoveri possit et admitti.

129. Ad instantiam abbatis de Claromonte generale Capitulum misericorditer dispensat cum sorore Isabella de Montalayo propter recessum a monasterio sine licentia et longam immansionem in domo patris, necnon, propter rebelliones multas contra abbatissam factas, etc. ut supra.

130. Ad idem, et eiusdem instantiam pro sorore Hardoyna de Valteaux, monasterii de Bonoloco religiosa professa, ut non obstantecarnis contagio, puerperio inde secuto, etc., dignitate abbatiali inclusa.

131. Ad idem, pro fratribus Michaele Fèvre et Petro Biseray, professis monasterii de Pietate Dei, ad instantissimam abbatis eiusdem monasterii, s. th. pr. supplicationem, ut non obstante carnis contagio ad omnes Ordinis actus legitimos, etc.

132. Ad instantiam abbatis Caroliloci, s. th. pr., generale Capitulum gratiose dispensat cum fratre Ioanne Coronis, professo eiusdem monasterii, quatinus non obstante crimine apostasiae quod bina vice incurrit, ad omnes actus, gradus et dignitates Ordinis assumi possit et admitti.

133. Ad humilem instantiam abbatis de Ozzeck, praesens gene-

rale Capitulum gratiose dispensat cum fratre Matheo Currifici, monasterii de Vetericella expresse professo, ut non obstante inhabilitate et irregularitate quas contraxit monasterium suum sine suorum superiorum licentia exeundo, et in apostasia etiam se divina immiscendo, divina deinceps celebrare, atque ad omnes Ordinis honores admitti valeat, datque facultatem idem generale Capitulum tam moderno quam seniori abbatibus eiusdem monasterii de Vetericella, ut unusquisque eorum hoc anno unum confessorem eligere possit, qui eum absolvat ab omnibus casibus Capitulo generali reservatis.

IUDICES

134. Committitur abbatibus de Caroliloco et de Bonoportu, s. th. pr., et eorum cuilibet, quatinus se super contentis in supplicatione praesenti diffinitioni annexa, plura enormia contra fratrem Robertum Valée diligenter informent, et informatione habita, si dictum Valée in praemissis aut in aliquo praemissorum invenerint seu eorum alter invenerit culpabilem, citatis citandis, auditis audiendis, et consideratis considerandis, causam seu litem inter dictum fratrem Robertum Valée et fratrem Guillelmum de Moncello super dignitate abbatiali monasterii Fulcardi montis concernentem terminent et decidant seu pacificent, puniendo et corrigendo corrigendos, in plenaria Ordinis potestate.

135. Praesenti generali Capitulo conquestus est honorabilis vir Poncerot de Dijon, mercator Grayaci, asserens abbatem Bellaevallis sibi iuste et legitime teneri et obligari in 72 francis, occasione pannorum per eumdem abbatem a dicto mercatore acceptorum, quam summam dictus abbas solvere renuit, ut asserit dictus mercator, humiliter provisionem a dicto Capitulo generali requirens. Hinc est quod, unicuique quod suum est reddi desiderans praesens generale Capitulum, abbatibus de Theoloco et de Bullione et eorum cuilibet in solidum committit quatinus si per testes fide dignos, litteras seu scedulas obligatorias, aut alia sufficientia documenta dictum abbatem de Bellevalle seu quoscumque alios de Ordine eidem Mercatori supplicanti in aliquibus pecuniarum seu quarumcumque rerum summis invenerint, ad debite et integre cum expensis prosecutionem per eumdem mercatorem contra dictum abbatem factarum, eidem solvendum et satisfaciendum per omnes iuris et iustitiae vias

et per Ordinis censuras astringant et compellant, in plenaria Ordinis potestate.

136. Multorum fide dignorum, tam patrum et personarum regularium Ordinis, quam aliorum proborum virorum scriptis et relatibus ad aures Capituli generalis saepius dolenter pervenit, fratrem Petrum de Porta, abbatem modernum monasterii de Barbello, laxatis sacrae continentiae habenis cum quadam moniali et aliis pluribus inhonestis mulieribus carnale contagium pluribus vicibus, etiam prole subsecuta commisisse, variisque aliis criminibus, delictis et sceleribus, tam dilapidationis quam similibus offensis publice et notorie notatum et maculatum, et quod amarius est convictum esse, ita ut omnis disciplinae regularis honestas, tam in spiritualibus quam in temporalibus ab eodem monasterio expulsa videatur, et ob defectum debitae administrationis idem monasterium totalem ruinam de proximo, nisi citius de remedio provideatur opportuno,minetur in maximam populi christiani scandalum, nostrae sacrae religionis vituperium ac dicti monasterii iacturam et gravamen ; hinc est quod praesens generale Capitulum praemissa diutius sufferre non valens seu volens, abbatibus de Claromonte et de Ursicampo et cuilibet eorum per se et in solidum committendo mandat, et sub censuris Ordinis districtius praecipit, quatinus quam citius commode poterint ad dictum monasterium aut alia loca, quae ad infrascripta peragenda aptiora iudicaverint, accedant, dictumque monasterium tam in capite quam in membris visitent, reforment, corrigant, emendent, instituant et destituant omnia et singula, quae secundum sacrae religionis nostrae instituta et privilegia apostolica, visitanda, reformanda, corrigenda, emendanda, instituenda et destituenda invenerint, seque debite, diligenter et sufficienter de et super praemissis regimen et administrationem dicti abbatis tangentibus informent, et informationes in scriptis notabilibus scriptotenus notent et reducant ; et si per debitam informationem culpabilem aut convictum ipsum, qui alias sufficienter pro emendatione vitae monitus fuit, emendare, ut dicitur, noluit, sive per privationem a dignitate abbatiali, sive per suspensionem aut alias secundum formam Ordinis et casuum exigentiam taliter puniant et corrigant, quod monasterii utilitati, animae suae ac honori consulatur, ceteris autem in exemplum transeat et terrorem ; praeterea dicto monasterio sic vel aliter quovismodo vacanti, dat generale Capitulum auctoritatem

et potestatem praedictis abbatibus et eorum cuilibet providendi, et disponendi de dicto monasterio taliter quod iuxta apostolica privilegia deinceps sanctae religionis observantia, vitaeque puritas secundum Ordinis formam observari possit et valeat, in plenaria Ordinis potestate.

137. Domino abbati de Firmitate necnon abbatibus de Caroliloco, s. th. pr., de Claromonte et de Valledulci, et cuilibet eorum in solidum committit praesens generale Capitulum, quatinus omnes et singulas Ordinis personas, quas per testes fide dignos, scedulas, litteras obligatorias, aut alia sufficientia documenta iusta teneri et obligari collegio Sancti Bernardi, cellerario, bursario aut cuicumque personae eiusdem collegii in aliquibus pecuniarum, vini, bladi aut quarumcumque aliarum rerum summis invenerint, ad debite et integraliter solvendum et deliberandum eisdem collegio et personis astringant aut compellant, in plenaria Ordinis potestate ; omnibus et singulis Ordinis personis in sacri presbyteratus ordine constitutis super hoc requirendis, districte sub poenis per dictos abbates aut alterum eorum taxandis et declarandis, mandans et praecipiens idem Capitulum generale, ut ad certos et competentes diem et locum seu dies et loca coram dictis abbatibus aut altero eorum citent.

138. Ad idem, de Caroliloco, s. th. pr., de Ioyaco et de Valledulci et eorum cuilibet, pro Prulliaco.

139. Pro Caroliloco iudices deputantur de Ursicampo, de Longoponte et de Vallibus Sernay, et eorum quilibet.

140. Pro Morimundo, de Firmitate, de Pontigniaco, de Crista, de Vallibus in Ornesio, de Caduino, et eorum alter.

CONTUMACES

141. Fratrem Georgium, professum monasterii de Novo castro, dudum priorem prioratus de Ramosa, ad secundum diem praesentis generalis Capituli debite et sufficienter citatum expectatumque et vocatum, nec per se aut alium comparentem, generale Capitulum contumacem reputat, rebellem et excommunicatum, mandans et praecipiens omnibus et singulis Ordinis personis in sacro presbyteratus ordine constitutis, quatinus dum et quotiens requisiti fuerint praesentem diffinitionem executioni demandent, dictum fratrem Georgium, ubi et quando opportebit, contumacem, rebellem et excommunicatum denuntiando et publicando.

142. Cum in novissimo generali Capitulo fratres Ioannes de Luco et Hugo de Monte albo fuerint per idem generale Capitulum contumaces, rebelles et excommunicati reputati, declarati et denuntiati, nihilominus permanentes et perseverantes suae salutis immemores in dictis excommunicatione, contumacia et rebellione usque nunc animo indurato perseveraverunt et perseverant; quapropter volentes eos per poenas temporales ad viam salutis reducere, praesens generale Capitulum, ipsos fratres aggravat et reaggravat, mandando omnibus abbatibus, prioribus, cellerariis, ceterisque officiariis Ordinis, ut dictos fratres ubi et quando oportebit et requisiti fuerint, contumaces, rebelles, excommunicatos, aggravatos et reaggravatos publicent et denuntient ipsos fratres, si eos apprehendere poterunt, capiendo seu capi faciendo, ac eos carceribus detinendo usque ad aliam generalis Capituli dispositionem.

EXCUSATIONES ABBATUM.

143. Ad instantiam christianissimi domini nostri regis Franciae requisitionem, qui requirit et rogat per suas litteras abbatem monasterii de Fontanis albis a generali Capitulo praesenti excusari, ipsum abbatem pro hoc praesenti anno benigne supportatum habet, eidem abbati mandando, ut in proximo futuro generali Capitulo, sicut debet et tenetur, compareat.

* * *

144. Diffinitiones anno praecedenti editas praesens generale Capitulum confirmat et ratificat.

145. Quia propter multiplicationem agendorum, praesentis Capituli materiae occurrentes commode non possunt hic apud Cistercium determinari, remittuntur ad reverendissimum dominum Cistercii, et ad illos dominos Diffinitores quos secum apud Divionem vel Belnam vocare dignabitur.

146. Cum[c] debita humilitate et reverentia supplicat R. D. Cisterciensem ut Italiam visitare dignetur.

---

[c] *Sic legitur apud M P[2] istud statutum, quod non est nisi abbreviatio statuti 16 anni 1488.*

1490

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo, in generali Capitulo apud Cistercium, statuta et diffinita sunt quae sequuntur.

ORATIONES

1. Pro sanctissimo [b]... *etc. ut in anno* 1484.
2. Praeterea pro serenissimo... *etc. ut in anno* 1484.
3. Insuper pro burgensibus... *etc. ut in anno* 1449.
4. Ceterum pro pace... *etc. ut in anno* 1449.
5. Demum pro felicis... *etc. ut in anno* 1470.

[DIFFINITIONES] GENERALES

6. Nos frater Ioannes, abbas Cistercii, ceterique Diffinitores Capituli generalis Cisterciensis Ordinis, notum facimus universis, quod in eodem generali Capitulo, die 14 mensis septembris anno Domini M.CCCCXC, apud Cistercium celebrato facta fuit quaedam diffinitio cuius tenor sequitur et est talis: Cum sicut in singulis communitatibus debite gubernatis fieri conspicitur, partes universae pro totius sublevatione, conservatione, procuratione et defensione non solum substantiae temporalis portionem, verum etiam quandoque vitam dulcissimam exponant [c]; ita quoque ab exordio sacri huius Ordinis patres singulis annis ad procuranda tanti Ordinis negotia iuxta agendorum exigentiam, nedum immensos labores, sed et certas magnasque super quolibet Ordinis monasterio pecuniarum summas [d], quas contributiones vocabant, pensatis locorum facultatibus, quolibet anno imponere, illasque tamquam veri reipublicae Ordinis ama-

---

1490. *Fontes* : *L^6* : 1-73 ; *M abbrev.* 10 ; *P^2* : 1, *abbrev.* 6, 10, *et* 11 ; *in libr, cui titulus* PRIVILEGIA ORD. CISTERC. *impresso Divione a Petro Metlinger,* 1491, *opera et impensa Ioannis de Cireyo, Cist. abbatis, legitur statutum* 6, *et deinde summarium statutorum generalium huius anni.*

[a] *Titulus apud L^6 tant.* [b] Innocentio 8° pontifice ; *etc. ut in anno* 1488 : *P^2*.

[c] exponunt : *L^6*. [d] sommas : *text. impr.* 1491.

tores universi prompto et hilari animo ad generale Capitulum afferre curabant ; alioquin nunquam tanta tamque excellentia impetrari privilegia, aut in tantum ipsius Ordinis decus ultra vitae et meritorum sanctimoniam sublimari valuissent. Verum quia tractu temporis in dividendis, assignandisque huiusmodi contributionum summis super quolibet monasterio nonnunquam graves inter deputatos controversiae seu dissensiones oriebantur et ventilabantur ; pro pace et quiete inter eos tempore felicis recordationis domini Benedicti Papae XII, sacri huius Ordinis professi, florente Ordine, et in suo vigore laudabiliter subsistente, patres sancta et religiosa cogitatione cupientes Ordinem iugiter pacifice in suis libertatibus, privilegiis et quiete conservari, necnon quaeque ipsius agenda in Curia romana, in Capitulis generalibus, in collegiis et Universitatibus, in impetrationibus privilegiorum, in legationibus commissariorum et nuntiorum ad principes et universa ipsius Ordinis negotia prospere et feliciter communibus expensis dirigi, tractari et procurari, certas dictarum contributionum annualium summas cuilibet monasterio limitatas taxaverunt et imposuerunt. Videntes autem multiplicia tanti Ordinis negotia per universam mundi latitudinem diffusa et certa varia ac gravissima. ut omnis rectus et expertus iudicare potest oculus, sanxerunt summam novem millium librarum pro ordinaria et annua procuratione seu directione dictorum agendorum Ordinis fore neessariam. Ob hoc minorem et annuam contributionum taxam novem millium librarum super monasteriis imposuerunt. Sed quia saepius alia magis ardua supervenire solent negotia, aliam dictarum contributionum ordinaverunt duodecim millium librarum taxam. Si autem graviora imminerent agenda, ut sunt impetrationes privilegiorum et similia, quae non nisi magnis expediri valent impensis, aliam octodecim millium librarum taxam deputaverunt, et pro extremis seu maxime arduis necessitatibus quartam scilicet viginti quatuor millium librarum taxam astallaverunt, prout antiqua et recentia Ordinis registra luce clarius haec omnia ostendunt. Et his mediis cum generale Capitulum quolibet anno considerans tunc currentes Ordinis necessitates, unam dictarum taxarum solvendam declaret in promptu absque ulteriori vacatione, seu expensis, quilibet, quantum solvere teneretur, recognosceret. Et quamdiu more pacifico certis annorum curriculis rem tanti Ordinis sub ista forma procurarunt, Ordinis personae, et ad bonum commune

Ordinis se devotas et ferventes, ut praemittitur, exhibuerunt, tamdiu Ordo ipse quietus, liber et reformatus in sanctimoniae excellentia, famae gloria et bonorum temporalium opulentia floruit ; postmodum nonnullorum charitate paulatim refrigescente, submissaque sancta et pia affectione ad bonum commune multis potius sua propria et particularia curantibus commoda, ac omissa generalium Capitulorum frequentatione, ambitiosorum inordinatus appetitus seu aviditas ad invadendum monasteria et loca regularia ipsius Ordinis excrevit, hisque et aliis mediis Ordo tandem multifarie laesus plurimum disruptus et ad pauperiem miserabilem redactus faciliter absque sufficienti defensione persequentium praeda facta videtur, adeo ut iam maiorem potiorum monasteriorum partem in commendam occupaverint, et heu ! paternis [e] moribus abiectis, peregrini et a prioribus alieni ritus introducti conspiciuntur. Ex quibus, ut clare liquet, monasteria ad non minus incredibilem quam lamentabilem in utroque statu deducta sunt ruinam. Succreverunt insuper iuxta mundanae infelicitatis vertibilitatem occasiones non parvae desolationis et extinctionis monasteriorum utriusque sexus, propter quas magna eorum pars, tum quia destructa, aut aliis ecclesiis et Ordinibus unita, tum quia fortissimis manibus sunt commendata, nihil de dictis contributionibus solvant ; alia vero monasteria a centum annis et amplius propter guerrarum turbines et inde sequentes locorum desolationes, vix quartam aut quintam dictae astallationis novem millium librarum partem pauca medietatem et paucissimae partem suam dictae astallationis contulerint seu solverint, paucioribus exceptis, quorum taxae fuerunt perminimae ; plures vero etsi ex tunc superna miseratione fuerint locupletati, in nullo tamen summam tunc eis, cum essent pauperes iuxta facultatem illius temporis impositam, aut cuiusdam moderationis postea propter guerrarum vastitates intuitu pietatis factae transire, seu agere pro aliorum supportatione voluerunt, sed communiter difficiliores reperiuntur, unde his et aliis pluribus mediis in tantum dictae contributiones extenuatae sunt, ut communibus annis vix mille ducentarum aut raro trecentarum librarum turonensium summam, et saepe minus, ut clare docent computationes, complere valuerunt. Quae quidem summa communibus et annuis inevita-

[e] pristinis : *L*²

bilibus expensis, ut sunt Capituli generalis reddituum per Ordinem debitorum, collegiorum Ordinis et similium a centum annis nullatenus sufficere potuerit. Ob hoc necesse fuit et est, singulis annis expensas Ordinis superare receptam, quandoque in CCC., quandoque in CCCCC [f], quandoque in M. libr. et amplius, et Cisterciense de propria sui monasterii paupertate summas Ordini praestare et ei succurrere ; indeque debita Ordinis ad Cistercium tam nova quam antiqua crescere. Merito itaque plangens Ordo sanctus clamare cogitur, *infirmata est in paupertate virtus mea.* Interim plures Ordinis amatores ipsius ardenter restaurationem in utroque statu sitientes, licet contributionum taxam, ut poterant solverent, nihilominus videntes alios aut nihil aut valde parum solvere, se tamquam gravatos conquerentes a murmure corda et ora vix poterant coercere ; plures quoque censurarum fulminationes minus iusto timentes et manum claudentes Ordinis receptam quasi ex toto vacuam reliquerunt. Porro ingravescentibus et ultra modum praevalentibus variis persecutionibus Ordinis praesertim per commendas quasi ubique serpentes per monasteriorum alienationes, permultorum ordinariorum monasteria suis iurisdictionibus submittere, et ab eis subsidia extorquere nitentium exquisita molimina, ne tam gloriosum sanctae matris Ecclesiae membrum miserabiliter indefensum rueret, Altissimo a paucis annis quorumdam zelatorum corda excitante, cum maioris et acrioris persecutionis tempore opus sit vigilantiores resistentias et defensiones adhibere, ut apud Sedem Apostolicam et alibi remedia diligenter quaererentur concluserunt. Idcirco diversis vicibus Capitulum generale reverendissimos dominos abbates Cistercii, praesertim modernum et eius praedecessorem, instantissimis precibus rogavit, ut pro sui Ordinis restauratione Sedem peterent Apostolicam. Qui quidem operi sancto vires liberaliter applicantes amplissima et dignissima obtinuerunt privilegia, variasque per se et per alios ad principes, ad iustitiarum curias et ad reliquos orbis moderatores per se vel per alios exercuerunt legationes ; ex quibus Ordo iam, Domino miserante, in utroque statu respirare et renovare conspicitur. Ad quorum omnium expensas necessarias utrinque ferendas generalis Capituli providentia priscorum mores ac laudabiles aliarum communitatum consuetudines imitando, certa tunc

---

[f] CCCC : *L*[2].

decrevit super totum Ordinem charitativa imponere subsidia, quae tamen ratione et ad causam praemissorum vix pro medietate soluta fuerunt aut recepta, annuis tamen contributionibus propter dicta subsidia quasi totaliter illis annis cessantibus. Cumque nec ista tantis Ordinis necessitatibus sufficerent, necesse fuit per dictum generale Capitulum nonnullas in bancho ad interesse accipere pecunias ; opus siquidem erat aut miserabilibus oculis ultimam et irreparabilem Ordinis ruinam aspicere, aut cum talibus expensis saltem tunc remedia procurare opportuna. Praemissis insuper Ordinis calamitatibus et miseriis multis mediis et occasionibus ad Sanctissimi domini nostri aures pervenientibus, ut innata bonitate paternis affectibus sacro Ordini ab ineunte aetate afficitur, inter cetera sub gravissimis censuris, iteratis vicibus per apostolica scripta in forma rigorosa patribus generale Capitulum celebrantibus mandavit et praecepit, quatinus pro communi Ordinis statu feliciter dirigendo et relevando omni cum diligentia et studio contributiones huiusmodi de novo habitu respectu ad praecedentes taxas, et ad modernum cuiuslibet monasterii valorem taxarent, limitarent, determinarent, assiderent, et cuilibet monasterio in particulari imponerent, aliaque Ordinis debita diligenter sub eisdem poenis quibuslibet abbatibus, commendatariis, et monasteriorum officialibus mandans quatinus summas, sicut praemittitur, per generale Capitulum determinatas et impositas, seu determinandas et imponendas integraliter deputatis commissariis Ordinis et abbatis Cistercii, annis singulis, terminis ac locorum per eos assignandis persolvent, ut defensioni ac directioni Ordinis deinceps applicentur, magna sub poenarum ecclesiasticarum interminatione inhibendo, ne quisquam de dictis contributionibus absque dicti Capituli aut domini Cistercii mandato expresso et ordinatione quicquam recipere aut retinere, seu quovismodo impedire praesumat. Quibus naufragiis, malis et inconvenientibus superius enarratis praesens generale Capitulum pro viribus occurrere et mandatis Sanctissimi patris iustissimis quidem ac Ordini pernecessariis obtemperare, necnon Ordinem a talibus miseriis, usurarumque voraginibus, et debitorum involutionibus liberare, ac ipsum Ordinem ad pristinum integritatis statum restaurare cupiens, et ut iam obtenta privilegia inconcussa et integra observari possint ; maxime vero ne amplius subsidia quaecumque ultra dictas contributiones ordinarias pro huiusmodi rebus com-

munibus Ordinis super Ordinem, praesertim super monasteriis religiosorum imponere necesse sit, sed omnia regulariter et quiete sicut prosperitatis tempore olim fieri solebat, in eo semper fiant matura deliberatione et probitatis aequitate, ac unanimi omnium sententia insequendo conclusionem anno Domini M.CCCC. LXXXVIII per generale Capitulum super hoc factam et confirmatam, valore et facultate cuiuslibet monasterii per debitam informationem, huiusmodi contributionum summis usque ad aliam Capituli generalis dispositionem in uno volumine seu codice moderando et ordinando taxavit, limitavit, ordinavit, astallavit et cuilibet monasterio, ut praemissum est, imposuit, ac tenore praesentis diffinitionis taxat, limitat, ordinat, astallat, et cuilibet monasterio imponit, prout in dicto volumine seu codice super hoc confecto, et praesentialiter notariis dicti Capituli generalis porrecto plenius continetur ; eisdem notariis praecipiens, quatinus dictum volumen seu codicem fideliter transcribant, et cum aliis rebus Ordinis apud Cistercium servandum reponant, cassatis omnino revocatis et annullatis tam apostolica quam Ordinis auctoritate quibuscumque aliis limitationibus, astallationibus gratiis aut taxis, per quoscumque huc usque super dictis contributionibus factis et ipsis ad praesentem declarationem seu taxam reductis, necnon commissionibus aliis quibuscumque super contributionibus aut subsidiis ad quodcumque temporis spatium concessis, religiosis ac devotis affectionibus universos monasteriorum Ordinis abbates, commendatarios, priores, rectores, receptores, procuratores, bursarios, cellerarios, officiarios, administratores, admodiatores, seu arrendatores, tam religiosos quam saeculares, cuiuscumque dignitatis, status, vocationis aut conditionis existant, benigne admonens et exhortans ; et nihilominus eis et cuilibet eorum districtius apostolica et Ordinis auctoritatibus in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis, necnon suspensionis ac etiam privationis a suis dignitatibus et officiis latae sententiae poenis ac censuris in litteris apostolicis, statutisque et diffinitionibus Ordinis expressis et contentis mandans et praecipiens, quatinus praemissa mente devota recogitando, seque veros et bonos Ordinis filios et fideles amatores, ut tenentur, ostendendo et exhibendo summas dictarum contributionum eorum monasteriis, ut praemissum est, impositas, seu potius moderatas, et renovatas, regulatas, et ad iustitiae limites reductas et astal-

latas, cum restis seu arreragiis tam dictarum contributionum quam subsidiorum, praesertim a quindecim annis novissime transactis, debitis, prompte et absque dilatione ad opus sanctum Ordinis commissariis et eorum deputatis, temporibus et locis, secundum patriarum et locorum considerationem per reverendissimum dominum nostrum Cisterciensem, seu commissarios vel eorum deputatos praefigendis et assignandis, ad integrum solvant, vel persolvi faciant ; si autem praemissorum abbatum, commendatariorum, priorum seu officiariorum causa vel culpa aut negligentia seu dilatione aut recusatione ad eos vel eorum monasteria propter non solutionem huiusmodi taxarum locis et temporibus, ut praemissum est, assignatis fuerit per dictos commissarios secundo aut tertio vel pluries remittendum, sub dictis poenis cum taxa seu sorte principali etiam expensas rationabiles super hoc factas iuxta dictorum commissariorum arbitrium indilate persolvant, ut vel sic singulis annis Ordo perfecte statum suum in Capitulo generali cognoscat. Quorum omnium speciales commissiones et distributiones, ipse reverendissimus pater noster Cisterciensis assignare, mutare et disponere poterit, prout et quotiens Ordini magis congruere viderit. Quocirca praesens generale Capitulum de discretione, providentia et fidelitate moderni abbatis monasterii de N. ad plenum confidens, committendo sibi tenore praesentium, in virtute salutaris obedientiae et sub poenis infrascriptis, nisi Ordinis imo verius apostolicis paruerit mandatis, mandat et praecipit, quatinus omnibus et singulis excusationibus cessantibus et postpositis, sive per se, sive per subexecutores seu receptores aut collectores seu nuntios speciales, sive religiosos sive saeculares, per eum deputandos infra viginti dies receptionem praesentis diffinitionis immediate sequentes, super quo eius conscientiam coram Deo oneramus, omnem possibilem et indissimulatam faciat et adhibeat diligentiam exsequendi, et ad effectum deducendi et deduci faciendi, praesentem diffinitionem, et si personaliter vacare et ad loca ire non poterit, hoc ipsum per praedictos suos subdelegatos vel deputatos, seu collectores aut nuntios diligenter exsequi faciat, dando eis, vel cuilibet eorum nomine Ordinis, auctoritatem, facultatem et potestatem petendi, exigendi, requirendi, levandi et percipiendi omnes et singulas huiusmodi dictarum contributionum summas et quottas monasteriis infrascriptis, ut praemittitur, taxatas et impositas, cum restis et arreragiis tam

contributionum quam subsidiorum praecedentium, praesertim a quindecim annis novisime transactis; de receptis quoque bonas et validas quittantias faciendi seu fieri procurandi. Summas autem receptas cum claris et integris computationibus illico et diligenter ad praefatum reverendissimum dominum nostrum Cisterciensem pro rebus Ordinis transmittat, seu in bancho ad solutionem debitorum Ordinis iuxta ipsius R. D. Cisterciensis ordinationem reponat, quittantias bonas a banchariis recipiendo. Contradictores vero et rebelles seu solvere renuentes aut differentes, seu quittantias a dicto tempore quindecim annorum eis ostendere nolentes aut differentes seu dissimulantes, si in eorum facultate, tam abbates, commendatarios, priores, cellerarios, bursarios, rectores, receptores, procuratores, admodiatores seu arrendatores, quam quoslibet dictorum monasteriorum officiarios seu administratores, tam religiosos quam saeculares, cuiuscumque dignitatis, status, praeeminentiae aut conditionis existant, ut taxas et quottas dictarum contributionum dictis monasteriis, ut praemittitur, impositas et inferius subscriptas cum restis et arreragiis tam contributionum quam subsidiorum et expensis rationabilibus, ut praemissum est, et secundum declarationem praemissam infra tempus et in loco competenti per ipsum commissarium praefigendis, et per deputatum seu collectorem ab eo deputatum declarandis seu denuntiandis in casu supradicto, et in forma saepius declarata sub excommunicationis, aggravationis, necnon suspensionis et interdicti, ac etiam privationis a suis dignitatibus, administrationibus, officiis et beneficiis, necnon inhabilitatis ad quaecumque beneficia, officia ecclesiastica habenda aut obtinenda, ac sub aliis sententiis, censuris et poenis, latius in privilegiis apostolicis novis et veteribus, ac in statutis et diffinitionibus Ordinis contentis et declaratis, apostolica et Ordinis auctoritatibus praefatis palam et publice, necnon, et si opus sit, per affixionem ad valvas ecclesiarum, seu alias prout melius sibi visum fuerit expediens, realiter et cum effectu sibi solvant, moneat et requirat; et casu quo praedicti sic moniti aut aliqui eorum mandatis et monitionibus sibi modo praemisso factis, infra terminum monitionis, quod absit, parere, obedire seu obtemperare recusaverint, vel contempserint, aut neglexerint, appellationis obstaculo iuxta apostolicum decretum non obstante, et in nullo executionem praesentem impediente, eosdem et quemlibet eorum ad docendum et legitimam fidem faciendum, scilicet

eisdem litteris monitoriis iuxta et secundum earum formam et tenorem realiter et cum effectu paruisse, obedivisse et obtemperasse primo, secundo, tertio, ac pro prima, secunda et tertia dilationibus et deinde quarto ex abundanti, ad omnem ipsorum duritiam convincendam et ultimo ad videndum se excommunicationis, suspensionis et interdicti aliasque sententias, censuras et poenas in praefatis litteris apostolicis, statutisque et diffinitionibus Ordinis contentas, ob et propter non paritionem litterarum monitoriarum huiusmodi incidisse et incurrisse declarari; sententiamque declaratoriam desuper in scriptis ferri et promulgari, vel dicendum et causam, si quam habeant allegandum, incidisse et incurrisse declarari, sententiamque declaratoriam contra tales inobedientes et rebelles in scriptis ferri et promulgari ipse abbas monasterii de N. citari faciat et eosdem inobedientes et rebelles sententias et censuras ecclesiasticas, in eisdem litteris monitoriis contentas, ob et propter non paritionem earumdem incidisse et incurrisse sententialiter declaret, ac sententiam declaratoriam contra eosdem inobedientes et rebelles in scriptis ferat et promulget. Et deinde si opus fuerit, et aliqui huiusmodi sententias sustinendo non paruerint, prout iuris fuerit, iuxta dictarum litterarum apostolicarum tenorem, adversus eos procedat. Ceterum pro conscientiarum securitate praesens generale Capitulum eidem abbati monasterii de N. auctoritatem et facultatem omnibus et singulis praefatis, qui forte propter non paritionem, seu in praemissis quascumque sententias, censuras et poenas, seu aliquas earum incurrerint, summas principales cum restis praedictis et expensis rationabilibus persolverint munus absolutionis conferendi, et cum eis super irregularitatibus inde contractis dispensandi, concedit et indulget sub dictis poenis et censuris, inhibendo ne quicumque praetextu quarumcumque pecuniae summarum sibi aut alteri seu cuicumque monasterio per Ordinem, ut praetendit debitarum seu alias quicquam de summis praedictis contributionum et restarum retinere, seu per se vel alium sibi applicare, aut quomodolibet alias quam ut praemissum est, directe vel indirecte quacumque via impedire praesumat; denique ad vitandum errorem, qui saepe in recepta contributionum huiusmodi circa monetarum aestimationem seu valorem in diversis regionibus contingere solet, praesens generale Capitulum pro pace filiorum Ordinis edicto firmissimo declarat, ut per libras in Francia, Gallia cisalpina intelligantur librae

turonenses, in Italia, provinciis transalpinis et Ungaria ducati, in tota Germania regnisque et dominiis adiacentibus floreni renenses, in Anglia, Scotia et Hybernia, salutia, in Hispania, Portugallia etc., floreni arragonenses. Praesenti commissione quoad superius nominatum commissarium per immediatum sequens triennium dumtaxat in suo vigore duratura.

Datum in Diffinitorio nostro Cisterciensi sub appensione sigilli nostri, anno, mense et die praedictis. Sequuntur nomina et quottae dictorum monasteriorum.

7. Cum Ordo noster Cisterciensis universaque et singula membra et bona, tam in communi et particulari, et personae specialiter et expresse veraciter et iuste, domino abbati et conventui monasterii Cistercii ac ipsi monasterio Cisterciensi, sit obligatus in summa 25488 francorum seu florenorum aureorum, 3 gross. argenteorum de antiquo debito, ut plenius constat per litteras patentes desuper die 13 mensis septembris, anno Domini M.CCC.XC confectas, quas praesens generale Capitulum ratificat, approbat et gratis habet, necnon in summa 7400 francorum, 11 gross., 3 denariorum turonensium, pro resta computationum Capituli generalis anni immediate praecedentis et praecedentium, nulla mentione hic facta de recepta ultimorum subsidiorum, quia nondum sunt arrestata, de et pro toto tempore praeterito, et oporteat Ordinem ipsum varia et gravissima onera sibi incumbentia quotidie ultra consuetudinem occasione diversarum infractionum privilegiorum Ordinis et vexationum plurium insolitarum succrescentia necessario supportare, quae absque multiplicibus et solito gravioribus expensis solvi, tractari et supportari non possunt, praesens generale Capitulum Sanctissimi domini nostri domini Innocentii divina providentia Papae VIII praecepta et mandata quibus sub gravissimis censuris praecipit Capitulo generali et Diffinitoribus, ut post debitam informationem valoris monasteriorum dictas contributiones de novo, taxent, limitent, astallent, et imponant cuilibet monasterio iuxta cuiuslibet facultatem seu substantiam, ita ut ex eis praedicta et alia Ordinis debita persolvi et dicta Ordinis agenda tam in romana Curia, in collegiis et aliis quibuslibet locis pertractari ac dirigi, dictique Ordinis privilegia et libertates commode tueri et defendi valeant, eo devotius et promptius adimplere, et ad effectum deducere cupiens per aliam diffinitionem et ordinationem specialem super huiusmodi contributionum dis-

tributione, astallatione et dispositione laboravit, quo intimius cognovit astallationem, declarationem, taxationem et dispositionem huiusmodi in maximam totius Ordinis cedere utilitatem, antiquum sanctorum patrum super his ritum et formam qua valet industria, sollicitudine et diligentia prosequens summas in dictis astallatione, taxatione, et dispositione contributionum expressas cuilibet monasterio in particulari tam apostolica quam totius Ordinis auctoritate imponit, taxat et astallat, prout expressius continetur in registro per generale Capitulum super hoc matura cum deliberatione, ut praemittitur, facto et concluso. Universis et singulis abbatibus, commendatariis, prioribus, cellerariis, bursariis, receptoribus, officiariis et procuratoribus monasteriorum, sub poenis et censuris in litteris apostolicis, et in dicta diffinitione hoc anno edita, quae incipit : Cum sicut in singulis, etc. ceterisque statutis et diffinitionibus Ordinis contentis praecipiens et iniungens, quatinus summas et quottas ipsis monasteriis suis pro dicta contributione, nisi per dominum Cisterciensem moderentur, integraliter et sine diminutione commissariis per dictum generale Capitulum, vel per dominum Cistercii deputatis aut eorum receptoribus, seu executoribus vel deputatis, infra tempus per eos rationabiliter praefigendum tradant et persolvant iuxta dictae diffinitionis tenorem, alioquin excommunicationis et aliarum censurarum ecclesiasticarum per eosdem commissarios et receptores declarandas et promulgandas, et in non solventes huiusmodi quottas sibi et monasteriis suis impositas latas et ferendas apostolica et Ordinis auctoritate se noverint incurrisse. Receptores vero principales et speciales huiusmodi contributionum et arreragiorum constituit dictum generale Capitulum reverendissimum dominum Cisterciensem per se vel per alios ab eo deputandos, necnon commissarios per generale Capitulum aut per dominum Cistercii deputatos vel deputandos ; quibus commissariis idem generale Capitulum dat et concedit potestatem et mandatum speciale petendi et exigendi per se vel deputatos suos aut executores seu commissos, ac etiam levandi et recipiendi dictas contributiones seu contributionum quottas, secundum quottationem, astallationem et taxationem, ut dictum est, anno praesenti factam cum restis seu arreragiis a decem vel duodecim annis immediate transactis, de receptis bonas quittantias faciendi, dandi et expediendi, contradictores seu seu rebelles aut solvere nolentes vel differentes per dictas cen-

suras ecclesiasticas, necnon per aggravationem, reaggravationem, publicationem, denuntiationem, affixionem, ad omnium ecclesiarum et locorum publicorum valvas seu portas, ac per omnem aliam iuris et iustitiae viam possibilem indissimulanter ad solvendum terminis assignandis compellendo, appellatione iuxta əper ctumapostolicum non obstante. Et nihilominus resipiscentes et dictas summas cum restis et expensis solventes a praefatis censuris, si humiliter requirant absolvere, et cum eis super irregularitate, occasione praemissa contracta, dispensare valeant. Dictis receptoribus sub dictis poenis et censuris praecipiens et iniungens, quatinus totum vel quidquid de dictis contributionibus receperint, immediate sequenti Capitulo generali, vel domino Cisterciensi, legitimo cessante impedimento, fideliter cum integro et fideli computi tradant vel transmittant, nisi eas per domini Cistercii ordinationem pro oneribus et agendis Ordinis alibi persolverint. Universis autem abbatibus, commendatariis et monachis, ceterisque regularibus personis totius Ordinis inhibet praesens generale Capitulum sub excommunicationis latae sententiae poena, necnon sub censuris praefatis, ne quacumque de causa dictas contributiones seu earum restas aut arreragia recipere, vel aliquid de eis, nisi de licentia speciali generalis Capituli vel domini Cistercii, retinere seu aliter quam ut praemittitur disponere praesumant, etiam si dicerent sibi vel suis monasteriis per Ordinem vel per dictum generale Capitulum aliquos redditus vel proventus vel quaslibet pecuniarum summas deberi, invocato, etc. Datum, etc.

8. Abbates Ordinis universi, qui ad praesens generale Capitulum non venerunt, *etc. ut in anno* 1401, *n*o 6. Solos autem et dumtaxat abbates infrascriptos, qui impedimentum seu licentiam habentes huiusmodi de ipsis debitam fidem fecerunt, secundum dicta papalia instituta, ut constat eidem Capitulo, habet ipsum Capitulum in de et super hoc favorabiliter excusatos, scilicet Caroliloci, de Insula Barrensi, de Maceriis, etc.

9. Omnes abbates Ordinis, qui ad praesens generale Capitulum, prout tenentur venire, non venerunt, et qui legitimas excusationes, prout in statutis Ordinis continetur, non miserunt, praesens generale Capitulum illos declarat incurrisse poenas, sententias et censuras in statutis et privilegiis eiusdem Ordinis, novis et veteribus, contentas et expressas, ipsos et eorum quemlibet nihilominus ad proximum futurum generale Capitulum

citando, praesentis diffinitionis executionem omnibus et singulis personis Ordinis in sacro presbyteratus ordine constitutis committendo.

10. Non sine gravi displicentia suscipiens generale Capitulum temeritatem et abusum quorumdam abbatum et personarum Ordinis, qui suae salutis immemores sanctorum patrum nostrorum mandata, statuta et ordinationes contemnentes et vilipendentes, ut Ordinis iurisdictionem aut patrum et commissariorum punitionem et correctionem subterfugiant seu evadant, aut aliqua contra Ordinis libertatem aut generalia seu particularia ipsius Ordinis instituta impetrare et obtinere valeant absque licentia petita et obtenta reverendissimi domini nostri Cisterciensis aut Capituli generalis romanam Curiam personaliter adire aut suos religiosos et nuntios mittere non verentur, nec formidant in eadem sine scitu et consensu procuratoris generalis Ordinis sua particularia facta et causas prosequi et sollicitare, ac etiam, quod deterius ac intolerabilius est, quidam ut Ordinis unitatem disrumpere, aut se ab Ordine eximere seu segregari possint et valeant, et ut facilius attentata et iniuste per eos cupita obtinere possint, alios particulares procuratores in suis causis instituunt, creant et ordinant, poenas, censuras et sententias contra tales, iam per generalia Capitula vicibus diversis editas, inflictas et promulgatas incurrendo, ac in eis miserabiliter et damnabiliter perseverando. Quibus malis, inconvenientiis, abusibus et scandalis, obviare ac de remedio opportuno providere cupiens generale Capitulum, approbando, ratificando et confirmando diffinitiones dudum super talibus factas, omnibus et singulis abbatibus, prioribus, monasteriorum rectoribus, officiariis, ceterisque regularibus personis Ordinis cuiuscumque status, sexus, dignitatis, conditionisve existant, sub excommunicationis latae sententiae poena, privationis a suis dignitatibus, officiis et administrationibus, ac incarcerationis poenis districte inhibet idem Capitulum generale ne de cetero ad romanam Curiam propter quamcumque causam aut occasionem, nisi tamen a Summo Pontifice specialiter et per breve aut litteras apostolicas mandati essent, nisi prius causa manifestata R. D. N. Cisterciensi aut generali Capitulo, et ab eisdem aut altero ipsorum petita et obtenta licentia, vadant aut mittant ; ne etiam de cetero in eadem Curia romana quidquam attentare, petere, impetrare, prosequi aut sollicitare quomodolibet praesumant, nisi

cum scitu et expresso consensu procuratoris generalis, qui pro tempore fuerit per generale Capitulum ibidem institutus, nec alios procuratores particulares in suis causis et agendis ordinent aut instituant praeterquam procuratorem generalem Ordinis, vel ab eodem deputatum et ordinatum, seu deputatos et ordinatos, eidem procuratori generali mandans et praecipiens idem Capitulum generale in virtute sanctae obedientiae et sub poenis praemissis, quatinus omnes et singulos Ordinis professos, quos huiusmodi diffinitionis contradictores aut rebelles invenerit, capiat seu capi faciat, incarceret et detineat, ac secundum delictorum suorum exigentiam expensis suis aut monasteriorum suorum rationabilibus taliter puniat, corrigat et castiget, quod ipsorum correctio et debita punitio et emendatio ceteris transeat in exemplum et terrorem, invocato, etc. Omnibus, etc.

11. Manutenentiae et conservationi honesti status procuratoris generalis in Curia romana ad eiusdem Ordinis decus et gloriam providere cupiens praesens generale Capitulum statuit, ordinat, diffinit, ut quicumque novus electus aut promotus in quocumque monasterio aut loco Ordinis cuiuscumque status, gradus, dignitatis, conditionis, sexusve existat, qui ad Curiam romanam pro sua confirmatione aut nova provisione obtinenda ierit, aut miserit, antequam Urbem exeat, suis tamen rebus et negotiis diligentia et sollicitatione seu de consensu eiusdem procuratoris generalis Ordinis expeditis et perfectis, eidem procuratori decem ducatos auri de camera pro suis laboribus et status sui manutenentia tradat et solvat, seu tradi et deliberari faciat, cui procuratori generali praesens Capitulum generale dat auctoritatem, potestatem et facultatem omnes et singulos, quos huiusmodi statuti ordinationis et diffinitionis rebelles, contradicentes et solvere dictam summam decem ducatorum renitentes aut nolentes invenerit, per omnes iuris et iustitiae vias ac Ordinis et ecclesiasticas censuras, sententias et poenas compellendi seu compelli faciendi et procurandi, in plenaria Ordinis potestate.

[DIFFINITIONES] SPECIALES

12. Cum olim ex parte Capituli generalis expresse sub excommunicationis latae sententiae poena aliisque gravissimis poenis, mandatum fuit abbati monasterii de Bardonis, ut privilegium domini Martini Papae V super declaratione exemptionis a

solutione decimarum dudum per Ordinem maximis sumptibus et expensis a Sancta Sede obtentum, restituere ac in archivis Cistercii cum aliis Ordinis privilegiis recondendum transmitteret, ipsaque praecepta eidem abbati, ut patet per relationem executoris, eidem abbati nuntiata et intimata fuerint, ipse autem nihil facere voluerit aut curaverit, poenas huiusmodi miserabiliter et animo indurato incurrendo, cuius duritiam et inobedientiam amplius ferre non valens praesens generale Capitulum ipsum abbatem poenas praedictas, ex mandato eiusdem Capituli indictas incurrisse, et in eas incidisse, denuntiat et declarat, ipsi nihilominis iterum sub excommunicationis et aggravationis latae sententiae, necnon privationis a dignitate abbatiali poenis districte mandat et praecipit, ut infra proximum generale Capitulum per se aut per certum nuntium expensis propriis reddere et restituere habeat originale dicti privilegii in manibus R. D. N. Cisterciensis apud Cistercium, aut priori eiusdem loci ; executionem praesentis diffinitionis primo abbati seu religioso Ordinis in sacro presbyteratus ordine constituto, super hoc requirendo, committendo.

13. Cum R. D. N. Cisterciensis magna cum instantia et supplicatione dominorum Diffinitorum Capituli generalis visitandi et reformandi monasteria et loca regularia in partibus transalpinis situata acceptaverit, illaque visitando et reformando plura sanctae religionis observantiam atque monasticam disciplinam, necnon utilitatem, prosperitatem ac honorem monasteriorum et locorum praedictorum tangentia, maxime monialium in praeclara civitate Placentina, atque in circuitu eiusdem existentium, cum consilio et matura deliberatione ac labore fructuoso magnificorum dominorum ad reformationem religionum ibidem deputatorum ordinaverit, statuerit, mandaverit, atque ea sub certis poenis personis regularibus eorumdem monasteriorum et locorum observari onus dictorum monasteriorum fratri Lucae de Tersago in spiritualibus committendo. Nihilominus abbas Reigniaci, s. th. pr., qui ad visitationem et reformationem dictorum monasteriorum per generale Capitulum anno immediate praeterito deputatus et ordinatus ad instigationem nonnullorum de Ordine, ut creditur, qui Ordinem deordinare nituntur, commissione seu auctoritate sibi tradita, abutendo omnia et singula, quae ipse R. D. N. Cisterciensis, ut praefertur, fecerat et ordinaverat, infringere, cassare et annullare, et in aliam formam

transferre, ipsasque moniales improvisas relinquere praesumpsit, ac dictum fratrem Lucam de Tersago indebite vexando ab onere et officio sibi per eumdem R. D. N. Cisterciensem impositis absque causa saltem iusta destituit et privavit, alias ordinationes conficere et ordinare. Quae omnia in vituperium et gravamen auctoritatis eiusdem R. D. N. Cisterciensis ac totius Ordinis scandalum non modicum ac derisum totius populi cedunt enormiter. Quibus abusibus, scandalis et malis occurrere ac de remedio opportuno providere cupiens praesens generale Capitulum omnia et singula, quae ipse abbas Reigniaci tam contra ea, quae ipse R. D. N. Cisterciensis in praefatis monasteriis et locis fecerat, ordinaverat et mandaverat, quam etiam adversus dictum fratrem Lucam facere et attentare praesumpsit, cassat, revocat et annullat, ac omnia et singula per eumdem R. D. N. Cisterciensem ibidem mandata, statuta et ordinata, ut praemissum est, in illum statum quem ipse posuit et ordinavit, reducit et reponit, in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae poena omnibus et singulis abbatissis et personis regularibus eorumdem monasteriorum et locorum regularium mandans et praecipiens idem Capitulum generale, quatinus ordinationibus dicti abbatis de Reigniaco omnino reiectis, eidem R. D. N. patri et supremo omnium nostrum humiliter et devote obediant, praedictumque fratrem Lucam recipiant et admittant, atque eidem prout eis iniunctum est iuxta praefati R. D. N. Cisterciensis mandatum pareant, nec praesumant de cetero quidquam in contrarium admittere seu recipere ; executionem huiusmodi diffinitionis cuilibet abbati Ordinis, et in absentia abbatis omnibus prioribus et monachis Ordinis in sacro ordine sacerdotali constitutis, super hoc requirendis committendo. Datum, etc.

14. Ad idem, de monasterio Sanctae Ursulae Bononiensi, de confessore expulso, etc.

15. Abbati de Caroliloco, s. th. pr., praesens generale Capitulum committit, ut de emendatione, poenitentia et congrua satisfactione fratris Ioannis de Sancto Patrisio, qui, ut ad aures praesentis generalis Capituli deductum est, per saeculum evagando contraxit contubernium sub specie matrimonii, perstititque sine habitu per 22 annos vel circiter, quamvis semel coactus ad monasterium redierit, sed iterum apostatavit et in habitu saeculari celebravit, finaliter compunctus rediit, poeni-

tentiamque pro perpetratis sustinuit et adhuc, ut dicitur, sustinet, cum eodem fratre dispensare possit et valeat, atque ipsum absolvere ac ab omnibus infamiae et inhabilitatis maculis et notis relevare et rehabilitare et missam restituere, ut praemissis non obstantibus ad omnes Ordinis actus legitimos, voces, gradus, officia et dignitates, abbatiali dignitate seclusa, promoveri possit et admitti ; insuper de eiusdem abbatis sufficientia et prudentia confidens dat eidem abbati auctoritatem et facultatem semel infra Pascha proximum in foro conscientiae ab omnibus et singulis casibus, delictis, criminibus et excessibus ac sententiis Capitulo generali specialiter reservatis, salutari mediante poenitentia, absolvendi, utque ipse a quoquam confessore Ordinis sufficiente et idoneo a praedictis casibus et sententiis absolvi possit et valeat.

16. Generale Capitulum de virtutibus, sufficientia et prudentia abbatis de Charitate confidens, dat eidem abbati facultatem et potestatem dehinc ad proximum Pascha subditos suos semel in foro conscientiae, *etc. ut supra.*

17. Ad idem, pro abbate de Gratia Dei, Bisuntinensis dioecesis.

18. Generale Capitulum de probitate, sufficientia et virtutibus fratri Guillelmi Tendille, in decretis baccalarii, professi monasterii de Campis bonis, ad plenum confidens, ipsum in priorem eiusdem monasterii instituit, ordinat et praeficit, dans sibi auctoritatem et potestatem religiosos et subditos eiusdem monasterii excommunicandi et absolvendi, puniendi, corrigendi et emendandi, secundum casuum et demeritorum exigentiam, omniaque et singula circa ea, quae dictum officium concernunt et dependent in spiritualibus dumtaxat, prout abbates Ordinis facere et exercere in suos subditos consueverunt, possunt et debent, et prout in litteris praesenti diffinitioni annexis est expressum usque ad aliam Capituli generalis ordinationem. Datum, etc.

19. Capitulum generale, multis et iustis rationibus motum, mandat et praecipit in virtute sanctae obedientiae et sub poenis et censuris Ordinis per praesentis diffinitionis executionem latius taxandis et declarandis quatinus fratrem Mongenetum Ronvel, religiosum professum suum in gremium et consortium confratrum suorum et in pristinum locum recipiat et admittat, non obstantibus quibuscumque licentia, quittationibus aut promissio-

nibus super praemissis, tum per abbatem eiusdem monasterii, quam per ipsum fratrem Mongenetum factis ; executionem praesentis diffinitionis primo abbati Ordinis requirendo committendo, in plenaria Ordinis potestate.

20. Abbati de Tribus fontibus, Catalaunensis dioecesis, in virtute sanctae obedientiae et sub poenis et censuris Ordinis, mandat et praecipit, quatinus indilate fratrem Humbertum de Duaco, eius professum recipiat, ac in consortium fratrum et filiorum suorum in Christo admittat, ac eidem fratri sicut aliorum de necessitatibus provideat, ne eius evagatione totus Ordo et dictum monasterium scandalum et vituperium reportare valeat, mandans idem generale Capitulum eidem fratri Humberto, quatinus infra tres menses datae praesentis diffinitionis immediate sequentes conspectibus dicti abbatis se personaliter praesentet. Datum, etc.

21. Ad idem, abbati de Sinaqua pro fratre Ioanne Vatelet, professo eiusdem monasterii.

22. Viso et debite, diligenter et sufficienter examinato processu per fratrem Ludovicum Regis, priorem de Sancto Sulpitio, auctoritate Ordinis contra fratrem Gofredum Poma, professum monasterii de Staffarda facto, et peracto, auditoque plenius super praemissis abbate de Reigniaco, visitatore et reformatore Ordinis in partibus transalpinis et circumvicinis per novissimum generale Capitulum ordinato et deputato, inveniensque dictum Capitulum generale praefatum fratrem Gofredum multis criminibus et excessibus culpabilem, convictum et irretitum. Quapropter idem Capitulum generale multis causis iustis et rationabilibus, necnon aliis rationibus ex praefato processu resultantibus motum, matura deliberatione ac peritorum consilio prius habitis, dicto fratri Gofredo Poma praecipit et mandat in virtute sanctae obedientiae, et sub excommunicationis latae sententiae poena, quatinus infra sex septimanas intimationem huiusmodi diffinitionis immediate sequentes, se in dicto monasterio de Staffarda recipiat, et personaliter praesentet, punitionem et correctionem debitas secundum demeritorum et casuum suorum exigentiam, per priorem eiusdem monasterii de consilio sanioris partis conventus eiusdem recepturus et eius iudicio subiturus, in plenaria Ordinis potestate.

23. In causa mota et pendente coram generali Capitulo inter fratres Bernardum, professum monasterii Novicastri ex una,

et fratrem Mongenetum Roval, monasterii de Belloprato, Tullensis dioecesis, professum, partibus ex altera, super dignitate abbatiali monasterii de Pomerio, alias Bongarthen, diocesis Argentinensis, contendentes, ac in eodem Capitulo generali personaliter, ad super huiusmodi cassa seu lite ius, decisionem et diffinitivam sententiam audiendum, comparantes; idem generale Capitulum visis titulis et processibus dictarum partium, ipsisque partibus ad plenum auditis ac consideratis considerandis, matura deliberatione ac iurisperitorum consilio et opinionibus prius habitis, Christi nomine invocato, ut ex eo iudicium nostrum prodeat, et oculi nostri videant aequitatem, dicit, pronuntiat, sententiat et diffinit idem Capitulum generale, abbatem Novicastri tamquam patrem abbatem eiusdem monasterii de Pomerio, attento quod controversia occasione dictae paternitatis intentata et coram iudicibus Ordinis introducta inter abbatem Novicastri et abbatem Belliprati praefatis nondum decisa est, potuisse et debuisse accessisse ad dictum monasterium de Pomerio, ibidemque ipso vacante de persona dicti fratris Bernardi tamquam sufficiente et idonea providisse, declarando dictam provisionem de persona eiusdem fratris Bernardi factam, iustam, sanctam, rite et debite per eumdem abbatem Novicastri factam et celebratam, ipsam cum suppletione omnium et singulorum defectuum, si qui forsan intervenerint, approbando, ratificando et confirmando, ac ipsum fratrem Bernardum eiusdem monasterii de Pomerio verum et indubitatum abbatem, ac quascumque alias provisiones in contrarium per quoscumque de Ordine factas, nullas, invalidas declarando, necnon perpetuum silentium eidem fratri Mongeneto super praemissis imponendo. Quocirca cuicumque abbati Ordinis super hoc requirendo committit idem Capitulum generale, quatinus in his quae in praemissis et singulis praemissorum executionem requirunt, debitae executioni demandent; contradictores et rebelles per censuras, sententias et poenas ecclesiasticas Ordinis compescendo, in plenaria Ordinis potestate. Pronuntiato coram partibus praefatis per R. D. N Cisterciensem, instantibus et supplicantibus dominis Diffinitoribus dicti Capituli generalis, die 16 eiusdem mensis septembris anno praedicto. Datum, etc.

COMMISSIONES AD VISITATIONES, ETC.

24. Abbatibus de Bullione et de Roseriis et cuilibet eorum committit praesens generale Capitulum, quatinus visis et debite examinatis litteris obligatoriis abbatis et conventus monasterii de Bithania super summa XL libr. turon. eidem abbati et conventui per honorabilem virum Humbertum Ragache de Salinis mutuo tradita, prout in dictis litteris praesenti diffinitioni annexis plenius continetur, et citatis citandis, auditisque audiendis dictum abbatem de Bithania seu eius successorem, prout aequum et iustum iudicaverint, ad integre et plenarie solvendum et satisfaciendum eidem Humberto seu eius procuratori et certo mandato astringant et compellant, in plenaria Ordinis potestate.

25. Domino abbati de Pontigniaco et abbati de Ursicampo committit praesens generale Capitulum, ut super lite et controversia mota et pendente coram praesente Capitulo generali inter fratres Bernardum, professum monasterii Novicastri ex una, et fratrem Mongenetum, monasterii de Belloprato, Tullensis dioecesis, professum partibus ex altera, super dignitate abbatiali monasterii de Pomerio contendentes se debite et sufficienter informent, titulosque partium et alia videnda videant, citatisque coram eis dictis partibus, et auditis audiendis, per debitum iustitiae complementum huic liti finem imponant, parti cui videbitur, perpetuum silentium imponendo, in plenaria Ordinis potestate.

26. Abbatibus Boniportus, et de Valloliis, s. th. pr., et de Ursicampo et duobus eorum committitur et praecipitur in virtute salutaris obedientiae, quatinus cessantibus excusationibus, se ad monasterium de Fulcardimonte seu ad alia loca, quae ad praemissa peragenda iudicaverint opportuna, accedant, ac de et super contentis et expressis in litteris papireis et pergamineis praesenti diffinitioni sub sigillo Diffinitorum colligatis, se debite, sufficienter et legitime informent, informationeque perfecta citatis citandis, auditisque audiendis, per debitum iustitiae complementum decidant, diffiniant et terminent lites, controversias, quae in eisdem litteris continentur, in plenaria Ordinis potestate.

27. Generale Capitulum cum gravi cordis amaritudine suscipiens insolentias et maleficia cuiusdam fratris Michaelis, professi de Belloprato, Tullensis dioecesis, qui, ut veraciter fertur, sanctae continentiae et religionis vota contemnens in grave vi-

tuperium et scandalum Ordinis in facie Ecclesiae in quodam villagio vocato Fregibeix quamdam mulierem desponsavit, eamque per multos annos tamquam uxorem tenuit et tenet, et ea abutitur, pluraque enormia committit in suae animae salutis praeiudicium contra Ordinis honestatem. Quibus malis obviare cupiens praesens generale Capitulum et de remedio providere, abbati de Vallibus Sernay omnibusque et singulis aliis abbatibus Ordinis mandat et praecipit, quatinus per se vel suos capiant, seu capi faciant, et carceribus mancipent seu mancipari faciant dictum fratrem sumptibus et expensis sui proprii monasterii, et ad proprium monasterium remittant, compellendo ad hoc compellendos in plenaria Ordinis potestate, invocato ad praemissa et ea tangentia, si opus sit, brachii saecularis auxilio, consilio et favore.

28. Abbatibus de Campoprincipum, de Rayttenhaslach, de Stams et de Lantstrass, et duobus eorum praesens generale Capitulum committendo dat auctoritatem, facultatem et plenum posse, se debite et sufficienter informandi super causis privationis seu depositionis fratris Ioannis de Victoria a sua dignitate abbatiali, debitaque et sufficiente informantione peracta, cognitisque causis et rationibus dictae depositionis seu privationis, citatis citandis, auditis audiendis, ac consideratis considerandis, si dictum fratrem Ioannem bene et iuste privatum et depositum invenerint, ipsum secundum formam et tenorem privilegiorum et statutorum Ordinis in dicto monasterio restituant, illicite et male promotum in eodem eiiciendo et expellendo, sin alias dictam privationem, depositionem dicti fratris Ioannis, necnon electionem, promotionem, institutionem et installationem novi abbatis approbent, ratificent et confirment, supplendo omnes et singulos defectus, si qui forsan in praemissis intervenerint quovismodo, in plenaria Ordinis potestate.

29. Praesenti Capitulo generali pro parte abbatis Vallis Sancti Egidii alias de Buch, exhibita fuit supplicatio continens, quod cum in una parte suae ecclesiae, quae chorus conversorum nuncupatur, sublatis stallis conversorum altaria ad columnas sunt posita, ubi minus de lumine habent, famulique monasterii praefati et alii pro divinis audiendis ad dictam ecclesiam confluentes transversaliter ab utraque parte ecclesiae praetereunt, ex quo religiosi missas legentes, graves sustinent molestias et perturbationes, etiam quia altaris ibidem cancellis claudi aut vallari ne-

queunt, eorum quoque altarium ornamenta quandoque furantur et auferuntur, humillime eidem Capitulo generali supplicans, ut cum consilio et assensu fratrum suorum saltem maioris partis et sanioris praeter communem dispositionem in monasteriis Ordinis elevatum chorum fabricare et fieri facere altitudine testitudinis ecclesiae posset et valeret, ut hoc mediante altaria praefata minus congrue disposita, recta et composite aedificari possint et valeant. Quibus iuste providere cupiens idem Capitulum generale abbatibus de Fonte salutis, de Sichem et de Vetericella, et cuilibet eorum committit quatinus informatione praecedente super praemissis debite peracta, ut chorus et altaria praefata secundum Ordinis formam aptari possint et aedificari ordinent et statuant in plenaria Ordinis potestate.

30. Exhibita pro parte abbatis Vallis Sancti Egidii, alias de Buch, praesenti Capitulo generali petitio continebat quod cum praedecessor suus, divina inspiratione motus, quoddam hospitale in dicto suo monasterio aedificaverit, illudque pro sustentatione certi numeri pauperum fundaverit et dotaverit ; cui etiam hospitali quidam nobilis summam duodecim florenorum ex sua devotione donaverit et legaverit, de qua tamen, ut dicit, plene non est satisfactum, qui etiam pauperes saepius officinas dicti monasterii morantes plura dicunt et referunt, ex quibus dictis et relatibus non nisi iurgiorum seminaria, divisiones et querelae inter fratres resultant. Quare dictus abbas supplicabat eidem generali Capitulo ut desuper praemissis de remedio providere dignaretur ; hinc est quod ea quae sanctae monasticae vitae quieti et paci contrariantur, ferre non valens praesens generale Capitulum abbatibus de Fonte salutis, de Sichem et de Porta, et cuilibet eorum committit, quatinus ad dictum monasterium, vel ad alia loca aptiora accedant, seque super fundatione et dotatione illius hospitalis et aliis praemissis, et ab eis dependentibus, debite et sufficienter informent, et visis videndis, auditis audiendis ac consideratis considerandis in praemissis et singulis praemissorum pro meliori faciant, sententient, diffiniant et ordinent, quidquid invenerint sententiandum, diffiniendum et ordinandum ; tractatum desuper fundatione et dotatione dicti hospitalis factum et contractum, si opus sit, confirmando vel infirmando, in plenaria Ordinis potestate.

31. Generale Capitulum de prudentia, discretione ac fideli diligentia abbatis de Lenym, s. th. pr., confidens, omnimodam

visitationem, reformationem monasteriorum utriusque sexus in partibus Misnae, utriusque Marchiae, Lusatiae, Slesiae, Saxoniae et Thuringiae, necnon studii seu collegii Lipzensis, ut abbates qui ad idem collegium ex antiquis ordinationibus et consuetudinibus mittere debent studentes cum debitis et sufficientibus provisionibus compellat, revocando quascumque alias commissiones per quoscumque datas, ac paternitatem quam super eodem collegio Lipzensi abbas de Vetericella praetendere potest.

32. Nos frater, etc. et est talis. Ad aures praesentis Capituli generalis deventum est plura monasteria utriusque sexus in partibus, provinciis et dominiis Misnae, utriusque Marchiae, Lusatiae, Slesiae, Saxoniae et Thuringiae a sanctae religionis observantia adeo deviare, ut nisi per debitae visitationis et reformationis remedium velociter provideatur, ipsa monasteria in spiritualibus et temporalibus plurima reportabunt incommoda; hinc est quod de virtutibus, prudentia, idoneitate, fidelique diligentia abbatis de Lenym, s. th. pr., in Domino plenam gerens fiduciam eidem abbati committendo plenariam dat facultatem, potestatem et mandatum speciale ad omnia et singula monasteria et loca regularia in praedictis partibus, provinciis et dominiis situata, personaliter accedendi, ibidemque visitandi, reformandi, corrigendi, instituendi et destituendi omnia et singula, quaecumque secundum Deum et nostrae religionis instituta invenerit visitanda, reformanda, corrigenda, instituenda et destituenda, abbates et abbatissas, si sua exigant demerita, privandi, deponendi et destituendi, aut alias secundum suorum exigentiam demeritorum puniendi et corrigendi ; cessiones atque resignationes abbatum et abbatissarum, si cedere voluerint, et rationabiles fuerint, acceptandi et admittendi ac eisdem de pensionibus rationabilibus pro residuo vitae eorum super fructibus et proventibus dictorum monasteriorum, secundum formam et tenorem privilegiorum Ordinis, assignandi et providendi, monasteriis insuper quovis modo viduatis et vacantibus, de novis abbatibus et abbatissis sufficientibus et idoneis ac in Ordine nostro professis electione canonica aut auctoritate Ordinis providendi, personasque electas seu promotas, si sufficientes et idoneae repertae fuerint, instituendi, installandi, ac in realem et actualem possessionem eorumdem monasteriorum ponendi et inducendi, provisionum ac promotionum praedictorum confirmatione eidem Capitulo generali reservata. Monasteriis insuper monialium de confessoribus nostri

Ordines, procuratoribus et capellanis sufficientibus et idoneis providendi, et insufficientes revocandi et expellendi, fugitivos etiam et apostatas ac alias personas decus et honorem Ordinis denigrantes capiendi, seu capi faciendi, incarcerandi, et ad propria expensis suorum monasteriorum remittendi ; omnes insuper et singulas eorumdem monasteriorum personas regulares semel quolibet anno, termino huius commissionis durante, in foro conscientiae per se aut suos deputatos audiendi, ac eas ab omnibus et singulis casibus, peccatis, criminibus, delictis et sententiis generali Capitulo reservatis, salutari mediante poenitentia, absolvendi ; computationes denique dictorum monasteriorum audiendi et eas approbandi vel reprobandi. Datque idem generale Capitulum eidem abbati de Lenym plenariam auctoritatem et potestatem visitandi et reformandi collegium Lipzense, atque in eodem disponendi et ordinandi quaecumque secundum Deum et statuta Ordinis ac eiusdem collegii dudum per R. D. N. Cisterciensem edita, invenerit visitanda, reformanda, disponenda et ordinanda, non obstante paternitate, quam in eodem collegio abbas de Vetericella praetendit habere, quam idem Capitulum generale certis rationibus iustis et rationabilibus causis motum suspendit, et in suspensum tenet usque ad aliam ipsius Capituli dispositionem, compellendo etiam abbates et officiarios monasteriorum praedictorum, qui ex antiquis ordinationibus et consuetudinibus mittere debent scolares ad idem collegium, ipsos scolares cum debitis et sufficientibus provisionibus mittendi et tenendi. Dat etiam idem generale Capitulum eidem abbati auctoritatem et facultatem, ipsi nihilominus in virtute sanctae obedientiae praecipiendo, omnes et singulas pecuniarum summas, per abbates et officiarios dictorum monasteriorum tam ratione contributionum quam subsidiorum Ordinis ac arreragiorum earumdem debitas et debendas in futurum, recipiendi, quottasque et astallationes earumdem per praesens Capitulum generale singulis monasteriis Ordinis taxatas et impositas petendi, exigendi, levandi et percipiendi ; rebelles vero et contradictores, ac dictas contributiones, subsidia et arreragia eorumdem solvere renuentes aut nolentes per poenas et censuras Ordinis, ac sententias excommunicationis latae sententiae, privationis et depositionis a dignitatibus, officiis et administrationibus suis, necnon alias poenas et sententias graviores in dictis privilegiis Ordinis novis et veteribus contentas et expressas, viriliter et indissimulanter cogendi et

compellendi ; de receptis quoque quittantias expediendi et dandi, occasioneque praemissorum excommunicatos, si ad cor redierint, et integraliter de praedictis summis satisfecerint, ac id humiliter postulaverint, ab omnibus sententiis excommunicationis aliisque censuris et poenis plenarie absolvendi, ac super irregularitate dispensandi, et generaliter omnia et singula circa praemissa et ea tangentia agendi, faciendi et exercendi quae idem Capitulum generale agere, facere et exercere posset et deberet, si praesens interesset, non obstantibus quibuscumque commissionibus per quoscumque de Ordine datis, quas in quantum vos praemissa exsequi contigerit, idem Capitulum generale cassat, irritat et annullat ; invocato ad praemissa et ea tangentia, si opus sit, brachii saecularis auxilio, consilio et favore. Omnibus igitur et singulis dictorum monasteriorum regularibus personis firmiter dat in mandatis, praesens generale Capitulum, in virtute sanctae obedientiae ac sub excommunicationis latae sententiae poena, quatinus vobis tamquam eidem Capitulo generali in omnibus et singulis praemissorum humiliter pareant et devote obediant ; praesentibus vero usque ad triennium in suo vigore damtaxat duraturis. Datum sub appensione sigilli Diffinitorum eiusdem Capituli generalis, die, mense, anno et loco praedictis.

COMMISSIO PRO SCOLARIBUS MITTENDIS AD COLLEGIA ORDINIS

33. Cum Ordinis nostri decus et honor ex virorum litteratorum et doctorum propagatione plurimum resultet, quae fieri nequit, nisi bonae indolis invenes ad studia Ordinis generalia cum debitis provisionibus per abbates et monasteriorum rectores, secundum formam et tenorem privilegiorum et statutorum dicti Ordinis mittantur. Hinc est quod praesens generale Capitulum duritiam et tarditatem nonnullorum Ordinis abbatum, qui suae salutis immemores, Dei timorem postponendo apostolica simul et salutaria Ordinis statuta et mandata, necnon gravissimas Ecclesiae censuras super missione studentium maxime ad collegium Sancti Bernardi Parisiis, edita et adversus non mittentes formidabili tonitruo hactenus et recenter fulminata prorsus contemnunt formidabiles excommunicationis et aliarum poenarum sententias et censuras incurrendo, ac in eis damnabiliter remanere non erubescendo, amplius tolerare aut sufferre non valens

dictum generale Capitulum domino abbati de Firmitate, necnon abbatibus de Caroliloco, de Ursicampo, de Bonoportu et de Valloliis, s. th. pr., et duobus eorum committendo districte in virtute sanctae obendientiae et sub poenis et censuris Ordinis praecipit et mandat, quatinus ipsi aut duo ipsorum quamcitius poterunt Parisiis conveniant, omniaque et singula monasteria totius regni Franciae et aliarum patriarum et provinciarum, ex quibus iuxta domini Benedicti Papae XII reformationem et decretum scolares ad dictum collegium cum debitis provisionibus mitti debent, diligenter notent et conscribant, habitaque deliberatione cum provisore, magistro regente et sanioris partis studentium, pensatis et bene consideratis facultatibus dictorum monasteriorum, omnes et singulos eorumdem monasteriorum abbates, commandatarios, rectores et officiarios ad mittendum et intertenendum scolares suos capaces et idoneos cum debitis et sufficientibus provisionibus infra tempus per eosdem abbates aut eorum duos statuendum et praefigendum ad idem collegium benigne inducant, moneant et excitent, ita ut qui duos habere et sustinere debent, duos mittant et eis provideant ; qui vero unum solum, unum similiter mittant ; exiliora autem et minus opulenta monasteria, quae rationabiliter unum mittere seu sustinere non possent, iungantur bini aut terni seu quaterni ad mittendum communibus expensis iuxta taxam dictorum commissariorum et illi providendum.

Contradictores seu inobedientes ac rebelles aut differentes per poenas, censuras et sententias excommunicationis, suspensionis a divinis, aggravationis, reaggravationis, interdicti, suspensionis et privationis a suis dignitatibus abbatialibus et officiis, si opus sit, prout in statutis et privilegiis papalibus et Ordinis est expressum, viriliter, exacte et indissimulanter compellant ab huiusmodi coertione et compulsione propter quascumque oppositiones ant appellationes nisi de canonico et legitimo relevamento cum debitis inhibitionibus eisdem commissariis factis aut fiendis, nequaquam cessando aut dissimulando, absolutionem praedictarum sententiarum, censurarum et poenarum eidem R. D. N. Cisterciensi aut generali Capitulo, seu eorum commissariis ad hoc speciliater deputatis reservando ; invocato, etc. Omnibus, etc. Datum, etc.

[DE CONTRIBUTIONIBUS]

34. Quia propter defectum solutionis contributionum et subsidiorum Ordinis et praesertim subsidii charitativi et gratiosi anno immediate praecedenti super totum Ordinem impositi, Ordo maxima et gravissima sustinuit, reportavit, sustinet et reportat in dies damna, incommoda et detrimenta, tam in involutione usurarum, quam alias multipliciter, praesens generale Capitulum tam apostolica quam totius Ordinis et Capituli generalis auctoritatibus in virtute sanctae obedientiae, et sub excommunicationis latae sententiae ac suspensione a divinis poenis et censuris, omnibus et singulis abbatibus, commendatariis, abbatissis, rectoribus et aliis officariis monasteriorum et locorum regularium Ordinis districtius mandat et praecipit, quatinus restas et summas tam contributionum quam huiusmodi subsidiorum Ordinis infra tempus eiusdem per commissarios praefatos praefixum seu praefigendum infallibiliter et integraliter eisdem commissariis seu deputatis ab eisdem realiter et cum effectu tradant et solvant, districtius et sub eisdem poenis omnibus et singulis commissariis seu receptoribus Ordinis mandando et praecipiendo, quatinus omni cum diligentia exactam et possibilem diligentiam pro levandis et colligendis huiusmodi contributionibus et subsidiis ac arreragiis ipsorum faciant seu fieri faciant et procurent, et quamprimum fieri poterit omnem summam receptam ad R. D. Cisterciensem transmittendo; contradictores seu rebelles aut solvere renuentes vel differentes per censuras ecclesiasticas auctoritate apostolica et Ordinis, ac per omnes iuris et iustitiae vias viriliter et indissimulanter compellendo, ut eorum fideli diligentia et sollicitudine, Ordo ab usurarum voragine, quibus banchariis obligatur sublevari et liberari possit et valeat, dictorum commissariorum conscientias coram Summo Deo super fideli executione praesentis diffinitionis cum praemissis poenis onerando.

35. Praesens generale Capitulum, etsi ex corde vexationibus monasteriorum in inclytissimo regno Scotiae situatorum compatiatur, veruntamen etiam, quia aliunde Ordo multipliciter gravatur, et necesse est insolitas et gravissimas expensas pro Ordinis defensione, idcirco abbatibus de Melros, de Cupro et de Neubotl, et cuilibet eorum, committendo districte in virtute salutaris obedientiae, et sub excommunicationis latae sententiae

ac suspensionis a divinis poenis, praecipit ut infra mensem post receptionem praesentium summas cuiusdam subsidii charitativi per generale Capitulum anno superiori iuxta commissionem cui praesens diffinitio annectitur, recipere studeant et elaborare renuentes seu differentes per apostolicas et Ordinis censuras ad solutionem compellendo ; quibus dat potestatem, quod si taxa non fuerit legitime proportionata secundum valorem monasteriorum, novam taxam faciant, ita tamen ut nihil de summa principali diminuatur, statim autem post dictarum summarum receptionem, ipsae cum contributionibus et restis ad dominum Cistercii vel ad abbatem de Balerna, procuratorem generalem Ordinis in Curia romana, fideliter et diligenter transmittant omni excusatione postpostita ; excepto inevitabili impedimento, super quo eorum conscientias ultra dictas sententias onerat dictum generale Capitulum.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

36. Electionem, promotionem, institutionem et installationem fratris Georgii Castner ad dignitatem abbatialem monasterii de Caesarea, per abbatem monasterii de Lutzella, eiusdem monasterii de Caesarea patrem abbatem, rite et legitime factas et celebratas, prout in decreto praesenti diffinitioni annexo plenius continetur, praesens generale Capitulum approbat, ratificat et confirmat, supplendo omnes et singulos defectus, si qui forsan in praemissis et quolibet praemissorum intervenerint quovismodo, in plenaria Ordinis potestate.

37. Ad idem, de persona fratris Bartholomei de Casta ad dignitatem abbatialem monasterii de Veteri monte, per abbatem Veteris campi, auctoritate domini Morimundi, eiusdem monasterii patris abbatis, factas... *etc.*

38. Ad idem, de persona fratris Egidii de Sancto Lupo ad dignitatem abbatialem de Bonofonte, Remensis dioecesis, per abbatem monasterii de Signiaco factas, etc.

39. Creationem, institutionem et declarationem de persona fratris Guidonis de Varennis ad dignitatem abbatialem monasterii de Bithania per R. D. N. Cisterciensem, post resignationem fratris Ioannis Liborel, s. th. pr., ac eiusdem monasterii novissimi abbatis, acceptatas, factas et celebratas, necnon declarationem, denuntiationem et publicationem, ac in realem possessionem,

positionem per abbatem Charitatis, virtute commissionis eiusdem R. D. N. Cisterciensis actas et rite, *etc.*

40. Generale Capitulum sufficienter et debite informatum de promotione, institutione et installatione fratris Ioannis Bachon ad dignitatem abbatialem monasterii de Fonte Ioannis, consideratis etiam virtutibus, sufficientia et idoneitate eiusdem fratris Ioannis, idem Capitulum generale... approbat.. *etc.*

CONFIRMATIONES TRACTATUUM ET PENSIONUM

41. Visis et diligenter examinatis litteris accordi transactionis seu appunctuamenti initi, facti et passati inter abbatem et conventum monasterii de Fontemorum ex una, et honorabilem ac discretum virum dominum Herardum Breschardi, priorem commendatarium prioratus Sancti Hymberti partibus ex altera, super quibusdum terris et haereditagiis sub certis permutationibus, conditionibus et oneribus plenius in litteris huiusmodi praesenti diffinitioni annexis contentis et expressis ac declaratis continetur, auditoque ad plenum abbate eiusdem monasterii utilitate et commodo, praesens generale Capitulum illum eumdem tractatum cum omnibus et singulis suis clausulis et conditionibus approbat, ratificat et confirmat sub conditione quod dictus dominus commendatarius similiter prout per easdem astringitur dictum secundum sui formam et tenorem per Capitulum seu superiorem suum approbari faciet et confirmare.

42. Omnia et singula acta, facta, ordinata et statuta per dominum Claraevallis in monasterio monialium Sancti Iusti, quae statutis et cerimoniis Ordinis conformia sunt et consona, praesens generale Capitulum corroborat, approbat et confirmat, mandando abbatissae et monialibus eiusdem monasterii ut ea iuxta mandatum et ordinationem eiusdem domini abbatis Claraevallis et sub poenis per eum taxatis inviolabiliter observent, praesensque Capitulum cum omni humilitate christianissimo domino nostro regi supplicat, ut ea quae sanctae religionis et reformationis sunt, in eodem monasterio observari mandet et permittat.

43. Praesens generale Capitulum, visis, inspectis et diligenter examinatis litteris pensionis XL libr. tur. assignatae fratri Guillermo de Moncello super fructibus, proventibus, redditibus et emolumentis monasterii de Fulcardimonte, prout in dictis litteris praesenti diffinitioni annexis plenius continetur et habetur;

considerata etiam honesta et religiosa conversatione dicti fratris Guillermi, ac consideratis in hac parte considerandis, dictam pensionem cum omnibus et singulis suis conditionibus, circumstantiis et dependentiis approbat, ratificat et confirmat. Quocirca dictum generale Capitulum committendo mandat et praecipit abbatibus de Bonoportu, de Valloliis et de Ursicampo, et cuilibet eorum in solidum, quatinus in defectu solutionis dictae pensionis, terminis statutis et designatis in eisdem litteris, abbatem modernum et suos successores eiusdem monasterii Fulcardimontis pro tempore abbates ad integre realiter et de facto dictam pensionem eidem fratri Guillermo seu eius procuratori et certo mandato persolvendum et deliberandum per poenas, sententias et censuras excommunicationis et alias iuris et iustitiae vias astringant et compellant, in plenaria Ordinis potestate.

44. Generale Capitulum sufficienter informatum de tractatu facto, inito et passato inter abbatem et conventum monasterii de Vallibus Sernay ex una, et magistrum regentem, provisorem, cellerarium, ceterosque officiarios et studentes collegii Sancti Bernardi Parisiis super commutatione quarumdam pecuniarum per ipsos abbatem et conventum, eidem collegio debitarum, prout in litteris tractatus super his confectis plenius continetur, attendensque et cognoscens ipsum tractatum eisdem monasterio et collegio perutilem, ipsum cum omnibus et singulis suis clausulis et conditionibus prout et quemadmodum in eisdem litteris continetur, approbat, ratificat et confirmat, in plenaria Ordinis potestate.

45. Visis, inspectis et diligenter examinatis litteris tractatus initi, facti et passati inter abbatem et conventum monasterii Charitatis ex una, et fratres Ioannem Bousson, priorem et Ioannem Darbois, eiusdem monasterii religiosos partibus, ex altera, de quadam grangia vocata de Valeroy ruinosa, eidem monasterio competente, prout et quemadmodum in litteris praefatis praesenti diffinitioni annexis plenius continetur, cognoscensque aliquorum patrum Ordinis fide dignis relatibus, ipsum tractatum utilem dicto monasterio fore, ad instantiam et supplicationem abbatis eiusdem monasterii Charitatis, praesens generale Capitulum ipsum approbando, ratificando et confirmando permittit eisdem fratribus Ioanni Bousson et Ioanni Darboys, ut quamdiu se religiose habuerint, et dictam grangiam relevando et restaurando honeste vixerint, dictam grangiam possideant et teneant,

fructusque et proventus ipsius levent et percipiant, in usus et utilitates monasterii et dictae grangiae ac necessitatum suarum dumtaxat convertendis.

46. Visis litteris, quibus praesens diffinitio annectitur, generale Capitulum monasterii monialium de Lilio iura quantum potest servare ac etiam venerabili et circumspecto viro magistro Francisco Pichon, decano Meleduni, vero ut probato Ordinis amico, in Domino placere cupiens, contenta in eisdem litteris in favorem praefati magistri Francisci vita eius durante, absque eo quod post eius decessum, utinam felicem in Domino, praeiudicium quodcumque iuris praefati monasterii de Lilio super illa capella evenire possit aut debeat, quin potius iure illius capellae deinceps libere uti possint et debeant abbatissae et moniales, sicut hactenus usae sunt, confirmat, laudat et corroborat.

47. Abbatibus de Regalimonte, de Vallibus Sernay et de Baugereyo, et cuilibet eorum committit praesens generale Capitulum, quatinus super legatione, transactione seu tractatu inito, facto et passato inter abbatem et conventum monasterii de Pietate Dei, Cenomanensis dioecesis, ex una, et honorabilem virum magistrum Ioannem de Voxel partibus ex altera, super quibusdam decimis in finagio seu in decimariis de Maisuris existentibus, prout in litteris tractatus praesenti diffinitioni annexis plenius continetur, et si debita informatione dictum tractatum eidem monasterio fore perutilem inveneritis seu alter eorum invenerit, illum cum omnibus et singulis suis clausulis et conditionibus in dictis litteris designatis approbent, ratificent et confirment, in plenaria Ordinis potestate.

48. Praesenti Capitulo generali exposuit abbas de Vallibus Sernay, cum monasterium suum longo tempore gavisum fuerit et habuerit quamdam firmam, vocatam Mons falconis, situatam iuxta castrum de Marcoussis, domino de Graville pertinens, qui quidem dominus per se et suos multiplici vexatione processuum et litium dictum monasterium vexat, inquietat, fatigat et damnificat, sperans dictus dominus praedicto monasterio dictam firmam praemissis mediis evellere et extorquere, saepius requirens dictam firmam sibi dari et dimitti, mediante sufficiente recumpensatione ad arbitrium proborum virorum fienda, quae omnia abbas et conventus dicti monasterii inconsulto praesente Capitulo generali facere et cum dicto domino tractare renuerunt. Exposuit etiam dictus abbas, quod propter guerras et divisiones

novissime cursum habentes in ambitu dicti monasterii, multae terrae et possessiones ad ipsum monasterium pertinentes fuerunt perditae, et per illicitos detentores occupatae et detentae, quorum aliqui redarguente conscientia libenter eas vellent emere, et aliquam utilem cum eodem abbate et conventu compositionem tractare, dicto generali Capitulo humillime supplicando, ut super praemissis sibi et conventui suo ac utilitati dicti monasterii consulere vellet.

Hinc est quod dictum Capitulum generale profectum et commodum dicti monasterii ac paci et quieti eiusdem consulere cupiens et desiderans, abbatibus de Prulliaco et de Ursicampo, et cuilibet eorum committit praesens generale Capitulum, quatinus debite, diligenter et sufficienter se super praemissis et aliis concernentibus se informent, et debita informatione habita si praemissa ad utilitatem dicti monasterii utilis fore invenerint, dent licentiam et facultatem eidem abbati et conventui vendendi, alienandi, permutandi seu excambiendi dictas firmam et possessiones ad alias seu ad bonum utilem et perpetuum censum seu redditum, prout melius et commodius viderint et iudicaverint, in plenaria Ordinis potestate.

49. Abbatibus de Prulliaco, de Ursicampo et de Caroliloco, s. th. pr., et duobus eorum committit praesens generale Capitulum, quatinus debite diligenter et sufficienter super contentis in litteris tractatus initi, facti et passati inter dominum abbatem Firmitatis, R. D. N. Cisterciensis commissarium, fratres Iacobum de Pontallier, provisorem, Ogerium de Grangia, cellerarium collegii Sancti Bernardi Parisiis ex una, ac honorabilem et scienficum virum, magistrum Michaelem Companus, procuratorem in curia Parlamenti Parisiis, de quadam portione hortorum eiusdem collegii, prout plenius in praefatis tractatus litteris praesenti diffinitioni annexis continetur, debita et sufficienti informatione, necnon peritorum consiliis et deliberationibus habitis, si dictum tractatum Ordini nostro et dicto collegio utilem fore invenerint, illum cum omnibus suis clausulis et conditionibus approbent, ratificent et confirment, in plenaria Ordinis potestate.

50. Ad idem, eisdem abbatibus et duobus eorum super tractatu facto et passato inter dominum Firmitatis, provisorem et cellerarium, nominibus quibus supra, ex una, et religiosum virum fratrem Petrum du Boys, de tertio ordine Sancti Francisci,

partibus ex altera, de quadam portione hortorum dicti collegii, prout in litteris tractatus diffinitioni annexis continetur.

51. Praesens generale Capitulum religiosam seu humilem supplicationem fratris Ioannis de Salinis recepit continentem, quod cum in novissimo generali Capitulo, ipso tunc abbate monasterii de Bithania existente, in manibus R. D. N. Cisterciensis propter certas causas rationabiles ad id animum suum moventes suam dignitatem abbatialem, et totum ius quod habebat in eodem monasterio cesserit et resignaverit, humillime eidem domino supplicando, ut sibi quamdam grangiam eiusdem monasterii vocatam de Plenesio, pro residuo vitae suae loco annuae pensionis assignare et concedere dignaretur, quae quidem pensio sibi fuit per eumdem R. D. N. Cisterciensem concessa et assignata, atque per abbatem Charitatis, eiusdem R. D. N. Cisterciensis commissarium propter hoc specialiter deputatum, consecuta et tradita, super quibus per eumdem abbatem Charitatis fuerunt litterae in forma confectae et expeditae, humiliter supplicando, quatinus idem Capitulum dictam pensionem sibi approbare, ratificare vellet et confirmare. Et quia idem Capitulum eiusdem fratris Ioannis necessitatibus quantum cum Deo potest providere cupiens, abbatibus de Charitate et de Clarofonte, et cuilibet eorum committendo praecipit et mandat, quatinus super praemissis et ea tangentibus se debite, diligenter, fideliter et sufficienter informent, et informatione habita, consideratis considerandis, ac monasterii facultate pensata, si dictam pensionem sibi assignatam eidem monasterio portabilem invenerint, illam eamdem, si necesse sit, moderando, approbent, ratificent et confirment, abbatem et successores suos eiusdem monasterii ad integre dictam pensionem eidem fratri Ioanni singulis annis solvendum et deliberandum per sententias excommunicationis, censuras et poenas astringant et compellant, in plenaria Ordinis potestate.

IUDICES

52. Domino abbati de Firmitate, de Ursicampo, de Claromonte, de Bonoportu, s. th. pr., de Regalimonte et de Vallibus Sernay, et eorum cuilibet in solidum committit praesens generale Capitulum, quatinus si per testes fide dignos, litteras seu cedulas obligatorias, aut alia sufficientia documenta, abbatem de Curia Dei, eius conventum, aut quoscumque religiosos seu personas tam

eiusdem monasterii quam Ordinis, in aliquibus pecuniarum, vini, bladi aut aliarum quarumcumque rerum summis iuste teneri et obligari venerabili et circumspecto viro magistro Eustacio de Mares, curato des Ventes, invenerint, seu alter eorum invenerit, ad eidem magistro Eustacio, seu eius procuratori, aut certo mandato integre solvendum et satisfaciendum, citatis citandis, et auditis audiendis per iuris et iustitiae vias, ac Ordinis censuras, astringant et compellant, seu alter eorum astringat et compellat, in plenaria Ordinis potestate.

53. Ad idem, pro abbate de Laude, abbatibus de Capella, de Loco Sancti Bernardi et de Alna, et cuilibet eorum.

54. Ad idem, pro fratre Nicolao de Barione, s. th. pr., professo monasterii de Caroliloco, domino abbati de Firmitate, necnon abbatibus de Ursicampo et de Regalimonte, et cuilibet eorum.

55. Ad idem, pro abbate Caroliloci, s. th. pr., domino abbati de Firmitate, de Ursicampo, de Bonoportu, s. th. pr., et cuilibet eorum.

REHABILITATIONES

56. Praesens generale Capitulum super contritione et poenitentia fratris Ioannis de Ponte, professi de Eleemosina, qui dudum, ut asserit, petita licentia et non obtenta a priore eiusdem monasterii ut ad commendatarium eiusdem monasterii pergeret, illicentiatus abiit, atque per sex dies dumtaxat extra monasterium vagabondus extitit, cum eo misericorditer dispensat, ipsum ab omni infamiae nota et inhabilitatis macula relevando et habilitando, praemissis non obstantibus ad omnes Ordinis actus legitimos, voces, gradus, officia, beneficia et dignitates promoveri possit et admitti ; datque idem Capitulum generale eidem fratri Ioanni ut suis temporibus congruis per licentiam prioris eiusdem monasterii petitam et obtentam, sacros ordines suscipere possit et valeat.

57. Ad instantiam abbatis de Bonoportu, s. th. pr., cum fratribus Thoma Osmont et Ioanne Belgarengeyo professis de Voto misericorditer dispensat praesens generale Capitulum, ut non obstantibus quod dictus frater Thomas per saeculum apostatavit, fractoque sacrae continentiae voto, prolem a quadam muliere susceperit, super quibus poenitentias sibi iniunctas devote, ut dictus abbas asseruit, impleverunt, ad omnes Ordinis actus le-

gitimos, voces, gradus, officia et beneficia promoveri possit et admitti.

58. Ad idem, pro sorore Adriana de Sollemes, monasterii de Virgulto, Cameracensis dioecesis, professa, ut carnali contagione, puerperio inde secuto non obstante, ad omnes Ordinis actus, etc., ac instantiam abbatis Igniaci.

59. Ad idem, instantia eiusdem abbatis pro sorore Maria Poildebacho, alias Pasque, eiusdem monasterii de Virgulto professa, ut non obstante carnali contagione, et quod a monasterio illicentiata, habitu quoque dimisso, vicibus iteratis, exiverit, atque per aliquod temporis spatium extra permansit, possit ad omnes Ordinis actus, etc.

60. Ad idem, eiusdem abbatis instantia pro fratre Ioanne de Corbeyo, professo suo, et non obstante carnis contagione, puerperio inde secuto, etc.

61. Ad idem, eiusdem abbatis Igniaci instantia pro fratre Iacobo de Arbentino, professo suo, ut non obstante apostasia per mensem contracta, possit, etc.

62. Ad idem, instantia abbatis de Belloprato pro fratre Symphoriano, eiusdem loci professo, ut non obstante quod dormitorium sine licentia exiverit, atque in habitu saeculari deprehensus fuerit, possit, etc.

63. Ad idem, instantia abbatis de Monasteriis in Argona pro fratre Ioanne Morimond, eius professo, ut non obstante carnis contagio, puerperio inde secuto, possit ad omnes Ordinis, etc.

64. Ad idem, instantiis et humilibus supplicationibus abbatissae de Walteribrania, generale Capitulum inclinatum, cum honesta puella Anna de Flamenge misericorditer dispensat, ut non obstante quod sit de illegitimo thoro procreata, ad novitiatum et habitus Ordinis susceptionem et professionem regularem, necnon ad omnes Ordinis actus, etc., promoveri possit et admitti.

65. Frater Ioannes, etc., notum facimus, etc. Quamquam delinquentium obliquitas condigna punitione et animadversione reprimenda sit et refrenanda, poenitentibus tamen et ad viam reversis, ut de cetero ad sacrae religionis puriorem observantiam et suorum superiorum obedientiam proniores reddantur, libenter Ordinis misericordiam, veniam et gratiam impartiri consuevit. Hinc est quod visis et diligenter examinatis informationibus et processibus per abbates de Fonteneto et de Longovado, commissarios deputatos, tam super quodam furto aut pecuniarum su-

blatione in monasterio de Bonomonte per fratrem Bartholomeum Porrum, professum monasterii Caraevallis Mediolanensis, ut dicebatur, perpetrato in quadam bursa cum ducentis ducatis auri, quam etiam super quibusdam querelis, iniuriis et controversiis inter eumdem fratrem Bartholomeum et abbatem de Rignyaco, s. th. pr., ventilatis, super quibus dictus frater Bartholomeus condignam poenitentiam patienter et devote tam in monasterio de Fonteneto quam alibi, ut eidem Capitulo fide dignorum assertione relatum est, peregit; auditisque hinc inde partibus et consideratis considerandis, per generalis Capituli sententiam dictus frater Bartholomeus in terram prostratus veniam humiliter pro omni satisfactione petiit, et obtenta venia a dicto abbate de Rignyaco, praesens generale Capitulum eumdem fratrem Bartholomeum ab omni infamiae et inhabilitatis nota et macula relevat et rehabilitat, cum eo misericorditer dispensando, ut praemissis non obstantibus ad omnes Ordinis actus legitimos, gradus, voces, officia, beneficia et dignitates promoveri possit et admitti. Datum Cistercii sub appensione... anno Domini 1490.

SUFFRAGIA

66. Pro magistro Ioanne Landrot, domini nostri regis in curia Parlamenti Burgundiae consiliario, eiusque honestissima coniuge ac liberis dat et concedit confraternitatem Ordinis, et plenariam participationem omnium bonorum spiritualium quae fiunt, ac Domino concedente fient in toto Ordine, in vita eorum pariter et in morte, etc.

67. Ad idem, pro Roberto de Platio et eius consorte, ad petitionem abbatis Regalimontis.

68. Ad idem, pro magistro Petro Mathei, consiliario illustrissimi principis domini ducis Brabantiae, comitis Registen., Aug. et Nivernensis, ad instantiam abbatis de Ellantio.

69. Ad idem, pro abbatissa de Gilengien, Ordinis Sancti Benedicti, Cameracensis dioecesis.

70. Ad idem, pro honesto viro Vuillermo Haringetum et Ioanna eius uxore, ac etiam pro Wuillermo et Ricardo eorumdem filiis, ad instantiam abbatis de Fontibus in Anglia.

71. Ad idem, pro honesto viro Ioanne de Nitrevelle, receptore generali illustrissimi domini archiducis in partibus Luxemburg et Ysabella eius consorte ad instantiam abbatis de Aureavalle.

72. Pro Ioanne Montaiguier et pro Antonio Montaiguier eius patre, cum uxore.

73. Item, pro Claudio et Pereneto Tielly, Jaqueta, Henrieta et Pereneta ac Margareta eorum sororibus.

APPENDIX

Apud L[5] legitur sequens relatio legationis abbatum ad Sanctam Sedem, de qua supra anno 1473, *n.* 7.

Quae sequuntur transcripta sunt ex antiquo quodam volumine in archiviis Cistercii reservato, cui desunt duo prima folia; tertium vero incipit per titulum : Commendatio status religionis in communi. Quod volumen exhibet 4 centenaria, etc. etc.

Pagina eiusdem voluminis 299 verso haec leguntur :

De Paulo Papa secundo.

Anno Domini 1464, Paulus II Papa creatus est ; hic etsi iustitiae cultor in multis diceretur, quia tamen altissimi cordis erat et principis animum gerere dicebatur, religiosorum statum parvifaciebat, eos fratricellos vocans et multa monasteria commendis exponens, quamobrem nullum ab eo concessum reperimus privilegium.

* * *

De legatione Ordinis ad Sixtum Papam IV.

Currente anno Domini 1471, Paulo successit Sixtus IV, cui nomen Franciscus, et in Ordine B. Francisci educatus, cuius existens generalis cardinalatum adeptus et postmodum diligentiis cuiusdam nepotis sui in eodem Ordine professi, viri utique cautissimi et pomposissimi papatum assecutus est ; simplicis et satis amenae fuit naturae Papa iste, sed timorosus nimis, et inde amplius debito principibus placere cupiens. Quamobrem dominis cardinalibus et curialibus sic commendarum valvas aperuit, ut eorum quilibet esse minus se inhonoratum reputaret, qui non duo aut tria monasteria commendata haberet, et quanto plura eo valentior quilibet praedicabatur. Sic statim universa terra Papae ad plenum obediens plena fuit commendis, ita ut sola Germania et parumper Anglia his monstris carere viderentur,

quibus esse satis conveniebant senatoriae communitates Italiae non patientes commendas fieri in dominiis suis. Ad augmentum vero desolationis nostrae conferebat quod dominus Ludovicus rex Franciae continua bella gerens, etsi ex propria inclinatione satis promptus esset ad commendas, precibus tamen nobilium sibi in guerris servientium pro eorum parentibus et necessariis commendas omnium religionum et saepius episcopatuum multiplicari procurebat. Sic permulta Ordinis monasteria in dies commendabantur et deordinabantur. Patres igitur Ordinis in generali Capitulo super his vehementissime augustiati dixerunt aut tunc ad remedium recurrendum cum nundum omnia essent perdita et Ecclesiae universali praesideret Papa religiosus, aut omnino desperandum de ulteriori liberatione, succensis itaque animis concluserunt solemnem legationem super his ad sanctam Sedem, et elegerunt dominum Hymbertum abbatem Cisterciensem in principalem, abbates vero de Claravalle pro Francia, de Veterimonte pro Alemannia, de Populeto pro Hispaniis, et de Theoloco pro partibus domini ducis Burgundiae, omnes quidem sacrae theologiae professores, occasioneque huius institutum fuit super Ordinem grossum subsidium sex millium floren. His itaque anno 1473 dispositis humanae salutis inimicus operi sancto quaedam parabat impedimenta, nam propter guerrarum incredibilem et inauditam crudelitatem plurima monasteria adeo fuerunt omnino destructa, ut non solum ipsum subsidium aut contributiones solvere non possent, verum etiam multi abbates et monachi in dispersionem vivere fuerunt coacti, nonnulli etiam stomachati quia ad legationem minime fuerant electi pernitioso sussurrio detrahebant et a solutione subsidii alios retrahebant, sic cum modico fructu transivit annus ille, sed sequenti generali Capitulo rursum ipsa legatio fuit renovata et commissiones ad levandum ipsum subsidium efficaciores expeditae, quarum vigore circiter medietas pecuniarum cum maximis laboribus fuit collecta, cumque illa non sufficeret, voluit sequens Capitulum dominum Cisterciensem accipere ad usuram tria millia floren. pro consummatione legationis huiusmodi, quod et fecit. Exivit itaque dominus Cistercii orator Ordinis, assumpto abbate praedicto Theoloci quinta maii anno 1475, aliis duobus electis sub colore guerrarum se excusantibus. Duodecima vero iunii Romae existens domino cardinali Bononiensi tunc protectori Ordinis, gratiosam 200 ducatorum fecit propinam, cuilibet familiarium eius portiones

amplas conferens, duobus quoque cubiculariis Papae 60 ducatos contulit, spe potiundi eorum medio facultatem introitus et exitus ad Papam. Hi erant Dominicus de Rure, nepos Papae, eius nunc cardinalis, et Stephanus Morelli burgundus, hodie datarius. Porro habita audientia, praesente ipso protectore, dominus Cistercii suis lateralibus stipatus ad pedes Pontificis excellenter proposuit prioris status Ordinis eminentiam in culmine sanctae litteraturae, servitiorum impensorum Sanctae Sedi et alia servientia proposito peroravit, demum descendit ad desolationes ex commendis, remedia postulans et praesentans litteras omnium regum et principum, quae ad hos fines fuerant ab eis impetratae, offerens etiam ex parte Ordinis mille ducatos in pretiosa cupa argentea deaurata.

Pontifex quasi plorans compati visus est Ordini et congratulans legationi spopondit se facturum cuncta quae petebantur, receptisque supplicibus eas ordinavit cuidam benevolo referendario scilicet de Urbino, dicens eum inclinatum ad favores religiosorum et adiiciens non velle res istas venire ad manus alterius referendarii acerrimi scilicet episcopi Lirasonensis, et sic universa legatio plurimum consolata exivit faciens conscribere bullas et privilegia iuxta ordinationem Papae sperans promissa servari ; sed heu, sanctum negotium statim diabolica invidia gravissime perurbavit, siquidem Papa pollicitationi propriae obvians, expeditiones nostras mandavit praefato Lirasonensi, qui ut cautus erat hispanus infinitas nugas et dissimulationes tempus prorogando dedit et res principaliores infectas usque ad medium septembris protraxit. Hoc tamen bonum in se habere dicebatur quod praeter Curiae illius consuetudinem nulla munera precipiebat. Factum est autem ut Papa saepius pulsatus de amplissimis bullis nullis limitationibus seu restrictionibus coarctatis Ordini expeditis et plombatis in consistorio die quodam sermonem haberet, cum ecce vigilans satanas ad eorum revocationem quosdam cardinales, qui forte optatas propinas non receperant, incitaret et sic cum dolore perditae sunt incredibiles expensae et labores. O bone Deus! in quanta angustia menses illi a nobis transacti sunt usque ad februarium, verentibus omnibus absque fructu reverti, spes equidem cuncta renovandi simulatis promissionibus data nos omnes illuc etiam repedare summopere cupientes retinebat ; interim datae sunt amplissimae propinae in equis et ducatis nonnullis, qui dii Curiae dicebantur ad resarciandum

per eos dissuta, Papae etiam oblati sunt duo pulcherrimi equi vestiti scarloto, quorum alterum proprio requisierat ore. Tandem accedente mense februario, rebus iam satis prospere dispositis ad consummationem totius nostrae desolationis aegrotare coepit dux legationis nostrae, et nihilominus ipsius mensis capite facta est coram Papa gravissima disputatio super his commendis, resistentibus nobis dominis cardinalibus Rothomagensi, Spoletano, Bononiensi et Matisconensi, ubi obtinueramus magistro nostro parvam sedem contemplatione suae infirmitatis. Iste enim apostolicus super alios suos praedecessores permittit universos flexis genibus coram se loqui, et profunde pedes osculari ; cumque ipsis cardinalibus multis rationibus commendas ipsas commendantes ipse dux noster infirmitate defatigatus vix loqui posset, opus fuit nos pro Ordine verbum assumere, et Deo gratias ! eorum rationes taliter devictae sunt, quod nil amplius eis dicendum restabat. Nam solum pro parte Ordinis cum capite nostro superstabam ; iam enim a medio octobris ipse procurator Ordinis Falco, dictus abbas Sancti Bernardi Valentinensis, superbissimus et amarissimus irrogatis magistro suo iteratis et gravissimis iniuriis eum relinquerat, et expeditiones Ordinis totis viribus impediebat ; abbas etiam Veteris montis ad propria redierat. In illa itaque audientia obtenta fuit gratia indulgentiarum Capituli generalis, et aliae plures particulares etiam pro nobis, qui iam tunc de Theoloco ad praesidentiam Balernae fueramus assumpti, bullae quoque principales fuerunt accordatae, uti habentur ; impossibile etenim fuit tunc et postea removere clausulam illam nocivam, quae in fine habetur, propter quam disponebamus illas sic nullatenus sic levare, sed multi cardinales amici Ordinis suaserunt expositum dicentes, quod postmodum clarior emendatio possit impetrari, sicut et Deo gratias ! factum est, ut patet per bullas sequentes, et sub his terminata est ultima audientia, invalescente demum capitis nostri aegritudine, et licet cunctis nobis incredibiliter desolatis continue ultra labores universarum minutarum demptis horis refectionis et dormitionis sollicitationibus huiusmodi bullarum operam dabamus sed proh dolor ! aliquibus bullis iam expeditis, circa festum Annuntiationis dominicae exhalavit pater venerabilis, cuius funus solemni pompa et cum impensis maximis sepelivimus in monasterio nostro Sancti Sebastiani, tumbam egregiam sibi aptantes.

Verum nobis omnibus inconsolabiliter turbatis in congeriem

miseriarum ipse perditissimus procurator crudelis et inhumanus tractis ad partem suam quibusdam de familia et habitu defuncti penes se retinuit sigilla Ordinis et vasa multa et utensilia domini sui sub colore cuiusdam fideiussionis, quam fecerat de 500 floren. missis per bancum ab abbate de Populeto, quae omnia adhuc retinet et processum irrationabilem adversus Ordinem in Curia adhuc continuat. Nos vero integro spiritu Cistercio et Ordini provisum iri cupientes oblationem Papae de monasterio Cistercii nobis factam renuentes tantum laboravimus, ut frater Petrus abbas Claraevallis Cistercio et Ordini consistorialiter praeferretur, sed nobis Romae ista gerentibus conventus Cistercii, audito transitu sui, electione canonica et concordi nos elegerunt et ad nos redeuntes miserunt rogantes, ut electioni annuere vellemus ; cui quidem nullatenus acquievissemus, si non intervenissent preces maiorum etiam dicti abbatis Claraevallis, qui propterea iuri praetenso renuntiavit, et sic tanto oneri ex monasterio Balernae colla subegimus. Nec omittendum puto, Papam in confirmationem nostram aliquam allegasse difficultatem, dicendo quod quia de manu sua refutaveramus electionem de nobis factam minime confirmare deberet ; ipse vero Claraevallensis postmodum videns res prosperari, aut alias male motus quas valet et valuit nobis et monasterio nostro contra totius honestatis tramitem infert molestias et merito anticisterciensis dici possit, forte indignatus quia neque unus Cisterciensis fuit, qui electionem in eum ferre vellet. Emendet eum Deus ! Porro gratia indulgentiarum in mortis articulo fuit gratis expedita, ea autem Capituli generalis, quia Papa voluit solam signaturam sufficere, non sub plumbo, sed sub solo sigillo protectionis posita est. Non enim ad forum contradictorium est ordinata. Postremo res istas continua guerrarum vastatio secuta est, nec potuerunt levari contributiones ordinariae ; idcirco anno 1479 factum est aliud charitativum subsidium ad solutionem dictorum tria millium florenorum, et arreragiorum domino de Vincett prope Cabilonem, necnon ad sustentationem procuratoris Ordinis in Curia ; nam praefatus Falco fuit depositus et abbas de Alna post eum missus, qui consumptis pecuniarum maximis summis, quas solvimus pro Ordine, statim discessit, nec adhuc aliquem gallum ad illud officium devenire fuit possibile.

INDEX

INDICES NOMINUM ET RERUM IN FINE TOTIUS OPERIS PRODIBUNT

IMPRIMERIE J. DUCULOT, GEMBLOUX (BELGIQUE).

